6
5 C
7

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 E
12

~~rd. XIII.~~
~~N.° 3.~~
9.
.12.f.a.

~~6 5 C 7~~

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google

SAMUELIS MARESII

REFUTATIO FABULÆ PRÆADAMITICÆ,

Abſoluta ſeptem primariis Quæſtionibus, cum Præfatione Apologetica pro αὐθεντίᾳ Scripturarum.

Editio altera.

GRONINGÆ,

Typis FRANCISCI BRONCHORSTII, Civitatis Groninganæ Ord. Typogr.
ANNO M. D. C. LVI.



INCLYTÆ HUIUS REIP.
PROCERIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS, VERÆ PIETATIS CULTORIBUS, THEMIDIS SACERDOTIBUS, ACADEMIÆ STATORIBUS, SAPIENTIÆ LUMINIBUS, LITERATORUM COLUMNIBUS,

DOMINIS

MECOENATIBUS

ΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ

SUIS

PERPETIM COLENDIS,

INANIMI GRATI, DEVOTI, ADDICTISSIMI ΤΕΚΜΗΡΙΟΝ,

HOC QUODCUNQUE EST OPERIS,

H. *O. D.* C.

SAMUEL MARESIUS S.S.

Theol. Doctor ejuſdemque Facult. Primarius ac Hiſt. Eccl. Ordinarius Profeſſor in Academia Provinciali Ill. & P.P. D.D. *Ordinum Groningæ & Omlandiæ, nec non Paſtor* Eccl. *linguâ Gallicâ.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Elenchus eorum quæ hoc tractatu continentur.

Præfatio Apologetica pro αὐθεντίᾳ Scripturarum.

QVæſtione I. *probatur, Adamum eſſe primum hominum.*
II. *Hominem Gen:* I. *eundem eſſe cum Adamo Gen:* 2.
III. *Epocham mundi ab Adamo inchoari.*
IV. *Nihil pro Fabula Præadamitarum haberi cap.* v. *epiſt ad Rom.*
V. *Adami peccatum ſuis tantum imputari.*
VI. *Gentiles non minus quam Judæos Adamitas eſſe.*
VII. *Diluvium* Noachicum *univerſale fuiſſe.*

PRÆFATIO
Apologetica pro ἀυθεντίᾳ Sacræ Scripturæ.

TRiennium eſt, ſi benè recordor, ex quo primam audivi mentionem libri de *Præadamitis*, quem tum manuſcriptum circumferri & ex occulto rumore tribui Illuſtri Salmaſio, τῷ νῦν ἐν ἁγίοις, mihi narrabat Vir quidam Doctiſſimus, qui hac tranſiens in Comitatu Legati Gallici ex Septentrione redeuntis, pro ſua Humanitate, me inviſere dignatus fuerat. Obſtupui ad ſcripti titulum; & perſuaſus Authorem illius hominem fore ſecurum Numinis, Verbi Divini & Religionis Chriſtianæ irriſorem, qui exoletas Zabiorum fabulas ex

orco revocaret, eodemque agetur Spiritu quo impius Scriptor libri, in Italia, ut creditur, quondam nati, *de tribus impoſtoribus Moſe, Chriſto & Mahumete*, ſatis habui apud Eruditiſſimum Hoſpitem, τὸν πανὺ Salmaſium, argumentis Apodicticis ſuſpicione quâ gravabatur liberare.

Cùm autem ab illo tempore ſperaſſem monſtroſum foetum, vel ſolo nomine impium, in ſpongiam incubuiſſe, & ante ſuffocatum quam natum fuiſſe, tamen præter meam opinionem, non ſine ingenti omnium bonorum offenſione ante ſeptem vel octo menſes prodiit in publicum, ſed eo habitu quo ſolent opera tenebrarum, ſuppreſſo nomine Authoris & Typographi. Primu m illius exemplar ex Zeelan-

Zeelandia accepi, & qui illud miſit Reverendus ac Doctiſſimus mihiq; proximâ cognatione junctus D. Joannes Le Long Eccleſiaſtes Medioburgenſis, unà rogabat vell in Publici gratiam, & ad ſcandali inde nati depulſionem, horis ſubciſivis illum refutare: Cunctatus fui aliquamdiu, tùm quod primò crederem librum commodiùs contemptu quam reſponſione poſſe refutari; tùm quod illum in manus ſumere nequirem ſine animi horrore & indignatione. Aſt ubi iteratò recuſum eum vidi & in linguas etiam vulgares tranſlatum audivi, cenſui non ulteriùs cunctandum, adeoque juxta Sapientis monitum, aliquid reſpondendum ſtulto ſecundum ſuam ſtultitiam, ne ex noſtro ſilentio triumpharet, & illud traheret

in argumentum convictionis.

Et quamvis non ſint fortaſſe defuturi, qui nares ducant ad hanc noſtram opellam, ac ſi lenti unguentum addere & in muſtaceo laureolam quærere voluerim, cùm liber infrunitus, ſatis ſuâ ſe futilitate deſtrueret, tamen proteſtor coram Deo nullam me ex Argumenti inſolentia & novitate captaſſe gloriolam, ſed ſolo ſtudio Veritatis Chriſtianæ, cujus fundamenmenta hic Scriptor magno niſu convellit, id oneris in me ſuſcepiſſe. Præluxerunt mihi ab ævo Viri magni, qui Manetas, Montanos, Hermogenas, Mennonas, Sebaſtianos Frankos, Swenckfeldios, Weigelios, Socinos, ac ſimiles Enthuſiaſtas & Fanaticos, quam primum caput cœperunt attollere

Digitized by Google

attollere publicè refutarunt.

Conveniebat quoque Librum in hac Fœderata Belgica editum ac iteratò recuſum, (prout Ars Typographica Mercurio mancipata in his regionibus, gregarias obſtetrices imitatur, quæ non minùs meretricibus ac ſcortillis, quam honeſtis matronis addicunt ſuam operam,) non manere irrefutatum Belgii Theologis, quorum invigilare eſt ex Muneris & Vocationis ratione, ne quid detrimenti per ſubintroductos errores Reſp. Chriſtiana capiat.

Et cùm Celſiſſimi ac Potentiſſimi D. D. Ordines Generales Fœderati Belgii, iſtum librum de Præadamitis ſuo ſolemni Programmate edito 26. Novemb. anni ſuperioris publicè proſcripſerint,

tanquam *ſcandaloſum, impium, continentem horrendas opiniones, directè Dei ſacratiſſimo Verbo oppoſitas, nec aliò ſpectantem quam incolis hujus Reip. & quibuſlibet aliis à Religione Chriſtiana abducendis* (prout conſtabit Lectori ex illo ipſo Programmate recuſo ad calcem hujus Præfationis,) eò lubentiùs incœpto tum operi inſtiti, quod non fuerit Authori relinquenda occaſio quiritandi actum fuiſſe Proſcriptione contra ſuum librum, quod oppoſitâ Reſcriptione refutari non poſſet, & reſectos ſuos nodos Gordios gladio Temporalis Poteſtatis, quod Verbi Divini & rectæ rationis ſubſidio diſſolvi nequirent.

Quamvis autem in eo ſummopere commendari debeat Superiorum noſtrorum Zelus & pia ſollicitudo

citudo; imò licet tunc Auguſtiſſimi illius Amphictyonum Belgicæ Conſeſſus Præſidem egerit Nob. & Ampl. Vir D. J. Schulenborch, Senator Groninganus, in utroque genere Literarum, Sacrarum & Civilium, verſatiſſimus, ac nomine hujus Provinciæ Aſſeſſor in illo Conventu Ordinarius; certum eſt tamen nihil eò contuliſſe hanc noſtram Academiam, quæ ſolet potius rationibus & ſtylo Heterodoxiam oppugnare, quam Edictis & telo. Et ſi quæ Belgii Schola ullam operam ad id navavit, ea fuit proculdubio Ultrajectina: Siquidem Ampl. Exconſul Ultrajectinus, Celſiſſimi illius Conſeſſus membrum ordinarium, prior inſtitit ut eò procederetur, & citato ſuorum Theologorum præjudicio,

negavit opus eſſe librum palam impium ultra ſubjici Cenſuræ aliarum Academiarum, earumque mentem ſuper eo audire; Cui ſententiæ, cùm argumenti & totius libri impietas eſſet notoria, reliqui Proceres haud gravatè aſſenſi ſunt. Id obiter cenſui hîc monendum, ne crederer ex occulto aliquid contuliſſe illi Proſcriptioni, quo huic meæ Scriptioni quam tum adornare cœperam, plus ponderis adderem, certiorem mihi pararem Victoriam, & ſollicitè præcaverem ne quid mihi in his Oris publicè & tutò reponi poſſet.

Adhæc præcavendum fuit refutatione publicâ illius libri, ne vel noſtro ſilentio plus juſto obtineret apud homines avidos Novitatis & ad Libertiniſmum pronos, facilè

facilè al'às tela ſibi amentata ex iſto Authore paraturos; vel *οἱ ἐξ ἐναντίας*, intenti in omnes occaſiones Proteſtantes & Reformatos traducendi, pari licentiâ noſtris Eccleſiis affingerent dogmata Præadamitica, quæ arietant fundamenta totius Religionis Chriſtianæ, quâ olim ſoliti ſunt illis deputare quæcunque Vorſtius ex Socino voluit infœliciter *θεολογεῖν*.

Dicitur quidem Author hactenus vixiſſe in externa Communione Reformatorum; Sed quam Eccleſiæ Reformatæ eum pro ſuo agnoſcere in poſterum nequeant, quam ſit remotus ab earum & Confeſſione & Communione, toti Orbi innoteſcere debuit. Neque magis vitio verti poteſt Eccleſiæ Reformatæ, quod in eo tam

degenerem filium nacta ſit, quam vel ſacro Apoſtolorum Choro, quod ex eo proditor Judas prodierit, vel priſcæ Eccleſiæ Catholicæ quod ex illius ſinu orti ſint Novati, Arii, Neſtorii, Pelagii, & ſimiles Viperini fœtus, quibus id ſolum curæ fuit ut matris ſuæ viſcera eroderent. Tales juxta Apoſtolum 1 Joh: 11, 19. ex nobis egreſſi quidem ſunt, ſed ex nobis non erant, manſuri utique nobiſcum & in eadem Orthodoxia permanſuri, ſi ex nobis fuiſſent.

Quin præter has communes & generales rationes quæ me moverunt ad hanc ſcriptionem, ejus adornandæ eò ſpecialiorem mihi viſus ſum habere cauſam, quod cùm Præadamitarum aſſertor Gallus ſit natione, cenſuerim in Belgio excita-

tum

tum Scandalum per hominem Gallum, (quem tamen audio jam ab aliquo tempore, quod perduellium eſt, inter Patriæ ſuæ hoſtes commorari,) non poſſe à quoquam juſtiùs quam ab homine Gallo in Belgio habitante de via ſubmoveri.

Hanc igitur refutationem debui meæ Conſcientiæ, quà Chriſtianus; meæ publicæ Functioni in hoc Belgio, quà Theologus; meæ quoque Genti, quà Gallus; cùm ad publicum quoddam Nationis noſtræ probrum his in locis ſpectarit, quod tam impium librum homo Gallus in Belgio diſſeminare ſtuduerit. Et ſiquidem nulla mihi notitia cum illo interceſſit unquam, & fortè æquè illi hactenus fui ignotus ac ipſe mihi, non eſt quod quis ſuſpicetur, me

ullis privati odii ſtimulis ad hunc laborem adverſus eum ſuſcipiendum excitatum fuiſſe.

Quamvis autem nomen ipſius jam ſit vulgatum in Belgio, quia tamen illud ſuo Operi præſcribere noluit, pati poſſum ut lateat, & ſtudioſé ab eo nominando abſtinebo. Vir eſt, quantum aſſe, qui licet ex ipſius libro, non ineruditus, nec planè hoſpes in literis humanioribus: Geographica quoque & Aſtronomica ſtudia attigiſſe videtur, ac Hiſtorica delibaſſe. Sed quoad linguas eruditas ultra Latinam non proceſſit, Græcæ & Hebraicæ planè imperitus. Stylum habet latinum valde inæqualem, aliquando operoſiùs ac turgidiùs & altiori cothurno inſurgentem, aliquando humiliùs repen-

tem,

tem ac planè languentem, & qualis ſolet eorum eſſe quorum ſtudia jamdiu multum æruginis contraxerunt, ut vel ex illa ſtyli formicatione & pulſu inæquali, mentis febricitantis haud obſcurum indicium ſit colligere.

Lumen quoque Logicum fruſtra quæras in illo; Nam omnes ſuos conceptus tam ἀμεθόδως & inordinatè proponit, tot importunis repetitionibus laborat, tot ſcatet contradictionibus, quæ omnia ſunt vel animi perturbati ex laborante conſcientia, vel judicii deficientis, vel utriuſque publica argumenta, ut videatur in hac Operis ſui ſtructura oblitus primæ Architectorum ſollicitudinis, quæ ſolet eſſe de lumine ſufficienti in ædes quas moliuntur inferendo.

Hinc

Hinc ſanè factum ut cùm ab initio deſtinaſſem eum κατὰ πόδα ſequi, debuerim mutare conſilium, & ad certa Capita revocare melioris ordinis & majoris perſpicuitatis gratiâ, quæcunque habebat directè facientia ad fabulam ſuam Præadamiticam; ſic tamen ut plura alia ejus deliria, vel obiter perſtrinxerim, vel expreſſiùs refutarim.

Theologiam ipſius quod attinet, quam æſtivè viaticatus & illotis manibus ad ſacra hæc ſtudia tractanda accesſerit, nolim fuſè referre. Totum illius Opus, præter palmarium errorem de Præadamitis, Syſtema eſt, ſive potius Cento, variarum hæreſeôn, quas eum adoptaſſe ex ignorantia magis quam ex malitia, libenter crediderim

derim. Hîc ſaltem Manichæi, Hermogeniani & alii Materiarii, Marcionitæ, Ariani, Pelagiani, Origeniſtę, Sadducæi, Anabaptiſtæ, Sociniani, & ſimiles exœtræ, ſua reſpectivè dogmata reperire poſſunt; ut *ſi repetitum venerit olim Grex avium plumas, moveat cornicula riſum.* Nihil in majus extollo, patebitque horum veritas ex iis quæ adverſus illum diſputo.

Et licet videatur primo obtutu non indiligenter lectitaſſe Scripturas, nemo tamen infœliciùs unquam verſatus eſt in illis intelligendis & explicandis; ut cùm vitam hactenus vixerit, juxta ipſiuſmet profeſſionem, erraticam & planetariam, nec illi ſtudio defixam quod totum hominem requirit, magiſque

magiſq; Magnatum menſas quam Theologorũ ſubſellia frequentarit, ei meritò dixerim quod Valentis Demoſtheni improvidè ſe ingerenti in Theologicas Controverſias reponebat magnus Baſilius apud Theodoretum *lib.* 4. *Hiſt. Eccl. cap.* 17. *Tuum eſt juſculorum curare condimenta, nam cum aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire*, vel tractare, *non potes.*

Sed præſertim videtur mihi non aliò collimaſſe quam Sacrarum Literarum Authoritati convellendæ & Religionis Chriſtianæ fundamentis ſubruendis, ex illo Profanitatis Spiritu, qui proh dolor in Aulis & Caſtris, quorum hactenus aſſecla fuit, ut plurimum dominari ſolet: Nam ut dictum jam

olim

olim *Exeat Aulâ qui volet eſſe pius*, ita illud aliud notius eſt quam ut prolixo egeat Commentario, *Nulla fides pietaſque viris qui Caſtra ſequuntur.* Quod citra cujuſquam offenſionem à me dictum velim; nam aliàs novi multos viros pios & probos qui Pietate & Sanctitate in utroque genere vitæ aliis prælucere potuerunt, & quos ſoleo conferre piſcibus qui in media Maris ſalſedine carnis ſuæ dulcedinem retinent.

Quominus autem eodem loco habeam Præadamitarum Aſſertorem, qui novus Author geſtit haberi, faciunt non ſolum plura ipſius Dogmata directè ſpectantia laxandæ habenæ vitiis & peccatis; ut quod peccatum in noſtri materiam & fabricam naturalem

rejicit,

rejicit;quod omnem imputationem peccati nunc ſublatam fingit; quod omnibus & ſingulis ſalutem æternã pollicetur, quod omnium & ſingulorum reſtitutionem in integrum vult expectari in fine ſęculorũ, quę tamen ſtatuit nunquam finienda; quod mundum revera facit æternũ & *à parte ante* & *à parte poſt*, ut loquimur in Scholis; verùmac potiſſimùm profanus ille contemptus quẽ prę ſe fert Sacrarum Literarum, & ſcommata quę vibrat in Dei Verbũ, talia ſanè, ut in eo genere videatur Julianis, Porphyriis, Celſis ac Lucianis palmam pręripere voluiſſe: In quo præter Titanicam impietatem manifeſtam prodit τῆς διανοίας ἀῤῥωστίαν: nam quid abſurdius quam velle ſimul Judęis adblandiri & Scripturas Sacras de ponte dejicere?

Hîc

Hîc verò debeo pauliſper pedem figere, & Dei cauſam propugnando verbi Divini αὐθεντίαν ab illius ſtrophis vindicare; Nam in ſeptem illis quæſtionibus quas hoc tractatu illi oppono, fabulam ipſam Præadamiticam & quæcunque ei ſuſtinendæ attulerat ita refuto, maximè ex Scripturis, ut his conſiſtentibus, illa omninò debeat evaneſcere. Sed quoniam, etſi in ſpeciem videatur Scripturas admittere, eas tamen revera non habet quo loco oportebat, operæ pretium duxi hic in limine pro harum αὐθεντίᾳ brevem Apologiam proponere, ac ipſius Blaſphemias in Dei Verbum paucis enotare & refutare. Proſtant illæ *Syſtematis* ſui *lib.* 4. *cap.* 1. & 2. & tales ſanè, ut eas retuliſſe inter

Chriſti-

Chriſtianos, cum Tertulliano adorare ſolitos *plenitudinem Scripturarum*, refutaſſe ſit.

Parum eſt quod negat *cap.* 1. *antiquiſſima omnia tum naturalis tum humanæ hiſtoriæ monumenta libris ſacris, præcipuè verò Moſaicis, contineri*; etſi nihil antiquius aut certius illis hactenus vel ipſe vel quiſquam alius reperire potuerit, & ſoliti ſint Chriſtiani Librorum Sacrorum Authoritatem ab eorum penitiſſima Antiquitate comprobare. Sed quis ferat, quod dum per proteſtationem contrariam facto, quæ nihil operatur, Sanctè aſſerit ſe nolle *quicquam imminuere de fide quæ ſanctis Codicibus præſtanda eſt, vel eorundem authoritatem defugere*, & fatetur, in illis *contineri quicquid ſcire hominibus conceſſit Deus vel de*

origine

origine mundi, vel de hiſtoria ſacra, vel de Prophetiis, vel de Myſteriis divinis, vel de ſalute noſtra; nihilominus ſtatuit *quæ ad ſalutem noſtram unicè ſpectant paucis conſtare, & in illis* quidem *tantum curæ, tantum diligentiæ & tantum lucis adhibuiſſe Spiritum Sanctum quantum captui humano convenit*, ſed *pluribus mandata quæ de aliis tractant*, de quibus (aſſerturus inquit, *quod omnes ſentiunt, quodque plerique muſſant dicere*) pertendit ea *tantâ incuriâ & tantâ caligine ſcripta fuiſſe, ut nihil plerumque intricatius, nihil obſcurius legi poſſit.*

Sanè quamvis nolimus dicere omnia quæ Scripturis continentur eſſe de neceſſitate fidei, ut illorum explicitam notitiam debeant habere omnes Chriſtiani, negari tamen non

non poteſt omnia illa eſſe de fidei amplitudine & divinitùs conſignata ad ædificationem Eccleſiæ: Id luculentiùs docet Apoſtolus Gentium quam ut à quoquam Chriſtiano negari vel poſſit vel debeat; *Tota*, inquit, *Scriptura eſt* θεόπνευς© *divinitus inſpirata & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in Iuſtitia, ut perfectus ſit Dei homo, ad omne opus bonum perfectè inſtructus* 2 Tim: III, 16. 17. & Rom: xv, 4. *Quæ ante ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*: Vt quam ineptè diſtinguuntur ab hoc homine *Prophetiæ* & *Myſteria* Verbi Divini ab iis quæ ſunt noſtræ *ſalutis*, tam parum piè dicatur paucis contineri in

in Scripturis quæ *ad ſalutem ſpe-ctant*, ſed *pluribus mandata quæ de aliis tractant*, ac ſi longè major pars Scripturarum eſſet ſuperflua, & de rebus aliis quam quæ noſtram ſalutem ſpectant ageret, nec eo fine ſcriptis conſignata ut credamus & credentes vitam æternam conſe-quamur Joh:xx,31.

Nec ſi quæ ſunt obſcura & diffi-cilia in Scripturis, ut talia quædam eſſe non inficiamur, *quæ indocti parumque ſtabiles detorquent*, *ut & reliquas Scripturas ſuo ipſorum judicio* 2. Pet: III, 16. non ideo aliò ſpectant quam ad ſalutem noſtram: Difficilioribus Deus exercet dili-gentiam ſuorum, ut facilioribus proſpicit eorum tarditati. *Divinus ſermo*, (inquiebat Gregorius *cap.4. Epiſt. præf. Moral. in Iobum*) *ſicut*

ſicut myſteriis prudentes exercet, ſic plerumque ſuperficie ſimplices refovet. Habet in publico unde parvulos nutriat; ſervat in ſecreto unde mentes ſublimium in admirationem ſuſpendat; Quaſi quidam quippe eſt fluvius, ut ita dixerim, planus & altus, in quo & agnus ambulet & elephas natet. Quanquam nec tantâ caligine involuantur Scripturæ iis qui ſedulò ſe in illis exercent, ex præſcripto Auguſtini *in libris ſuis de Doct. Chriſt.* quantam hîc deprædicat Præadamita: *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, iis qui pereunt opertum eſt; in quibus Deus hujus ſæculi excœcavit mentes, nempe in infidelibus, ne irradiet eos illuſtratio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei,* inquit Apoſtolus Gentium 2 Cor: IV, 3. 4. Noctuis

ac Veſpertilionibus Sol ipſe obſcurus eſt, & ſermo Dei *Lucifugis Scripturarum*, ut Hæretici quandoque Tertulliano dicuntur; Ac vereor ne huic homini querenti de tanta obſcuritate Verbi Divini, quod tamen dicitur eſſe *Lux pedibus noſtris* Pſal: cxix, 105. & *Lucerna lucens in obſcuro* 2 Pet: 1, 19. id eveniat quod Seneca refert de Harpaſte fatua ſua domeſtica, quæ cùm repentino catharro excœcata fuiſſet, quiritabatur de ædium obſcuritate, volebatque duci foràs, aut feneſtras aperiri.

Nec ſervit comprobandæ jugi illi & denſæ obſcuritati Scripturarum, quod ait Deum ipſum profeſſum fuiſſe ſe *habitaturum in nebula*; & Chriſtum *ſub Evangelio diſcipulos ſuos & dæmones*

compreſſiſſe, *ne quis eſſet evulgarent*, imò *parabolam* fuiſſe quicquid loquebatur, adeo *perplexè & ænigmaticè* omnia efferebat; Hinc inuſitatas & inſolentes *cœleſtium ſpecies*, *inuſitatis & inſolentibus formulis* deſcriptas & expreſſas; *Ludos dicas*, inquit, *ferè omnes ſchematis enthei quos nobiſcum balbutiens Deus miris modis fecerit hominibus.* Nam licet Deus *in nebula* dicatur habitare, quatenus ejus Majeſtas & Natura nobis eſt imperſcrutabilis & inacceſſa, quo ſenſu & Homerus plerumque ſuos Deos denſiori nebulâ circumveſtitos deſcribit, non tamen inde ſequitur Cimmeriis tenebris ſacratiſſimas ipſius revelationes ita eſſe involutas, ut nequeamus dicere cum Pſalte, *In lumine tuo videbimus lumen* Pſal: xxxvi,

XXXVI, 10. Chriſtus nolebat dæmonas dicere quis eſſet, quod veritas non quærat teſtimonium à Patre mendacii; nec volebat pro tempore evulgari à ſuis diſcipulis qualis eſſet, quia ſua hora nondum venerat. Sed neutrum facit ad obſcuritatem Scripturę: Ipſę-met Chriſti *parabolæ*, plurimum lucis inferunt myſteriis quibus explicandis adhibebantur, licet juſto Dei judicio occultandis iiſdem apud indignos inſervierint: ut revera fungi videantur vice oſtiorum, quibus janua aliis aperitur aliis clauditur. Formulæ loquendi Scripturarum, nec *inuſitatæ*, nec *inſolentes*, dici debent iis qui ſtylum Divinum & genium linguarum ſacrarum, aliquantulum deguſtarunt. Nec ſine ingenti Numinis contumelia dici

poteſt Deus (tanquam alter Apollo λόξιας, qui revera *variis ſermonum ambagibus ſuos ut plurimum circumagebat auditores*, quod iſte homo tribuit Chriſto) *ludos facere hominibus*, ideſt revera illis illudere, etiam quod magis eſt *nobiſcum balbutiens*, ideſt condeſcendens & ſeſe accommodans noſtræ tarditati.

Sed quamvis poſſet hactenus excuſari Præadamita in hac ſua querela de obſcuritate Scripturarum, in qua diverſus abit à Celſo & Porphyrio qui eas nimiæ ſimplicitatis & ſtyli nimium repentis & abjecti accuſabant, blaſphemiâ non caret evidenti quod eas aſſerat conſignatas non tantum cum magna *caligine*, ſed etiam cum magna *incuria*, ita ut multa in illis legantur non *obſcura* modò, ſed

etiam

etiam *confuſa*, *inordinata*, *trunca & mutila*, *ſæpiùs repetita*, *omiſſa plurima*, *extra locum & ſedem poſita*; & quod pejus eſt non *confuſa* modò & *turbata*, ſed etiam *invicem pugnantia ut frigida calidis & ſicca humentibus*; quæ ſanè in Spiritus Sancti amanuenſes, & eorum Scripta, nobis Divinitùs commendata in normam infallibilem & canonem indeclinabilem veritatis, citra enorme crimen jactari non poſſunt. Neque iſte homo obiter & perfunctoriè in hac impietate verſatur; nam dixerit licet Apoſtolus quod πᾶσα γραφὴ ſit θεόπνευστος, pertendit tamen *lappas & tribulos nitidis Domini cultis ſuccreſcere*, *farreamque inter ejus ſementem*, *lolium infelix & ſteriles avenas dominari*, ac *in meſſe Domini paleæ & aceris majo-*

rem copiam cum tritici granis confundi, nec non *auro & argento, ligno & lapide*, *fœno & ſtipula confuſè permiſtis & interſtructis educi ædificium Chriſti*; ideſt revera *Divinis ſcriptis eadem illa interſtrui, confundi, interſeri & ſuccreſcere*, eouſque ut ſit *impoſſibile noviſſe & diſcreviſſe omnia*; quamvis glorietur ſe naſo ſuo critico, quem novo vocabulo appellat *tactum divinitatis*, multa ex illis venatum hactenus fuiſſe: Hæc ſanè ſi admittantur actum erit de Religione Chriſtiana: Nam ut luxatis diſciplinarum principiis conclusiones omnes ex illis deductas vacillare neceſſe eſt, ita everſâ certitudine & αὐθεντίᾳ Scripturarum, titubare debet quicquid ex illarum teſtimonio ceu divinum & infallibile creditur, nec amplius quicquam

quam ſupererit diſcriminis inter Sacra Biblia Chriſtianorum & Alcoranum Mahumetis, qui etiam habet mala bonis, fabuloſa certis, humana divinis, ærea aureis, interſtructa & confuſa. Fingit iſte homo certa & indubitata eſſe in Scripturis quæ ad ſalutem noſtram ſpectant, ſed demum in cœteris locum eſſe illi miſcellæ & confuſioni divinorum & humanorum, quam deſcribit tot ampullatis verbis. At niſi toti Scripturæ & ſingulis ejus partibus ſua conſtet Divina Authoritas, nullus dabitus certus Character ex quo credenda à rejiciendis, ſalutaria à noxiis, dignoſcantur. Quid ſi enim ea quæ putas eſſe ad ſalutem creditu neceſſaria, ſunt reverâ humanæ corruptionis, non revela-

tionis divinæ ? Quæ quæſo ſuperit norma in rebus ad Religionis myſteria ac Dei cultũ ſpectantibus, dignoſcendi falſa à veris, ſi ipſe-met Canon Scripturarum ita eſt corruptus & depravatus, ut de illo dici queat quod Poëta profanus de ſuis nugis,

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis, hic aliter non fit Avite liber.

Pluris ne facient multi Juriſconſulti, corpus Juris Civilis, quam nos Chriſtiani corpus Sacrarum Scripturarum, ut illi negent ullam eſſe inter ſuas leges realem pugnam & diſſonantiam quæ conciliari nequeat, & nos auſimus tribuere Spiritui Sancto in Scripturis loquenti, irreconciliabiles contradictiones

dictiones quæ nequidem in virum probum & ſapientem cadere poſſint? Quid cogitari poſſet abſurdius vel magis injurium in Dei Providentiam, in religioſam illam curam quâ ſemper Judæi ad ſuperſtitionem uſque ſtuduerunt Sacra Dei oracula intemerata ſervare, in Eccleſiæ ab ævo officium, cujus fuit hoc pretioſum depoſitum fidei ſuæ concreditum diligenter cuſtodire, quam ſi concipias libros Senecæ, Cæſaris, Platonis, Ciceronis, multo integriores ad noſtra uſque tempora perennaſſe, quam Codices ſacros Veteris & Novi Teſtamenti, primitùs conſcriptos Authore Deo, ut eſſent Fidei noſtræ Columna & Firmamentum? Eſto; Sint quædam menti tuæ ἄπορα in Scripturis Canonicis, &

ex quibus non queas facilè te extricare; An ideo ſtatim ſecare debes, quod ſoluere nequis? An eo uſque tribuis tuo judicio ut illicò divina eſſe neges, ea quæ aſſequi non potes? Dixerit ne Philoſophus quidam Ethnicus de alterius libris, ſe laudadilia judicare quæ ex illis intelligeret & talia exiſtimare etiam ea quæ non intelligeret; & te pudebit agnoſcendo divina & divinitùs inſpirata quæ ex Scripturis intelligis, etiam talia credere ea quæ necdum intelligere potuiſti? Quam verò Præadamita, his contumelioſis Emblematis quibus ornat Dei Verbum, hac ſolum de cauſa quod in illo ſuos Præadamitas non reperiat, prope accedit ad mores ordinarios Hæreticorum, qui teſte B. Irenæo *lib. 3, cap. 2. cum ex*

Scriptu-

Scripturis arguuntur in accuſationem converuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate; & quia variè ſint dictæ, &c. tam procul abit à Modeſtia & & Pietate Auguſtini, qui Scriptoribus Canonicis didicerat *hunc timorem honoremque deferre ut nullum eorum in ſcribendo erraſſe auderet credere; ac ſi aliquid in eis offenderet quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendoſum eſſe Codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel ſe minime intellexiſſe, non ambigeret.* Hæc autem Auguſtini verba ex *Epiſt.* 19. *quæ ad Hieron.* tanti fecit Gratianus ut ea digna judicarit quæ referret in ſuum Decretum *diſt* 9. *cap. Ego ſolis*. At novus hic in Theologicis Arpinas, qui ſolus ſapit in oculis

ſuis & cernit acutius ſerpente Epidaurio, maculas poteſt in Sole deprehendere, & ingentium errorum audet accuſare. ſacratiſſimos noſtros libros, ex quibus tamen olim à Domino judicabitur.

Tamen utcumque adſtructurus eas quas in Dei verbum evomit Blaſphemias. ne ſine ratione inſanire videatur, pertendit, quod nemo ante ipſum vel febricitans ſomniaverat, nos non habere *ipſa autographa divinorum authorum*, ideſt eos libros qui ab illis à Dei Spiritu actis conſcripti fuêre, ſed tantum tumultuaria quędam ex illis *collectanea* & excerpta, quæ ſatis impropriè appellat *apographa*: cùm inter autographum & apographum id ſit propriè diſcriminis, quod eſt inter Exemplar & illius imitationem,

nem; ſive ut Pragmatici loquuntur, inter originale & copiam : Lubens fateor, nunc non extare Protographa Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum, ideſt illa ipſa volumina quæ ſua manu primùm exararunt; quomodo nec proſtant amplius autographa Cæſaris vel Ciceronis; Sed tamen certum eſt, primò nos habere in Sacris Bibliis textum originalem Scriptorum Sacrorum, ideſt eorum qui fuerunt immediatè acti à Spiritu Dei ad hoc opus; nihilque libris Canonicis V. & N. T. contineri quod non ſit conſignatum à Divinis Authoribus & ſub immediata directione & inſpiratione Spiritus Sancti; unde πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος dicitur Apoſtolo: Secundò libros Canonis ſacri omnes & ſingulos, ita dictante

Spiritu

Spiritu Sancto conſcriptos fuiſſe, ut etſi mera continerent excerpta ex aliis authoribus, nihil per id eorum Authentiæ eſſet deceſſurum, cum illa collectio fuerit θεόπνευστος, ac proceſſerit per Divinos Authores ex dictamine & lumine infallibili Spiritus Sancti: Tertiò potuiſſe etiam illâ ratione αὐθεντίαν conſequi excerpta facta ex libris aliàs non authenticis, prout quæ citantur à Paulo ex Arato, Menandro, Epimenide, poëtis Ethnicis, illâ ipſâ citatione & illatione in Codicem Sacrum, Authoritate Divinâ donata ſunt.

Ad quæſtionem igitur Præadamitæ, *Quis aſſerere audeat Divinorum Authorum Autographa ipſa, perplexè quamvis & ænigmaticè ab illis ſcripta, ad nos eadem tranſiviſſe,*

qualia

qualia dictante Deo ipſo voluminibus ſacris commiſſa ſunt? reſpondeo imperterritè, neminem id negaturum qui Pietati Chriſtianæ nuncium non remiſerit. Tales enim nos habere libros, quoad Novum Fœdus, quales ab Evangeliſtis & Apoſtolis conſcripti ſunt, liquidò patet ex communi conſenſu Chriſtianorum, ab ipſis Apoſtolorum temporibus: unde ſemper Chriſtiani omnes toto orbe terrarum diſperſi, licet cæteroquin moribus, linguis, opinionibus quoad ſacra, valde diſcrepantes, eos libros tanquam Divinos citarunt, explicarunt, ſuis ſententiis confirmandis applicarunt, in ſuas linguas, ut quique ſuâ linguâ propriâ audiret magnalia Dei, tranſtulerunt: Ut vel hac ſolâ ratione multo certius

conſtet:

conſtet nos habere genuina ſcripta Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quam vel Ciceronis vel Cæſaris opera, in quibus admittendis tam univerſalis & mirabilis conſenſus proferri non poteſt. Ut autem hoc argumento non poteſt dubitari quin ad noſtra uſque tempora pervenerint incorrupti libri ſacri Euangeliſtarum & Apoſtolorum, quod etiam liquet ex collatione hodiernorum Codicum cum veteribus, ſic eadem ratione comprobatur eoſdem libros quoad Vetus Teſtamentum permanſiſſe in hunc uſque diem, quos Apoſtoli & primi fundatores Chriſtianiſmi Eccleſiæ ſubnaſcenti commendarunt, tanquam Divinos, Sacros, θεοπνεύςους, ex quorum amuſſi ſe & ſua volebant explorari. Quod ſi verò libri

V. T. quales Apoſtoli cum ſuis Scriptis tradiderunt Eccleſiæ Chriſtianæ huc uſque perennarunt integri per annos mille & ſexcentos, quis ſuſpicabitur non fuiſſe pari fide cuſtoditos & conſervatos in Rep. Judaica, cui teſte Paulo Rom: III, 2. oracula & eloquia Dei concredita fuerant?

Si vel incuriâ, vel malitiâ Judæorum ſacri Codices alterati, corrupti, amiſſi fuiſſent, & ænea pro aureis, humana pro divinis, in illis ſubſtituta, an quæſo Chriſtus Servator, qui teſtatur ne quidem unum jota vel apicem ex lege periturum Matt: v, 18. id diſſimulaſſet apud ſuos Auditores, aut eos tam illimitatè ad Scripturas ſcrutandas amandaſſet, atque ſemper ex Scripturis, vel ſuos Diſcipulos inſtitu-

tionis divinæ ? Quæ quæſo ſuperit norma in rebus ad Religionis myſteria ac Dei cultũ ſpectantibus, dignoſcendi falſa à veris, ſi ipſe-met Canon Scripturarum ita eſt corruptus & depravatus, ut de illo dici queat quod Poëta profanus de ſuis nugis,

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis, hic aliter non fit Avite liber.

Pluris ne facient multi Juriſconſulti, corpus Juris Civilis, quam nos Chriſtiani corpus Sacrarum Scripturarum, ut illi negent ullam eſſe inter ſuas leges realem pugnam & diſſonantiam quæ conciliari nequeat, & nos auſimus tribuere Spiritui Sancto in Scripturis loquenti, irreconciliabiles contra-

dictiones

dictiones quæ nequidem in virum probum & ſapientem cadere poſſint? Quid cogitari poſſet abſurdius vel magis injurium in Dei Providentiam, in religioſam illam curam quâ ſemper Judæi ad ſuperſtitionem uſque ſtuduerunt Sacra Dei oracula intemerata ſervare, in Eccleſiæ ab ævo officium, cujus fuit hoc pretioſum depoſitum fidei ſuæ concreditum diligenter cuſtodire, quam ſi concipias libros Senecæ, Cæſaris, Platonis, Ciceronis, multo integriores ad noſtra uſque tempora perennaſſe, quam Codices ſacros Veteris & Novi Teſtamenti, primitùs conſcriptos Authore Deo, ut eſſent Fidei noſtræ Columna & Firmamentum? Eſto; Sint quædam menti tuæ ἄπορα in Scripturis Canonicis, & ex

ex quibus non queas facilè te extricare; An ideo ſtatim ſecare debes, quod ſoluere nequis? An eo uſque tribuis tuo judicio ut illicò divina eſſe neges, ea quæ aſſequi non potes? Dixerit ne Philoſophus quidam Ethnicus de alterius libris, ſe laudadilia judicare quæ ex illis intelligeret & talia exiſtimare etiam ea quæ non intelligeret; & te pudebit agnoſcendo divina & divinitùs inſpirata quæ exScripturis intelligis, etiam talia credere ea quæ necdum intelligere potuiſti? Quam verò Præadamita, his contumelioſis Emblematis quibus ornat Dei Verbum, hac ſolum de cauſa quod in illo ſuos Præadamitas non reperiat, prope accedit ad mores ordinarios Hæreticorum, qui teſte B. Irenæo *lib. 3. cap. 2. cum ex*

Scriptu-

Scripturis arguuntur in accuſationem converteuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate; & quia variè ſint dictæ, &c. tam procul abit à Modeſtia & & Pietate Auguſtini, qui Scriptoribus Canonicis didicerat *hunc timorem bonoremque deferre ut nullum eorum in ſcribendo erraſſe auderet credere; ac ſi aliquid in eis offenderet quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendoſum eſſe Codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel ſe minime intellexiſſe, non ambigeret.* Hæc autem Auguſtini verba ex *Epiſt.* 19. *quæ ad Hieron.* tanti fecit Gratianus ut ea digna judicarit quæ referret in ſuum Decretum *diſt* 9. *cap. Ego ſolis.* At novus hic in Theologicis Arpinas, qui ſolus ſapit in oculis

ſuis & cernit acutius ſerpente Epidaurio, maculas poteſt in Sole deprehendere, & ingentium errorum audet accuſare. ſacratiſſimos noſtros libros, ex quibus tamen olim à Domino judicabitur.

Tamen utcumque adſtructurus eas quas in Dei verbum evomit Blaſphemias. ne ſine ratione inſanire videatur, pertendit, quod nemo ante ipſum vel febricitans ſomniaverat, nos non habere *ipſa autographa divinorum authorum*, ideſt eos libros qui ab illis à Dei Spiritu actis conſcripti fuêre, ſed tantum tumultuaria quędam ex illis *collectanea* & excerpta, quæ ſatis impropriè appellat *apographa*: cùm inter autographum & apographum id ſit propriè diſcriminis, quod eſt inter Exemplar & illius imitationem,

nem, ſive ut Pragmatici loquuntur, inter originale & copiam: Lubens fateor, nunc non extare Protographa Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum, ideſt illa ipſa volumina quæ ſua manu primùm exararunt; quomodo nec proſtant amplius autographa Cæſaris vel Ciceronis; Sed tamen certum eſt, primò nos habere in Sacris Bibliis textum originalem Scriptorum Sacrorum, ideſt eorum qui fuerunt immediatè acti à Spiritu Dei ad hoc opus; nihilque libris Canonicis V. & N. T. contineri quod non ſit conſignatum à Divinis Authoribus & ſub immediata directione & inſpirationeSpiritusSancti; unde πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος dicitur Apoſtolo: Secundò libros Canonis ſacri omnes & ſingulos, ita dictante

Spiritu

Spiritu Sancto conſcriptos fuiſſe, ut etſi mera continerent excerpta ex aliis authoribus, nihil per id eorum Authentiæ eſſet deceſſurum, cum illa collectio fuerit θεόπνευστος, ac proceſſerit per Divinos Authores ex dictamine & lumine infallibili Spiritus Sancti: Tertiò potuiſſe etiam illâ ratione αὐθεντίαν conſequi excerpta facta ex libris aliàs non authenticis, prout quæ citantur à Paulo ex Arato, Menandro, Epimenide, poëtis Ethnicis, illâ ipſâ citatione & illatione in Codicem Sacrum, Authoritate Divinâ donata ſunt.

Ad quæſtionem igitur Præadamitæ, *Quis aſſerere audeat Divinorum Authorum Autographa ipſa, perplexè quamvis & ænigmaticè ab illis ſcripta, ad nos eadem tranſiviſſe,*

qualia

qualia dictante Deo ipſo voluminibus ſacris commiſſa ſunt? reſpondeo imperterritè, neminem id negaturum qui Pietati Chriſtianæ nuncium non remiſerit. Tales enim nos habere libros, quoad Novum Fœdus, quales ab Evangeliſtis & Apoſtolis conſcripti ſunt, liquidò patet ex communi conſenſu Chriſtianorum, ab ipſis Apoſtolorum temporibus: unde ſemper Chriſtiani omnes toto orbe terrarum diſperſi, licet cæteroquin moribus, linguis, opinionibus quoad ſacra, valde diſcrepantes, eos libros tanquam Divinos citarunt, explicarunt, ſuis ſententiis confirmandis applicarunt, in ſuas linguas, ut quiſque ſuâ linguâ propriâ audiret magnalia Dei, tranſtulerunt: Ut vel hac ſolâ ratione multo certius

conſtet

conſtet nos habere genuina ſcripta Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quam vel Ciceronis vel Cæſaris opera, in quibus admittendis tam univerſalis & mirabilis conſenſus proferri non poteſt. Ut autem hoc argumento non poteſt dubitari quin ad noſtra uſque tempora pervenerint incorrupti libri ſacri Euangeliſtarum & Apoſtolorum, quod etiam liquet ex collatione hodiernorum Codicum cum veteribus, ſic eadem ratione comprobatur eoſdem libros quoad Vetus Teſtamentum permanſiſſe in hunc uſque diem, quos Apoſtoli & primi fundatores Chriſtianiſmi Eccleſiæ ſubnaſcenti commendarunt, tanquam Divinos, Sacros, θεοπνεύςους, ex quorum amuſſi ſe & ſua volebant explorari. Quod ſi verò libri

V. T.

V. T. quales Apoſtoli cum ſuis Scriptis tradiderunt Eccleſiæ Chriſtianæ huc uſque perennarunt integri per annos mille & ſexcentos, quis ſuſpicabitur non fuiſſe pari fide cuſtoditos & conſervatos in Rep. Judaica, cui teſte Paulo Rom: III, 2. oracula & eloquia Dei concredita fuerant?

Si vel incuriâ, vel malitiâ Judæorum ſacri Codices alterati, corrupti, amiſſi fuiſſent, & ænea pro aureis, humana pro divinis, in illis ſubſtituta, an quæſo Chriſtus Servator, qui teſtatur ne quidem unum jota vel apicem ex lege periturum Matt: V, 18. id diſſimulaſſet apud ſuos Auditores, aut eos tam illimitatè ad Scripturas ſcrutandas amandaſſet, atque ſemper ex Scripturis, vel ſuos Diſcipulos inſtitu-

inſtituiſſet, vel ſuos redarguiſſet Adverſarios, vel quæ ſibi eventura erant comprobaſſet? An de libris V. T. quales nunc habemus potuiſſent Apoſtoli dicere & docere, *Totam Scripturam* eſſe θεόπνευστον, & ex inſpiratione divina conſignatam? Qui igitur ſomniaverit, cum noſtro, nos non habere amplius libros ſacros, quales primùm *dictante Deo ipſo* ſcripti fuerunt, is ſane injurius erit in Dei Providentiam, quod paſſus fuerit interire Sacratiſſimum ſuum Verbum in Canonem ac normam jugem fidei & morum conſignatum, & de quo dicit ipſe-met quod maneat in æternum; Injurius erit in curam & ſollicitudinem univerſalis Eccleſiæ, quod paſſa fuerit ſacrum hoc depoſitum ſibi concreditum fideique

ſuæ

ſuæ commiſſum, in ſuis manibus alterari & corrumpi; Injurius in fidelitatem Judæorum, qui ab ævo illi rei diligentiſſimè incubuerunt, ut ſacra Dei oracula intemerata permanerent; unde Auguſtinus *in Pſal.* 40. *&* 56. eos vocat *capſarios* & *librarios* noſtros, *qui nobis ſtudentibus codices portant.*

Huc ergo liceat mihi referre quod habet Joſephus *lib.* 1. *contra Apionem*, commemoratum & laudatum Euſebio *lib.* 3. *Hiſt. Eccl. cap.* 9. Invadunt enim hæc verba arcem cauſæ, & jugulum Adverſarii petunt. *Non ſunt apud nos libri numero infiniti qui inter ſe diſſenſione diſcordent, aut qui loquantur pugnantia; ſed duo ſolum & viginti, temporis univerſi ſeriem complectentes, qui iidem jure optimo Divini*

eſſe

eſſe creduntur. Ex quorum numero quinque ſunt Moyſis qui leges & primum humani generis non ortum ſolum, ſed etiam propagationem uſque ad mortem ipſius Moyſis continent; quod quidem tempus tria prope millia annorum comprehendit. A Moyſis obitu uſque ad regnum Artaxerxis (qui poſt Xerxem rex Perſarum fuit) Prophetæ qui Moyſis ætati proximè ſuccreverunt, res geſtas ſuorum temporum tribus & decem libris conſcripſerunt. Reliqui quatuor, hymnos ad Deum laudibus efferendum compoſitos, & monita hominum vitæ rectè inſtituendæ accommodata complectuntur. A tempore Artaxerxis, uſque ad hanc noſtram ætatem ſingula quidem ſunt ſcriptis prodita; ſed pari fide & authoritate cum ſuperioribus propterea non dignantur, quod ab eo

tempore

tempore ad noſtram memoriam uſque, non continua explorateque perſpecta fuit Prophetarum ſucceſſio: Cæterum quantum fidei & authoritatis noſtræ Scripturæ libris tribuamus, reipſa ſatis perſpicuum eſt. Nam tanto & tam diuturno ævi curriculo decurſo, nemo illis vel addere, vel adimere, vel quicquam denique in eiſdem commutare auſus eſt. Imò quod rata Dei præcepta decretaque ſint, pro certo exiſtimare, iiſdemque firmè adhæreſcere, & pro illis ſi opus ſit vitam libenter profundere non dubitare, omnium Iudæorum animis ſtatim ab ineunte ætate quaſi inſitum & innatum eſt.

Quod ſi necdum his acquieſcit Præadamita, audiat ſaltem Cardinalem Bellarminum *lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 2. ita poſt Origenem

lib. 8.

lib. 8. *in Eſajam* & Hieronymum ex illo *ad Eſ:* 6. ita argumentantem. *Si Scripturas Hebræi aliquando corruperunt, vel id fecerunt ante Chriſti adventum, vel poſtea: Si antea, quare Chriſtus & Apoſtoli, nunquam eos de tam inſigni crimine reprehenderunt, præſertim cum leviora non tacuerint? Quare Dominus ait* Ioh: 5. *Scrutamini Scripturas: & Matt:* 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcunque ergo dixerint vobis ſervate & facite? Cui credibile erit Chriſtum ad Scripturas legendas, ſine ulla præmonitione homines invitaſſe? vel ad corruptores audiendos & ſequendos amandaſſe? Sin autem poſt Chriſti adventum id factum eſt, quo pacto teſtimonia quæ à Chriſto & Apoſtolis citantur, omnia ferè inveniuntur nunc* (potu-

iſſet

iſſet omitti à Bellarmino hæc particula dubitandi) *in Moſe & Prophetis ut ab illis citata ſunt? Numquid fortè ſic ea protulerunt, ut per Spiritum cognoſcebant depravanda poſtmodum à Iudæis fuiſſe? Igitur ſi nec ante nec poſt Salvatoris adventum, ſacræ literæ ab Hebræis vitiatæ ſunt; illud certe ſequitur ut nunquam vitiatæ ſint.*

At, inquit Præadamita, *negari certè non poteſt quin ſint Apographa quæ leguntur in libris Ioſue, Regum & Paralipomenon:* Imò vero pernego hos libros, quoſcunque authores habuerint, eſſe meræ humanæ induſtriæ excerpta, ex libris Divinorum Authorum qui perierint. Nam ſunt pars ſacræ illius Scripturę quam totam θεόπνευστον pronunciat Apoſtolus, & à Scriptoribus Novi

Teſtamenti

Teſtamenti, ſub elogiis *Scripturæ, Verbi Divini, Prophetarum*, citantur & laudantur.

At, inquit, *Miraculum Joſue quo increpante Sol & Luna ſteterunt, manifeſto Apographum eſt; Scriptum enim legas cap.* 10. *libri illius, Steteruntque Sol & Luna donec ulciſceretur ſe Gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt in libro Iuſtorum? Exceptum inquam ex libro illo Iuſtorum, qui ex libro alio (fortaſſean autographo) exceptus fuerat.* Hîc ſane plura poſſent obſervari; Nam nec ספר הישר *Sepher hajaſchar* ſignificat *librum juſtorum* ſed *librum juſti*, ſi appellativè illa vox ſumi debeat; nec deſunt qui eam ſumant propriè; nec poteſt eſſe titulus ſpecialis libri, ſi דּ״ת הישר *hajaſchar* nomine Judaica gens intelligatur, cùm omnes libri

ſacri

ſacri illius fuerint, ut pote cui eloquia Dei fuerant concredita Rom: III,2. Pſal:CXLVII,19.20. Tum verba Joſuæ, reſpicientia ad librum Juſti non neceſſariò ſpectant ipſum Miraculum quaſi ibi narratum, ſed poſſunt reſtringi ad vindictam & victoriam divinitùs Iſraelitis conceſſam de ſuis hoſtibus: Eam enim fuiſſe promiſſam in libris Moſis de Amorrhæis, Hamelechitis & aliis, nemo ſanus negaverit. Adhæc potuerit Joſua librum hunc citare, ceu teſtem apud vicinas aliquas gentes, quarum fuerit, illius ipſius Miraculi quod factum narrabat; non verò hanc hiſtoriam ex illo excerpere. Qui dicit ea quæ narrat alibi quoque legi, non ſtatim excerpit ex aliis. Præterea, dato non conceſſo benè Theodo-

retum ſenſiſſe *ad hunc locum*, revera *librum Juſti* fuiſſe veterem commentarium, ex quo hiſtoria libri Joſuæ ab incerto nobis authore per compendium collecta fuerit, inde tamen non ſequeretur vel veterem illum commentarium fuiſſe θεόπνευςον, vel ſaltem θεόπνευςον non eſſe hanc ipſam Joſuæ hiſtoriam ex illo compilatam. Qui hodie defendunt libros Maccabæorum eſſe Canonicos & per divinam inſpirationem conſcriptos, non tamen negant ſecundum ſaltem excerptum eſſe, ut Author præ ſe fert, ex Commentariis Iaſonis Cyrenii, Scriptoris profani. Igitur ſi dixero libros Joſuæ, Ruth & Judicum, à Samuele Propheta fuiſſe divinitùs conſcriptos, juxta ea rerum priùs geſtarum monumenta quæ extabant ſuo tempore

pore, inter quæ fuerit & iſte liber hîc citatus, an inde quicquam peribit Authoritati Divinæ illorum librorum, aut eos minus authenticos faciet? Neutiquam. Sanè videntur Scriptores N. T. auſpicium facere à Samuele, ubi Prophetas à Moſe diſtinguunt, ut apparet ex locis Act: III,24. XIII,20. Unde nonnulli haud omninò improbabiliter colligunt Samuelem fuiſſe inter Scriptores ſacros primum Prophetarum à lege Moſis & Pſalmis diſtinctorum per Chriſtum Luc: XXIV,44. juxta diſtributionem ordinariam Librorum Sacrorum Judæis uſurpatam, in תורה *thorah*, ideſt Legem, quæ Pentateucho Moſaico continetur, נביאים *Nebiim* ideſt Prophetas, quorū alios priores faciunt, alios poſteriores, & כתובים *Cethubim* ideſt hagiographa. [*** 2] Ex

Ex his autem ſoluitur alia Præadamitæ inſtantia his verbis expreſſa; *Nihil verò frequentiùs occurrit in aliis tractatibus. Ecce ſcripta ſunt vel in libris Nathan, vel in libris Gad vel in libris ſermonum dierum, regum Iſrael, & regum Iuda; vel in verbis Iehu filii Hanani, vel in ſermonibus Hoſai, vel apud Iſajam prophetam, ſuo illo hiſtoriarum libro qui lumine caſſus eſt: &c. Quacunque ſcilicet leguntur, vel apud Reges, vel in Chronicis, collectanea ſunt deprompta ex libris Nathan, Gad, Iehu, Hoſai, Iſajæ, &c. unde hauſta & compilata, ſuo ſibi auctorum ipſorum indicio evidentiſſimè deprehenduntur.* Certè etſi libri Regum & Chronicorum excerpta fuiſſent aliunde, inde non ſequeretur illos θεοπνεύςους non eſſe, Chronicorum Authorem

Eſdram

Eſdram fuiſſe, Scriptorem utique θεόπνευςον, & quem Judæi ipſi dicunt fuiſſe Prophetarum ultimum qui Malachiæ nomine exprimitur, hactenus nemo ferè dubitavit: Cùm autem ille ſcripſerit poſt reditum ex captivitate Babylonica, mirum non eſt eum ſuos Lectores ſubinde remittere ad ea quæ prius conſignata fuerant à Samuele, Nathane, Gad, Iehu &c. ideſt quæ revera continentur libris duobus Samuelis & duobus Regum, quos à Samuele, Nathane, Gade, aliiſque viris Prophetis collectos & ſucceſſivè continuatos, probabiliſſimum eſt.

Etenim primum hæ Prophetarum citationes non extant niſi in Paralipomenis: Deinde fiunt de rebus quæ revera narrantur in libris

 Samuelis

Samuelis & Regum. Sic dicitur 1 Paral: XXIX, 29. *Res autem Davidis regis priores & poſteriores ecce ſunt ſcripta in verbis Samuelis videntis, & in verbis Nathanis Propheta, & in verbis Gadis videntis*, ideſt revera, ut benè Junius explicat, *in duobus libris Samuelis, quorum partes hi qui nominantur conſcripſerunt.* Sic de rebus Joſaphati citatur Jehu filius Hanani qui eas juſſus fuerit, utique à Deo, *referre in librum regum Iſraelis* 2. Paral: XX, 34. quo conſtet illum Prophetam extitiſſe cum Nathane, Achija & Jedhone ſive Hedone 2. Par: IX, 29. XII, 15. XIII, 22. inter Scriptores ſacros divinitùs inſpiratos, librorum Regum, qui continent ſummariam hiſtoriam regum Judæ & Iſraelis. Idem dicendum de rebus geſtis

Oziæ,

digeſtis ab Eſaja Propheta 2. Par: XXVI,22. in libro ſecundo Regum, quorum ſibi coævorum hiſtoriam divinitùs conſcripſit, prout quoq; illa quę commemorantur de Ezechia & illius benignitatibus 2 Paral: XXXII, 32. ceu ſcripta *in viſione Eſajæ filii Amotzi Prophetæ præter librum regum Iehudæ & Iſraelis*, leguntur de facto apud Eſajam *cap.* 36. 37. 38. & 39. & 2. Reg: *cap.* 9. & 20. ut lumine caſſus ſit Præadamita, qui lumine caſſa ſcripta Eſajæ citata in Chronicis audet aſſerere.

Prout autem quoties citantur in Chronicis libri regum Judæ & Iſraelis, intelliguntur duo libri *Regum* ſic nominatim dicti, per varios Prophetas ſucceſſivè conſcriptos, ita quoties commemorantur in libris ipſis Regum, *libri Chronicorum*

ſive regum Iudæ aut Iſraelis, quod fit ſæpiùs, ut 1 Regum XI,41. XIII, 19. XV,7.23.31. XVI,9.18.24.31. intelliguntur Hiſtoriæ & Tabulæ politicæ rerum in utroque regno geſtarum, ex quibus quamdiu extabant poterat hauriri earum accuratior notitia; cùm ſtrictim tantum & quantum eſſet ex ędificatione Eccleſiæ commemorarentur in ſcriptis Propheticis: Iſtiuſmodi quoque videntur fuiſſe Sermones Hoſai de rebus Manaſſis, commemorati 1 Paral: XXXIII,29. ſiquidem hic Author nec Videns nec Propheta ab Eſdra nuncupatur.

Sed quoniam præcipuum conamen Præadamitæ incumbit in Moſis pentateuchum, quod intelligat ejus authoritate labefactatâ, ceu Scripturarum Divinarum ſubruto fundamento,

fundamento, reliquam ædificii molem ſuapte corruituram, debet ſpeciatim ab illius ſtrophis & cavillis vindicari. Pertendit autem & libros ipſos à Moſe conſcriptos periiſſe, in quibus juxta ſuam imaginationem fuſè Moſes deſcripſerat *Judæorum ſuorum faſtos à prima origine & Adamo ſanguinis Judaici auctore, ad ſua uſque tempora, tum etiam rerum omnium Geneſim ante Adamum conditum*; & eorum excerpta duntaxat & ſchediaſmata quædam tumultuaria ſupereſſe; unde vult factum, *Quod mundi creatio* quæ fuſiùs multo, ut retur, deſcripta à Moſe fuerat, *capite primo & unico Geneſeôs breviſſimè abſolvatur*; *Quod dehinc Adæ formatio*, (quam ſtolide diſtinguit à prima hominum creatione de-

 ſcripta

ſcripta *cap.* 1. ut oſtenſum à nobis quæſt. 2. hujus noſtri tractatus) *Evæ ædificatio & peccatum Adæ capitibus ſecundo & tertio curioſiùs paullo deſcribantur: Quod denique capitibus quarto & quinto, quæ à Caino ad Noachum extenduntur, totius ante diluviani temporis percurratur hiſtoria*, etſi verosimile non ſit duobus iſtis capitibus comprehendi potuiſſe, *quæcunque toto orbe terrarum vel acta vel inventa ſunt per ſpatium mille ſexcentorum annorum & ultra.*

Si tamen debeat eloqui veritatem, fatebitur non alia de cauſa ſe Moſi iraſci, quam quod ſuos Præadamitas apud ipſum non reperiat: cùm aliàs non neſciat neminem eſſe Chriſtianorum, qui dicat quarto & quinto capitibus Geneſeôs

neſeôs hiſtoriam contineri accuratam omnium factorum in primo mundo; & omnes in eo conſentiant Moſem ſatis habuiſſe res antediluvianas carptim ſcribere, & quantum ex illis ſciri ad ſalutem Eccleſię ſpectabat. Et licet nolimus *negare* Præadamitæ potuiſſe fieri, *quæcunque ſalvis fidei myſteriis, naturali & rectâ argumentandi viâ fieri potuiſſe demonſtrarentur, propter hoc ipſum tantum quod duo illa compendioſiſſima capita nullam eorum expreſſam mentionem faciant*; attamen ut *ratione incolumi*, nemo poſſit colligere ex compendioſa illa narratione hęc duo capita à Moſe ipſo non fuiſſe conſcripta uti jacent, ſed ex multo fuſiori narratione Moſis, à quodam parum fœlici Epitomatore in illud compendium fuiſſe

redacta ; ſic non ſtatim facta debemus aſſerere quæcunque fieri potuiſſe putamus, ſi lumen omne Hiſtoriæ, tam ſacræ quam profanæ, noſtris aſſertionibus defuerit.

Quin etiam quam nullo probabili argumento fingit hic homo multos *ſcriptores Moſe antiquiores fuiſſe*, ex quibus didicerit quæ ſcriberet, & *Hebræos* jam ſcripſiſſe *ante Moſem*, imo & apud *Phœnices* (qui *ab Hebræis loqui didicerant*, ut obſervant eruditi *Samuel Petitus in Miſcellaneis & Clariſſimus Bouchardus in ſuo Phaleg*), *literarum uſum longè ante Moſem fuiſſe*, tam Achriſtianè aſſerit ipſos Moſis libros periiſſe, neque *pentateuchum Moſis ipſius fuiſſe autographum*, ſed *excerptum* ex genuinis libris Moſis *ab alio quodam*, gene-

rali

rali eo fundamento, quod ipſius verbis referri meretur: *Fatum idem quod exemplaria profana illaque innumera abſtulit, autographa ſacra abſumpſiſſe quam plurima, meo mihi ſum conſcius & promus pectori.* Hic equidem audio Pythagoricum αὐτὸς ἔφα; Sed cui facile iſtud reponam, *Equo ne credite Teucri.* Certè qui dixerit plurimos ideo periiſſe libros divinitùs conſcriptos in normam fidei & morum & ad perpetuæ Eccleſiæ ædificationem, quod multa ſcripta profana tempus edax rerum conſumpſerit; perinde argumentaretur ac ſi diceret animas hominum interire quia pereunt animæ brutorum. Imò ſi qui libri perierint eo ipſo nunquam fuerunt de Canone ſacro, quem integrum perennare & permanere ſemper curavit Pro-

redacta ; ſic non ſtatim facta debemus aſſerere quæcunque fieri potuiſſe putamus, ſi lumen omne Hiſtoriæ, tam ſacræ quam profanæ, noſtris aſſertionibus defuerit.

Quin etiam quam nullo probabili argumento fingit hic homo multos *ſcriptores Moſe antiquiores fuiſſe*, ex quibus didicerit quæ ſcriberet, & *Hebræos* jam ſcripſiſſe *ante Moſem*, imo & apud *Phœnices* (qui *ab Hebræis loqui didicerant*, ut obſervant eruditi *Samuel Petitus in Miſcellaneis & Clariſſimus Bouchardus in ſuo Phaleg*) *literarum uſum longè ante Moſem fuiſſe*, tam Achriſtianè aſſerit ipſos Moſis libros periiſſe, neque *pentateuchum Moſis ipſius fuiſſe autographum*, ſed *excerptum* ex genuinis libris Moſis *ab alio quodam*, generali

rali eo fundamento, quod ipſius verbis referri meretur: *Fatum idem quod exemplaria profana illaque innumera abſtulit; autographa ſacra abſumpſiſſe quam plurima, meo mihi ſum conſcius & promus pectori.* Hic equidem audio Pythagoricum αὐτὸς ἔφα; Sed cui facile iſtud reponam, *Equo ne credite Teucri.* Certè qui dixerit plurimos ideo periiſſe libros divinitùs conſcriptos in normam fidei & morum & ad perpetuæ Eccleſiæ ædificationem, quod multa ſcripta profana tempus edax rerum conſumpſerit; perinde argumentaretur ac ſi diceret animas hominum interire quia pereunt animæ brutorum. Imò ſi qui libri perierint eo ipſo nunquam fuerunt de Canone ſacro, quem integrum perennare & permanere ſemper curavit Pro-

videntia divina ; Stella cadens ſtella non fuit : *Qui cecidit ſtabili non erat ille gradu.*

Moſis autem revera eſſe quinque libros ſacros qui ejus nomine in hunc uſque diem circumferuntur, non ſolum comprobat univerſalis & conſtans aſſertio tùm Judæorum omnium & ipſorum etiam Samaritanorum, qui nihil ex Scripturis ſacris præter Pentateuchum recipiunt, tùm omnium omninò Chriſtianorum, ſi Præadamitam excipiamus, ſed etiam luculenter confirmant omni exceptione teſtes majores (quos ſi audiret iſte homo non neſciret *quo auctore ſatis idoneo compertum ſit pentateuchum, Moſis ipſius fuiſſe autographum,*) Chriſtus & Apoſtoli, qui frequentiſſimè pentateuchum Moſi

tribuunt,

tribuunt, imò hos libros ceu à Moſe ſcriptos nomine Moſis exprimunt & commendant; nunquam ita loquuturi ſi verum Moſem non haberemus in his libris, ſed Moſis duntaxat inconcinnum abbreviatorem, & ut iſte homo blaſphemat frequentem depravatorem: Etſi Juſtinus Trogi Pompei epitomen confecerit, & Solinus Plinii, nemo tamen ſanus Juſtini libros Trogi Pompei, aut Solinum polyhiſtora Plinii nomine perpetuò citabit.

Quia tamen varias Præadamita profert cauſas *quare libros quinque illos, non Moſis archetypos, ſed excerptos & exſcriptos ab alio* credat; ordine & paucis illę veniunt excutiendę; *Imprimis*, inquit, illa eſt, *quod in illis legitur Moſes mortuus. Qui enim potuit Moſes ſcribere poſt mortem*

mortem ſuam? Ioſue ajunt addidiſſe mortem Moſis capite ultimo Deuteronomii. Verum quis addidit mortem Ioſue ipſius capiti ultimo libri illius qui Joſué inſcribitur, quique à Joſue ipſo conſcriptus, ut pentateuchum à Moſe, reputatur? Sed hæc ratio frivola eſt. Non ſequitur enim Peutateuchum non eſſe Moſis, eo quod illius ultima pericopa, quę Moſis obitum refert, ejus eſſe nequeat. Non ideo non ſunt Cæſaris Commentarii qui ejus nomine circumferuntur, etſi aliquod illis ſupplementum ab Hirtio Panſa acceſſerit. Quâ autem ratione Joſue Moſis ſucceſſor divinitùs deſignatus, vel illorum temporum ſummus ſacerdos Eleazar, hoc ultimum caput, aut ſaltem octo ultimos illius verſus Deuteronomio adjecit ex nutu divino, (id ma-

(id malim ſtatuere , quam adſtipulari Joſepho apud Sixtum Senenſem *Bibl. Sanctæ lib.* 1. ſtatuenti *quod Moſes mox moriturus, ſeipſum in ſacris voluminibus mortuum ſcripſerit, veritus ne propter excellentes virtutes ſuas, Iudæi ſe à Deo raptum* prædicarent) eadem potuit addi ſive ab Eſra ſive à Samuele, ad calcem Joſuæ , ſi ipſe librum cui ejus nomen præfixum eſt ſcripſit, (nec enim de eo omnes conſentire ſuprà inſinuavi) quæ ad illius ultima & εὐθανασίαν ſpectant.

Pergit Præadámita : *Legitur* inquit , *Deuteronomii cap.* 1. *Hæc ſunt verba quæ loquutus eſt Moſes trans Iordanem : Quæ ſi ſcripſiſſet Moſes, repoſuiſſet cis Iordanem : Non enim tranſilierat Moſes Jordanem ; imò neque illum vadavit unquam.*

Dixit

Dixit autem trans Jordanem qui Deuteronomium congeſſit, quia in terra ſancta erat, cuique adeo locus ille in campeſtribus Moab, *ubi Moſes Judæos extremum alloquutus eſt, trans Iordanem erat. Illud autem trans Iordanem repetitum multoties à Moſe reperias Deuteronomio eodem; quod revera illi fuerat cis* Iordanem. Verùm hîc impoſuit bono Viro imperitia linguę Hebraicę: Si enim textum originalem contuliſſet, reperiiſſet in eo legi בעבר הירדן *Bagnaver hajarden*, ideſt revera è regione Jordanis, ſive ad illius vadum & latus: ut etiam Thargum reddidit *in latere* I*ordanis*, ut notat Schindlerus, & etiam Arias Montanus *in tranſitu Jordanis*, ideſt quâ parte tranſiri vel vadari debebat; Obſervant etiam Grammatici, quod illa particula בעבר ſi quando

quando Præpoſitionis naturam induat, non minus *cis*, quam *trans* & *ultra* ſignificet. Unde etiam Junius, Vatablus, aliique peritiores interpretes, illam Deut: 1, 1. reddunt *cis*; Tractat de hac particula Salomon Glaſſius *Philol. Sacræ lib.* 3. *tract.* 6. *can.* 10. ubi fusè demonſtat Hebraicum עבר & Græcum πέραν, non ſemper ulteriorem partem loci ſignificare, ſed etiam citeriorem, & ut notat Doctiſſimus Caſaubonus in *notis ad Joh:* 1, 28. omnem τὴν παραποταμίαν, quò facit locus expreſſus Matt: IV, 15. Quid quod potuerit Moſes dici iſta loqui *trans Jordanem*, non per reſpectum ſitus ſui, ſed per reſpectum terræ promiſſæ, quæ mox erat adeunda? Nam ita Galli poſſunt ſe vocare tranſalpinos ſtylo veterum Romanorum,

Romanorum, etſi non reſpectu ſui ſitus in Gallia, ſed reſpectu Italiæ àqua per Alpes diſterminantur. Hac enim ratione vulgatæ verſionis ſphalma excuſant ut plurimum qui illi mordicùs volunt adhærere: Videatur Deut: IV, 46. & Num: XXXII, 32.

At, *Laudatur Num cap.21; parœmia ſumpta ex libro cui titulus erat Bellorum Domini*; *Laudari autem non potuit* liber ille ab ipſo *Moſe*, cujus tempore, *neque conſcriptus erat neq; ſcribi potuerat*; Quare credi mallit, librum hunc *longo poſt Moſem tempore*, ex diurnis Moſis commentariis conflatum fuiſſe; *à quo deinceps Numerorum liber exceptus fuerit, qui proinde in autographum, neque dum vero apographum ex autographo ipſo exſcriptum, ſed verè & reapſe*

reapſe apographum apographi reputari debuerit. Sed primò etſi illa parœmia & citatio libri Bellorum Domini, non eſſet à Moſe, ſed ab alio aliquo Scriptore θεοπνεύστῳ ejus textui inſerta, eadem manu quâ Moſis obitus recenſetur ad calcem Deuteronomii, inde non ſequeretur reſiduum librum à Moſe ipſo conſcriptum non fuiſſe; ut non deſinunt in corpore Juris illæ leges cenſeri eorum vel Juriſconſultorum vel Imperatorum eſſe quorum nomina præ ſe ferunt, licet quibuſdã ex illis Tribonianus credatur ex mandato Juſtiniani aliquid inſeruiſſe.

Deinde tam facilè poſſim ſupponere tempore quo hæc ſcribebat Moſes jam talem librum extitiſſe, vel ab aliquo ex populo aut ipſo etiam Moſe in uſum Civilem, vel

vel in ipſa vicinia & in hoſtico editum, ad quem reſpexerit, ac fingit Præadamita hunc librum diu poſt Moſem ex illius commentariis conſarcinatum fuiſſe. Etenim Moſes non ſcripſit librum Numerorum illo ipſo tempore quo res quæ ibi narrantur geſtæ ſunt, ſed diu forte poſtea; adeo ut interea potuerit extare tale ſcriptum civile, quo contineretur catalogus rerum inſignium eo uſq; fœliciter geſtarum ab Iſraele ſub Jehovæ auſpiciis. Præterea nulla nos cogit neceſſitas, ut hîc librum aliquem præexiſtentem intelligamus; tùm quia vox ספר *Sepher* non neceſſariò librum, ſed quamlibet *narrationem* & *denumerationem* ſignificat, uti notum, tùm quia textus originalis habet hîc futurum יאמר *Ieamar*, *dicetur*, ut ideo R. Menachem

nachem apud Sixtum Senenſem *Bibl. lib.* 2. ſtatuat hic à Moſe referri revelationem ſibi olim divinitus factam, Deum *eadem facturum in torrentibus quæ fecerat ad mare rubrum:* Quamvis omnibus penſiculatis, expeditiſſima ſit hujus nodi ſolutio, quam habet Eugubinus, & idem Senenſis *ibid.* his verbis refert; *Auguſtinus Chiſamenſis Epiſcopus cenſet librum Bellorum Domini non eſſe volumen aliquod, in quo bella conſcripta ſint, ſed narrationem quandam quæ tum apud Hebræos communi omnium ore ac voce narrabatur, quia quod Hieronymus vertit* Librum *Hebraicè* ספר Sepher *dicitur, quod non tam librum ſignificat quam narrationem & connumerationem à verbo* ספר Sipher *id eſt narravit, & verbum illud* Dicitur *quod apud nos ponitur*

in

in præſenti, apud Hebræos ponitur in futuro יאמר Ieamar, *ideſt* Dicetur, *indicat Moſem loqui, non de re jam conſcripta ſed de re in poſterum narranda; ut ſenſus verborum ejus ſit,* unde dicetur in libro Bellorum Domini, *hoc eſt cum Bella Dei recenſebuntur à poſteris, hoc quoque dicetur, quod ſicut fecit Deus in mari rubro, ita fecit in torrentibus Arnon.*

At *indicant longiſſimè poſt Moſem ſcripta quæ leguntur Deuteronomii cap. 3.* Iair *filius Manaſſe poſſedit omnem regionem Argob, vocaturque ex nomine ſuo Baſanhanoch Iair uſque in præſentem diem. Non dixiſſet Moſes* uſque in præſentem diem, *ſi hæc ſcripſiſſet. Vix enim poſſidebat Iair ipſe villam illam ſuam quo tempore introducitur Moſes hæc dicens.*

diceni. Verùm nihil minus importat hæc formula quam longiſſimam temporum ſucceſſionem ; cùm ſignificet duntaxat locum ita ſemel denominatum talem eo uſque denominationem retinuiſſe. Nec credibile eſt excerptorem Moſis, qualem hîc ſomniat Pręadamita, tam ſtolidum futurum fuiſſe, ut Moſem ipſum introduceret utentem has phraſi, ſi neceſſariò ſpectaſſet longum tempus quod poſt obitum Moſis effluxerit. Nec dubium quin Moſes ſatis diu poſtquam hæc evenerant Deuteronomium ſcripſerit, ut eo magis illâ formulâ potuerit uti, quo comprobaret quietam poſſeſſionem illorum locorum eouſque remanſiſſe filiis Iairi, licet tot hoſtibus undique cinctis. Ita ſignificabat Jacob

Eſau Gen: XXXII, 4. ſe moratum fuiſſe apud Labanem in illum uſque diem: & Deum dicebat ſe paviſſe in illum uſque diem Gen: XLVIII, 15. & ita monet Moſes Iſraelitas Deut: V, 4. eos ex illis qui adhæſerant Domino vixiſſe in iſtum uſq; diē. Quibus in locis, nihil minus quā longiſſimū quod præceſſerit tempus, etiam per aliquot ſæcula, denotatur.

At, *tale eſt Deuteronomii ejuſdem illud capite eodem tertio; Solus Og Rex Baſan ſuperfuerat de ſtirpe Gigantum; Monſtratur lectus ejus ferreus qui eſt in Rabbath filiorum Ammon. Quorſum enim attinuiſſet Moſem dixiſſe Iudæis, monſtrari lectum ferreum Regis Baſan in Rabbath filiorum Ammon, unde magnitudinem Gigantis illius diſcerent? Quorſum inquam opus erat Iudæos alio mittere,*

mittere, ut lectum Gigantis viderent, qui Gigantem ipſum coram in terra ſua viderant, vicerant, & campis Baſan ipſis proſtratum, vulgo menſi erant? Satius multo fuerit crediddiſſe hiſtoriæ illius Scriptorem quo fidem acquireret de Rege & Gigante Og, cujus mentionem moverat, quique longiſſimè ante ejus tempora extinctus erat, teſtem certiſſimum adhibuiſſe, lectum ejus ferreum, horrendas ſcilicet immanis Gigantis exuvias, quæ tempore illo viſerentur, non in Baſan, ubi jacebat Og, ſed locum mutantibus ſæculis, in Rabbath filiorum Ammon. Verùm hæ conjecturæ ſunt frigidiores quam ut fidem facere poſſint. Nam cùm Moſes hæc non ſcripſerit niſi aliquot poſt annis ab Iſraelitarum victoria, potuit non præſentibus & viventibus, ſed

poſteris & futuris, hoc monumentum commendare, apud ipſos Ammonitas viſendum, ne crederetur in majus omnia extuliſſe. Potuit autem illa Rabbath, quam Hieronymus *in locis Heb.* monet poſtea Philadelphiam dictam fuiſſe, & contermina erat ut liquet etiam ex Joſ: XIII, 25. Baſanitidi, lectum ferreum Regis Baſan, tempore quo hæc à Moſe ſcribebantur, aſſervare, ſive quod eò delatus fuiſſet poſt ipſius Og obitum, ſive potius quod antea illam quoque urbem iſte Tyrannus aliquamdiu inſediſſet. Nam ditionem Ammonitarum etiam dictam fuiſſe terram Gigantum, ſed hos ab Ammonitis jam expugnatos fuiſſe ſuo tempore, expreſſè monet Moſes Deut: II, 20.

Inſulſius multo eſt, quod obſervat

ſervat legi *etiam hæc Deut. cap. 2. In Seir prius habitaverunt* Hor*ræi, quibus expulſis atque deletis habitaverunt filii Eſau: Sicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis quam dedit ei Dominus. Significatur*, inquit, *his verbis Idumæos qui ſunt filii Eſau habitaviſſe montem Seir expulſis atque deletis Horræis, prioribus montis illius accolis; Judæoſq; deinceps montem eundem Seir habitaviſſe, nec non Idumeam ſibi à Deo in poſſeſſionem conceſſam aſſeruiſſe, expulſis viciſſim, atque deletis Idumæis*: Id vero operoſè probat, non ſub Moſe, ſed demum ſub Davide contigiſſe. Atqui falſiſſimum eſt dici in Deuteronomio Idumæos ab Iſraelitis expulſos fuiſſe ex monte Seir ut eum inhabitarent, ſicut

Idumæi priùs Horræos expulerant. Hæc enim non in Deuteronomio, ſed in phantaſia læſa Præadamitæ ſcripta ſunt. Nec aliud dicit Moſes com. 12. illius capitis, quam eodem modo jam ante pulſos fuiſſe Horræos ab Eſavi filiis ex monte Seir, quo recens tunc Amorrhæi & Cananæi obedientes Sehon & Og expulſi fuerant ex illo toto tractu Galaaditis quem Deus ſuis poſſidendum dederat.

Cùm autem his conjecturis nequeat vir iſte probare quicquam extare in libris Moſis quod ab ipſo & illius tempore ſcribi non potuerit, pergit tamẽ plus ultra, & probaturus *non eſſe archetypos qui reputantur Moſis libri Bibliorum quinque principes*, ſed *congeſtam illos eſſe apographorum farraginem*, ut minus

mirum

mirum ſit *tam multa in illis*, diſtorto ſuo judicio, *legi obſcura, confuſa, inordinata, trunca, & mutila, ſæpius repetita, omiſſa plurima, extra locum & ſedem poſita*, omninum horum ſpecimina ſtudet proferre, ne ſuis Blaſphemiis fides deſit, apud lectores ſaltem væcordes, & quibus volupe ſit hæc tam impiè in Sacra Dei oracula jactari. Singula breviter, & quo proponuntur ordine, percurramus.

Trunca ſunt, inquit, *quæ leguntur de Lamecho cap.4. Geneſeôs. Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum: Nuſquam enim apparet vir ille adoleſcentulus quem Lamechus occidit.* Sed poſito hæc narrativè & hiſtoricè eſſe ſumenda, quid opus fuiſſet Moſi iſtius cædis à Lamecho, ho-

mine profano, patratæ, omnes enarrare circumſtantias? Si interroges Judæos, quos hac in parte ſequuntur plurimi veterum & recentiorum, ut monuimus in hoc ipſo opere *quæſt.* 3. §. 26. dicent Cainum & Tubalcainum eodem die à Lamecho occiſos fuiſſe. Verũ iſta ab illo prolata ſunt potiùs Thraſonicè quam propriè narrativè, quod ſuperbiens ob artes à filiis ſuis repertas, jactaret apud ſuas Conjuges ſuam authoritatem, & quod quidlibet in quemlibet audendo, multo majorem impunitatem poſſet ſibi quam tritavum ſuum Cainum parare ac polliceri; Ideo oratio ejus eſt conciſa, qualis ſolet eſſe Thraſonum, & quam putat ὁ μακαρίτης Iacobus Capellus *Hiſt. Aug. pag.* 16. Poëticam fuiſſe,

fuiſſe, atque ita reddendam,

ô Tſilla & Ada audite ſermonem meum,
Vocem meam attendite Lamechi conjuges;
Pugni vel uno vulnere occidam virum,
Meoq; Juvenem tumice confoſſum dabo.
Si vindicetur ſeptulo Cain, Lamech
Se vindicabit ſepties ſeptuagies.

Quamvis etiam aliquid hic extaret obſcuri, an inde ſequeretur Scriptorem non fuiſſe θεόπνευστον, vel hanc narrationem Spiritum Sanctum immediatum authorem non habere? Id nec crediderit aut dixerit, ſi ſapiat, ipſe Præadamita, qui tam ſæpè inculcat *ænigmata* Scripturæ, *parabolas* Chriſti, Deum *in nebula*: Et optimè id dictum ab

Auguſtino *lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 6. Magnificè & ſalubriter Spiritus Sanctus Scripturas Sanctas ita modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret.* Sed ad noſtrum redeamus.

Mutila eſt, inquit, *hiſtoria quæ recenſetur cap.* 4. *Exodi de circumciſione filii Moſis; & mutila eo ipſo deprehenditur, quia qualis eſſe debuiſſet clarè conjicitur.* At ſanè in illa hiſtoria nihil mutili video; imò eo minus foret mutila, etiamſi non omnia plenè exponeret, ſi *qualis eſſe debuiſſet clarè conjicitur.* Id enim dictum quoque & ſcriptum voluit Spiritus Sanctus, quod clarè ex illis quæ ſcripta ſunt intelligitur & colligitur; *Subticet Orator quod rusticus edit ineptè*; ac ſicut benè monet

monet iterum Auguſtinus *lib. 3. contra. Maxim. cap. 3. Ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligimus.*

Pergit: *Tranſpoſitum eſt caput 20. Geneſeôs de peregrinatione Abrahami ad Abimelech regem Geraræ; Non enim veroſimile reputabitur Regem illum voluiſſe Saram vetulam cui deſierant fieri muliebria, quæque non poterat voluptati operam dare. Eadem reputa de Rebecca cap. 26. Geneſeôs ejuſdem, quæ inciderat in eundem vel alium Regem Geraræ Abimelech. Neque enim credibile eſt Regem illum cupiviſſe Rebeccam propter pulchritudinem ſuam, ut ſcriptum eſt; quia tum ſenuerat grandibus jam & adultis Eſau & Jacob filiis ejus.* At hoc non moviſſet Præadamita, ſi meminiſſet Adagii quod eſt familiare Rabbinis; *Non*

eſt in Scriptura prius & poſterius, ideſt non ſemper ex ordine narrationis ordo rerum geſtarum eſt colligendus: Habet Scriptura, habent & alii Scriptores, ſuas ὑϛερώσεις, per quas eorum fidei & authoritati nihil derogatur. Sed neque eò confugere debemus. Nam cum Sara vixerit adhuc poſt hæc tempora & conceptum Iſaacum 37. annos; cùm nihil antea ei periiſſet de ſuo vigore per labores geſtationis, partus, lactationis; cùm non ſit improbabilis Procopii conjectura, unà cum fœcunditate quam tum ei indulſit Deus, ejus priſtinam pulchritudinem refloruiſſe; cùm naturaliter videamus quaſdam mulieres ſeptuageſimo vitæ ſuæ anno, præſertim ſi ſteriles fuerint, florentiores & vegetiores

aliis

aliis quæ nondum quadrageſimum attigerunt; cùm potuerit idem evenire huic matronæ in ſua Senecta, quod legimus de Moſe jam nato annos 120. Deut:XXXIV,7. cujus *non caligaverat oculus neque fugerat viriditas ejus*, vel de Calebo Joſuæ XIV, 11. qui jam 85. annorum eam retinebat virium integritatem, quâ polluerat natus annos tantum 40. non eſt cur ſuſpicemur Moſem Gen: 20. ordinem temporis non ſequutum fuiſſe.

Idem poſſet dici de Rebecca, quamvis hoc contigiſſe antequam primogenituram ſuam vendidiſſet Eſau, adeoque per ὑςέρωσιν referri à Moſe, ſentiat Auguſtinus *Quæſt. 75. ſuper Geneſ.* Verum cùm neque idem hic Abimelech intelligatur qui in cap. 20. ſiquidem hoc nomen

men videtur fuiſſe communeRegibus Gerar, ut nomen Pharaonis Regibus Ægypti; nec dicatur Rebecca concupita à Rege, ſed tantum agnita uxor Iſaaci ex eo quod Iſaacum rex vidiſſet cum ea ludentem & familiariùs agentem quam ſi mera ſoror fuiſſet; nulla ſubeſt cauſa ſufficiens ullum ὕστερον πρότερον hîc ſuſpicandi: Quamvis noſtrum non ſit præſcribere Spiritui Sancto quo loco & quo modo unumquodque eorum quæ in Sacras Literas ad noſtram inſtitutionem relata ſunt, conſignanda curare debuerit.

Sed necdum finis eſt ineptarum cenſurarum; *Extra locum & tempus*, inquit iterum, *poſitum eſt quod legitur Deuteronomii cap. 10. Filii Iſrael moverunt caſtra ex Beroth filio-*

ſiliorum Iacan, in Moſera, ubi Aaron mortuus eſt. Deinde ibidem mox, Eo tempore ſeparavit tribum Levi ut portaret Arcam fœderis; Atqui longè ante Aaronem mortuum ſeparati fuerant Levitæ ad officium curandi tabernaculi & portandæ Arcæ, ſecundum Dei præceptum ſæpiùs & longè ante mortem Aaronis repetitum, tum in Levitico, tum in Numeris. Imò Aarone ipſo in vivis degente & ex quo perfectum fuit tabernaculum, quoties caſtra moverant filii Iſrael, toties Arcam portaverant Levitæ; At ſiquidem operam dabit Lector, veloci percurrat precor oculo caput hoc decimum Deuteronomii; & mortem Aaronis narrationi inſertam præpoſterè comperiet, in qua locus ad mortem illam nullus erat utibilis neque quicquam ad eam rem attinebat; Imò contra

contra rationem temporum ſcriptam eò loci deprehendet, ubi agebatur de lege lata in Sinai longè ante Aaronem mortuum. At verboſa hæc criminatio verbo dilui poteſt. Nam cùm in Deuteronomio ſit ſuccincta repetitio prætermorum, ibi Moſes occaſione fœderis renovati & Arcę conſtructæ, quaſi per parentheſim inſinuat proceſſum Iſraelitarum ſub ductu Arcæ, Levitis divinitùs commiſſæ, per aliquot primarias manſiones, in quarum ultima Aaron obierit & filium ſuum Eleazarem ſucceſſorem acceperit.

Nec quemquam moveat quod Num: xx, 23. & xxxiii, 37. dicatur Aaron mortuus ad Horem montem in finibus Idumeæ, at Deut: x, 6. dicatur mortuus in Moſera; Nam qui locus dicitur Hor

in

in Numeris, *Moſera* in Deuteronomio appellatur; cùm ſæpè diverſis nominibus eadem loca inſigniri in Scripturis, nemo neſciat; niſi malumus *Moſera* nomen eſſe generalius quod pluribus manſionibus conveniat, unde & plurali numero *Moſeroth* in Numeris exprimatur: Alii ante Præadamitam hanc difficultatem viderunt, cui quomodo obviam eant Magiſtri Judæorum videre eſt apud Menaſſeh BenIſrael *Conciliat. ſui p. 1. quæſt.* 160. Nolim hîc ſcribere commentarium in hæc loca, aut referre quæcunque illi ἐναντιοφανίᾳ tollendę ab aliis adferuntur: Satis eſto quod Moſes Deut. 10. meminit quidem Levitarum ſeparatorum ad Arcam portandam, & mortis Aaronis, ſed non dicit illam ſeparationem & mor-

mortem ſimul contigiſſe ; Nam quoad mortem Aaronis locum tantum in quo contigerit notat obiter com. 6. Quoad ſeparationem Levitarum, eam com. 8. dicit factam *tempore illo*, non utique quo mortuus eſt Aaron, ſed quo com. 5. Moſes tabulas fœderis à Deo acceptas Arcæ incluſerat. Niſi placuerit cum Cajetano poſt primam Levitarum ſeparationem ad id factam vivente Aarone Num: III, 6. ſecundam admittere poſt Aaronis obitum, ſub Eleazaro novo Pontifice, cujus fiat mentio Deut: x, 8. Nec præpoſterè ingeritur mentio mortis Aaronis, ubi repetebatur hiſtoria Arcæ conſtructæ & ſub illa per Synecdochem inſtituti cultus Levitici; cui Aaron tum, mortuus cùm hæc referebantur

tur, à Deo præfectus fuerat. Et qui legerit cum attentione hoc cap. 10. Deut: videbit iſta per trajectionem nec incommodam nec infrequentem ſacris literis interſeri à Moſe ſuo ſermoni, quod Arcæ fœderis conſtructæ mentio eò ipſum deduceret.

Nec plus ineſt ponderis ultimæ obſervationi Præadamitæ, quam exprimit his verbis; *Extra locum itidem & tempus ſcriptum cernas Exodi illud cap. 18. Venit Iethro cognatus Moſis & filii ejus & uxor ejus ad Moſem in deſertum, ubi erat caſtrametatus juxta montem Domini. Qua ratione enim potuit venire Iethro ad Moſem generum ſuum, poſt Judæorum exodum cum uxore* Moſis *& filiis ejus, ſi Moſes ipſe cum abiret à Jethro ſocero ſuo & reverteretur in*

in Ægyptum ante eandem exodum, atque ut illam faceret, dicatur diſertè tuliſſe uxorem ſuam & filios ſuos? Exodi ejuſdem cap.4. Sed nodum quærit in ſcirpo qui hîc ullam difficultatem videt; ſiquidem uxor Moſis cum ſuis filiis, vel propter circumciſionem irata ab ipſo diſceſſerit, ut nonnulli colligunt ex Exod: IV, 26. vel à Marito, ubi Aaron ipſi occurrerat, tantiſper ad domum paternam remiſſa fuerit, donec ſuâ legatione functus fuiſſet, cujus conſilii Aaraonem Judæi faciunt authorē, ut videre eſt apud Menaſſeh Ben Iſrael *Concil. p. 1. quæſt. 70.*

Prout autem in iſtis omnibus quæ congeſſit Præadamita in probrum Sacrarum Scripturarum, nihil eſt quod vel tantillum militet illius impietati, aut Divinam earum labe-

labefactet authoritatem, ita ſi quæ occurrunt in Scripturis ἐναντιοφανῆ, illa potius ſacram exigunt induſtriam quâ queant conciliari, in quo pio labore videmus ab ęvo omnes Sanctos Eccleſiæ Doctores deſudaſſe, quò maximè ſpectant libri Auguſtini *de conſenſu Evangeliſtarũ*, quam noſtras μεμψιμοιρίας & præpoſteras ac impias querelas de Numine, ac ſi ſecum in Oraculis ſuis dictandis ſatis convenire non potuiſſet. Hinc quamvis in hac triſti Chriſtianiſmi diviſione, illa *pars* quæ *unum toti* cupit *imponere mundo* ſollicitè ruſpetur quæcunque faciunt exaggerandæ vel difficultati vel obſcuritati Sacrarum Scripturarum, quò & vulgus ab earum lectione deterreat & omnes ab illarũ tribunali in rebus fidei ad infallibilitatẽ

Eccleſiæ

cleſiæ ob torto quaſi collo retrahat, nemo tamen hactenus inter Chriſtianos eſt repertus prę̨ter hunc qui inScripturis non modo *obſcura confuſa & turbata paſſim pleraque* dixerit, ſed etiam *quædam invicem pugnantia ut frigida calidis & ſicca humentibus*. Nemini huc uſque profitenti nomen Chriſtianum tam impia & diabolica vox exciderat.

Apageſit ergo Præadamita cum ſuo Atheologo & Achriſtiano conſilio, quo ſuadet inſudantibus in *illis* Scriptura locis, quæ in ſpeciem pugnare videntur, *conciliandis*, ut *nodos illos animadverſione* ſuâ reſcindant, ideſt abrogent Scripturæ authoritatem Divinã & infallibilẽ; quod revera foret nodos non dextrè ſoluere, ſed impietatis acinace reſecare: Appoſitè ſanè ex methodo impio-

impiorum Socinianorum, quorum paſſim hæreſes adoptat ac veſtigia premit: Hi enim ut finiant lites de præſentia carnis Chriſti in Cœna negant nunc Chriſto ullam carnem convenire; & controverſias de purgatorio & invocatione Sanctorum novâ ratione compoſituri, impudenter inficiantur mortuos ſupereſſe aut animas humanas poſt animalia humana remanere.

Imò quã infœliciter, non ſine juſto & occulto Dei judicio, verſatus *fuerit* circa Scripturam potius detorquendam quam explicandã ex ſuis non tàm hypotheſibus & principiis quam ſtultis ſuppoſitionibus & deliriis, toto hoc opere circa quæſtionem de Præadamitis luculenter oſtendo: Παρέργον eſt, nequ[illegible] ullo modo ad ſuum ſcopum faciens, quod

quod habet *lib.* 4. *Syſt. cap.* 6. *per totum* cujus hoc eſt lemma, *Vbi ſit miraculum de non attritis Judæorum veſtimentis in deſerto & de calceamentis eorum vetuſtate non conſumptis.* Hîc autem homo væſanus receptiſſimam Chriſtianorum hujus miraculi deſcriptionem, ex Deut: XXIX, 5. naſo ſuſpendit adunco, & eam traducit tanquam portentoſam, futilem, & *puerorum naniis* annumerandam, ac negat miraculoſè fuiſſe conſervata veſtimenta & calceamenta Iſraelitarum in deſerto per 40. annos, ſed totam rationem hujus dicti aſſerit hanc fuiſſe quod omnium rerum copia adfuerit Iſraelitis, ut facile potuerint ſubinde veteribus nova mutare.

Verum primò militat nobis unanimis

nimis conſenſus Judæorum & Chriſtianorum. R. Salomon, ut notat Lyranus *ad* 8. *Deut.* monet pueris veſtimenta creviſſe cum eorum corporibus. Tertullianus *de reſurr.* *Hæ figuræ noſtræ fuerunt ut Dominum potentiorem credamus omni corporum lege, & carnis utique magis conſervatorem cujus etiam veſtimenta & calciamenta protexit.* Eodem faciens teſtimonium Auguſtini *lib.* 1. *de pecc. merit. & rem. cap.* 3. citavimus hoc opere *quæſt.* 4 §. 10. Militat & nobis ipſa Scriptura: nam hoc ipſum inculcatur tanquam grande miraculum Deut: VIII, 4. & Nehem. IX, 21. Quin Deut: VIII, 3. 4. & XXIX, 5. Moſes ſatis inſinuat non minus miraculi apparuiſſe in re veſtiaria Iſraelitarum quam in eorum re cibaria, ut non

minus illa per ordinaria media mirabiliter conſervata, quam hæc per media planè ſupernaturalia & extraordinaria proceſſerit. Quod ſi ſubinde mutaſſent veſtes & calceos, partim ex gregum quos paſcebant in deſerto exuviis, partim ex hoſtium manubiis, partim ex mercimonio cum vicinis, nihil tantopere miri & quod ita mereretur inculcari in eo fuiſſet; Sed in eo eluxit ſpecialis Dei Providentia erga Iſraelitas, quod etſi potuiſſent utcunque veſtes alias prioribus detritis ſibi parare, & in illo motu ferè perpetuo artes ſellularias, quod tamen haud ita facile fuiſſet, exercere, iſti neceſſitati fuerint ſubducti jugi & miraculoſâ priorum ſuarum veſtium conſervatione.

Nempe tantæ molis erat huic homini

homini Præadamiticam condere gentem, ut ideo debuerit Atheiſmi virus ſuis Lectoribus propinare, & pectoris male ſani pus omne in Dei Verbum evomere.

Sed ut ad ipſum mea hîc ſe convertat oratio, Quid quæſo, Vir Docte, ex iſto molimine ſperaſti utilitatis rediturum vel Reip. Literariæ, vel Eccleſiæ Chriſtianæ, ſi quæ adhuc illius te cura & ſollicitudo tangit? An non alia tibi honeſtior via patebat ad Famam & Celebritatem eâ quã olim Heroſtratus dicitur inſtitiſſe, incenſo Dianæ Fano, ut nomen ſuum poſteritati tranſcriberet? An cenſuiſti ita neglectum hactenus inter Chriſtianos Theologiæ ſtudium, ut debueris illi laboranti ſuppetias ferre novo illo tuo Syſtemate, quod multis riſui, indig-

nationi aliis, aliis contemptui fuit, tibi vero, nihil præter pericula, dedecus, infamiam, ex ſibilationem Eruditorum, procuravit? Pudeat & pœniteat te, Vir Docte, quod donis quæ à Deo fueras conſequutus abuſus ita fueris in contumeliam Verbi ſui, inſtar illius qui lucernam ſuam ad Aram Jovis accendebat, ut Templum ejus compilaret. Pudeat te & pigeat, quod hac impiâ, imprudenti & impudenti Scriptione in Rep. Chriſtiana tantum excitaveris ſcandalum, tantum probrum tuæ ipſius Genti conciliaveris in utroque Belgio, Fœderato & Hiſpanico; ac ſi ex illa Natione quæ conſtanter hactenus Ingenio, Pietate, Eruditione, Eloquentiâ, Fortitudine ſeſe Belgis multifariàm commendaverat, utrobique nunc exempla prodeant

Delirii

Delirii & Tyranicę impietatis: Teſtati ſunt Fœderatę Belgicæ Proceres ſolemni ſuo Edictos, quid ſentirent de tuo ſcripto quod totis ſuis Ditionibus proſcripſerunt & exterminarunt; Teſtati ſunt & Belgii Hiſpanici Primores quid judicarent de tuo libro, cujus gratiâ te ad carceres & vincula quęſiviſſe imò rapuiſſe feruntur: Pœniteat te & pudeat offenſionis datæ & quantum in te fuit ſtigmatis inuſti Eccleſiis Reformatis, quarum externæ Communioni diceris hactenus adhæſiſſe, dum illam ipſam Authoritatem ἀνυπεύθυνον & θεόπνευςον Scripturarum, quam illæ ſemper ſtuduerunt in arce reponere, elatâ in cœlum manu & abſque circuitione is everſum, & eos adoptas ac defendis errores à quibus ſemper alieniſſimæ

fuerunt. Pœniteat te & pigeat quod difficilibus tuis nugis, & quæ ridendæ forent niſi cederent in Numinis opprobrium, majorem fidem conciliaturus apud privatos quos hinc inde adiiſti, de magnorum Nominũ aſſenſu, falſò & contra viri boni officium gloriatus fueris; Non neſcimus enim ubi & quando Viros Religioſiſſimos, Facundiſſimos, ὀρθοδοξοτάτους, Reverendos Paſtores Eccleſiæ Reformatæ Pariſienſis quæ Carentone convenit, inter tuos ſuffragatores nominaſti, quod revera nihil aliud fuit quam illos falſo teſtimonio gravare, iiſque ea affingere à quibus remotiores ſunt quam cœlum à cœno: Id te jactaſſe, fruſtrà non dico: Conſtat id literis Viri Eximii & conſtituti in munere publico quo magna cum laude

à multis

à multis annis defungitur, ad me datis pridie Kal. Feb. hujus anni in hæc verba; *Audio te occupari in Præadamitarum Authore ac Patrono, D.N.N. refellendo. Non inutiliter collocaveris operam: Vereor enim, ne au thor iſte (cui præſens præſenti æſtate præteritâ, ultra horas duas in meis ædibus locutus ſum) facilè quosinfirmiores trahat in aſſenſum: Multa quippe luxare ſtudet benè poſita ac firmata: neque ineptè, ſi loquentem audias, ratiocinatur. Dixit mihi inter alia, quod miratus ſum maximè, ſeſe contuliſſe opinionem ſuam aut hypotheſim cum Miniſtris Charentonenſibus, neque eam illis diſplicuiſſe. Quid de rei ſit veritate, me latet.* Quo autem tibi & omnibus apud quos talia falſó jactaſti, de Calumnia conſtet, en apographum literarum ad me pronuper datarum

ab admodũ Reverendo & Doctiſſimo viro D. Johanne Meſtrezatio, uno ex illis, Theologo Conſummatiſſimo, unde conſtare queat, quid ipſe, quid Reverendi & Conjunctiſſimi ejus D. D. Collegæ, quid omnes Galliæ Eccleſiæ de te & tuis moliminibus ſentiant ac judicent.
L'autheur du liure des Preadamites ſ'eſt fait grand tort & à nos Egliſes, de mettre en lumiere un liure qui merite le feu comme taſchant d'aneantir l'hiſtoire de Moyſe & de la creation. Il n'y à aucun de nous qui ne le deteſte, bien que l'autheur ait veſcu juſqu'ici en la Profeſſion de la Religion, & que nous eſtimaſſions ſa perſone. Ie luy ai refuté ſes fondemens & luy ai fait voir que ſon liure combattoit la pieté. Depuis ce temps là, il ne nous a plus veu, ayant reconnu qu'il ne trouvoit pas ſon compte avec nous. S'il ſe donne noſtre approbation, je ne
ſcai

ſçai ſur quel fondement il le fait; nous n' accordons pas les tenebres avec la lumiere, & Belial avec Chriſt. Ie prie Dieu qu'il beniſſe voſtre labeur contre cette impieté & qu'il vous conſerve longues années à ſon Egliſe avec toute proſperité, vos labeurs eſtans ſi utiles à l'aduancement de ſon regne & à la defenſe de la verité. Ideſt, ut Latinè exprimā Summi Viri mentem & ſenſū nervoſum; *Author libri de Præadamitis magnam ſibi & noſtris Eccleſiis fecit iniuriam edendo in lucem librum qui ignem meretur: ut pote quo conatur annihilare Moſis & Creationis hiſtoriam. Nemo noſtrûm eſt qui illum non deteſtetur, quamvis Author hac uſque vixerit in profeſſione Religionis & ejus perſonam æſtimaverimus; Refutavi coram ejus fundamenta & oſtendi ſuum librum impugnare pietatem*

tatem: Ab illo tempore nos non vidit, cùm agnoſceret non poſſe apud nos reperiri quod ſibi placeret. Si ſibi tribuit noſtram Approbationem, neſcio ex quo fundamento id faciat; non conciliamus tenebras cum luce nec Belial cum Chriſto. Deum veneror ut benedicat tuo labori adverſus hanc impietatem & multos in annos te conſervet ſuæ Eccleſiæ cum omni proſperitate; ſiquidem tui labores tam utiles ſunt promotioni ſui Regni & defenſioni veritatis. Denique pudeat ac pœniteat te quod tam iniquè de Fœderatæ Belgicæ populo & ſtatu judicaveris, ut nuſquam commodiorem, & uberiorem glebam putaveris reperiri, cui infelix tuum lolium & ſteriles tuas avenas committeres: Libertas quidem omnium rerum magna eſt in Belgio; Eam tamen Proceres non

non patiuntur ultra aras procedere & in licentiam impiam degenerare. Eſt hęc gens, fateor, avida novitatis, ſed in rebus Religionis eſt etiã majori ſui parte tenax Veritatis, nec facilè patietur ullis argutiis excuti ſibi Sacros Dei libros, pro quibus retinendis cum ſua libertate tantum olim profudit auri & ſanguinis. Unica tibi, Vir Erudite, ſupereſt ratio multiplicem hanc culpam ſolemniter eluendi, ſi videlicet publico ſcripto datam offenſionem, publicâ revocatione reparare ſtudeas. Hoc ſanè pacto, tibi & publico longè melius conſules, quam ſi alteram partem Syſtematis illius tui infruniti, quæ dicitur ad prælum parata, mundo obtrudas, duriùs proculdubio, ſi pergas ex tuis principiis, hac priori excipiendam.

Labi humanum eſt, in Errore perſeverare diabolicum. Si animo ſedato legeris quæ hic tibi oppoſui, agnoſces proculdubio tuos errores, Gloriam Deo dabis, & victoriâ conceſſâ Veritati, juxta conſilium S. Remigii ad Clodoveum Regem, adorabis quæ combuſſiſti & combures quæ adoraſti, tantumque deferes in poſterum Sacroſanctis Dei oraculis, quæ niſu parum Chriſtiano ſubruere conatus es, quam ſuſpectos habebis ſingulares illos tuos conceptus, quos præter & contra Dei Verbum ex nimio tui amore juſto benignius habuiſti. Deum omnis Veritatis precor ex animo, ut te Spiritu ſuo revocet in viam Veritatis, & ab Eccleſia Chriſtiana procul averruncet fœdos ac tetros tuos illos

Errores,

Errores, tuiſque ſimiles, quibus Cor pietatis rectà petitur, & Columina Religionis primaria ſubvertuntur.

Idem precare mecum, *Lector Christiane*, & meam in hoc opere opellam qualemcunq; tui ædificandi gratiâ ſuſceptam æqui bonique conſule. Vale.

Sequitur Celſiſſimorum ac Potentiſſimorum D. D. Ordinum Fœderati Belgii Edictum contra librum de Præadamitis.

DE Staten Generael der Vereenichde Nederlanden, Allen den geenen die deſe jegenwoordige ſullen ſien ofte hooren leſen, Saluyt. *Doen te weten*, Alſoo tot Onſe kenniſſe is gekomen,

gekomen, dat uytgegeven, ende door den Druck gemeen gemaeckt wert ſeeker Boeck in verſcheyde Formaten, oock in diverſche Talen getranſlateert, gheintituleert *Præadamitæ, ſive exercitatio &c.* inhoudende verſcheydene grouwelijcke ende laſterlijcke opinien, directelijck ſtrydende tegens Godts Heylige Woort, ende de Ware Gereformeerde Chriſtelijcke Religie, ſtreckende tot groote ergerniſſe van der ſelver Ledematen, ende voortſettinge van valſche ende ergerlijcke Leeringen, tot ſchade ende nadeel vande Ingeſetenen der voorſz. Vereenichde Nederlanden, ende dat derhalven daer aen voor de eere Godts, ende den dienſt van het publijcq ten hoochſten gheleden is, dat het ſelve niet verder

verder ge-divulgeert, maer ge-ſup-primeert werde. *SOO IST*, dat Wy daer tegens willende verſien, 't ſelve Boeck verclaert hebben, ende verklaren by deſen, te weſen ſchandaleus, Godt-loos, ende te tenderen omme de Ingeſetenen van deſen Staet, ende allen anderen vande Chriſtelijcke Religie af te leyden. Verbiedende daeromme allen Boeck-druckers, Boeck-verkoopers, ende alle andere Perſoonen, van wat qualiteyt ofte conditie de ſelve ſouden mogen zijn, 't voorſchreve Boeck alhier te Lande te drucken, herdrucken, verkoopen, ofte inne te brengen, ofte oock in andere Talen over te ſetten, diſtribueren ofte uyt te geven, maer ter contrarie laſten ende bevelen Wy alle de ſelve

boeck-

Boeckdruckers, ende verkoopers, dat ſy aenſtonts, naer dat deſen tot hare kenniſſe ghekomen ſal zijn, alle ſoodanige Exemplaren, als ſy van het voorſz Boeck onder haer ſouden mogen hebben, over leveren ende behandigen aen de Officieren ofte Magiſtraten vande Steden ende plaetſen, daer ſy woonachtich zijn, op peyne van contrarie bevonden werdende gedaen te hebben, ofte daer van in gebreke gebleven te zijn, daer over naer exigentie van ſaken gecorrigeert ende gemulcteert te werden. Laſtende ende bevelende voorts alle Officieren, ende Iuſticieren, daer op naeuw endc exact onderſoeck te doen, ende jegens de Overtreders ende gebreeckige te procederen, ſulcks als

als naer ghelegentheyt van ſaec-
ken bevonden ſal werden te be-
hooren. Ende op dat niemandt
hier van ignorantie en pretendere,
Ontbieden ende verſoecken Wy
de Heeren Staten, Gecommit-
teerde Raden, ende Gedeputeer-
de Staten vande Provincien reſ-
pective van Gelderlandt, ende
't Graefſchap Zutphen, Hollandt
ende Weſt-Vrieſlandt, Zeelandt,
Utrecht, Vrieſlandt, Over-Yſ-
ſel, Stadt Groningen ende Om-
melanden, ende allen anderen
Iuſticieren ende Officieren der
voorſz. Vereenichde Nederlan-
den, gheaſſocierde Lantſchap-
pen, Steden ende Leden van
dien, dat ſy deſen Onſen Placate
van ſtonden aen alomme doen
verkondigen, uytroepen, publi-
ceren,

ceren ende affiigeren, daer men gewoonlijck is duſdanige uytroepinge, publicatie ende affixie te doen, procederende, ende doende procederen tegens de Contraventeurs ende Overtreders van deſen, ſonder gratie, oochluyckinge, faveur, diſſimulatie ofte verdrach, want Wy ſulcx bevonden hebben alſoo te behooren. Gegeven inden Hage, onder Onſen Cachette, Paraphure, ende de Signature van Onſen Griffier, op den ſes ende twintighſten Novemder ſeſthien-hondert vijf-ende-vijftigh. Was geparapheert, *I. Schulenburch*, *vt.* Onderſtont, Ter Ordonnantie vande hooch-gemelte Heeren Staten Generael. Was geteyckent, *N. Ruyſch.* Zijnde op 't ſpatium gedruckt

druckt het Cachet der ſelver Heeren Staten in rooden Waſſche.

Nomina Ornatiſſimorum & Præſtantiſſimorum Juvenum qui ad ſeptem Quæſtiones hîc agitatas publicè reſponderunt in Academia Provinciali Groning-Omlandica ſub Authoris Præſidio.

SAMUEL HEMMANNUS , Helvetio-Bernenſis.
MATTHIAS ELSNERUS , Leſnenſis.
ROBERTUS KEUCHENIUS , P. F. Groningan.
HERMANNUS ten HAVE , Zwolla-Tranſiſulanus.
ARNOLDUS WARENDORP , Groninganus.
GERHARDUS HERMANNI VAAGHT , Zwolla-Tranſiſulanus.
STEPHANUS TELKI-BANYAI , Ungarus.

QUÆ-

Digitized by Google

QVÆRITVR primò, *An Adam, Primus omnium hominum & totius generis humani Parens ſit agnoſcendus?* Affirm.

DEberet ante omnia repoſni in arce & ſuis argumentis adſtrui Veritas & Authoritas θεόπνευςος Sacræ Scripturæ, ſi de hac Quæſtione nobis foret diſputandum, vel cum Bonſiis Japonenſium ac Gymnoſophiſtis Indorum; vel cum aliquo Ariſtotelis diſcipulo, Philoſopho mundi, Animali gloriæ, æternitatem mundi ex profeſſo propugnante; vel cum veteribus illis in Arabia hæreticis, quos Zabios nomi-

nat Mæmonides *More Nevoch. p. 3. cap. 29.* alii Sabæos & Nabathæos, de quibus plura habet Cl. & Diligentiſſimus Hottingerus *Theſ. Phil. cap. 1. ſect. 8. & Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 8.* qui cùm æternitatem mundi protervè defenderent, unà ſtatuebant Adamum ex mare & fœmina aliorum more progenitum fuiſſe, & juxta R. Jehudam in *libro Coſri*, illius præceptorem, cui nomen faciebant Janbuſchar, audebant ſibi cognitum ex penitiori antiquitate aſſerere: Sed eò expeditior erit hujus Problematis ſolutio, quod nobis res ſit cum homine Chriſtiano, qui utriuſque Fœderis tabulas exoſculari videtur, & ne latum quidem unguem ab illis aut ullo *capite fidei Chriſtianæ*, velle ſe diſcedere profitetur, *in proœmio Syſt. Th. ex hypotheſi de Præadamitis*; licet Scripturarum divinarum authoritatem & fidem non obſcurè vellicet *lib. 4. cap. 1.* Si enim ad hunc lapidem lydium exigatur

exigatur nova hujus Authoris aſſertio de Præadamitis, quos multis ac infinitis retrò ſæculis ante Adamum ſomniat, & ex quibus Gentiles omnes diſtinctè à Judæis propagatos fingit, ejus falſitas illicò deprehendetur; Corruet ſtatim novus iſte Dagon coram Arca fœderis, & mutuatitias ex Magis Ægyptiorum virgas adverſus veritatem, abſorbebit ac deglutiet faciliimè virgaMoſis.

2. Affirmantem noſtram hactenus conſtanter tenuerunt, non ſolum omnes Muhammedis ſectatores, quam longè patent, quibus Adam *Radix* & *Pater hominum* vulgò appellatur, ſed quotquot toto terrarum orbe proſtant Judæorum Synagogæ, quibus tamen hoc novum opus de Præadamitis inſcribitur; Quod num ſit magis futurum ex palato Circumciſorum quam Baptizatorum hominum, Deus & dies docebunt; Id ſanè vix credat Judæus apella. Nam

quamvis præter Evam & ante eam neſcio quas conjuges Adamo aſſignent recutiti, ex qua dæmonas genuerit, nominatim illam Lilith, de qua legi poteſt Buxtorfius *Synag. Iud. cap. 2.* nunquam tamen ullos homines Adamo priores vel febricitando ſomniarunt. Chriſtianorum quoque hactenus eadem conſtans fuerat ſententia; Cur enim Chriſtianis annumerem priſcos illos hæreticos, Simonianos, Gnoſticos, Valentinianos, Baſilidianos, Menandrianos, Marcionitas, Manichæos & ſimiles excetras, hiſtoriam Moſaicam reſpuentes, nequidem dignos qui inter retrimenta & dehoneſtamenta nominis Chriſtiani numerentur? Verùm hoc ſæculo novitatum feraciſſimo, nec ſine Chriſtianiſmi probro evidenti, tres reperti ſunt homines, qui contra Solem loqui, & ſe receptiſſimæ Veritati, quamvis non omnes pari modo, opponere auſi ſunt.

3. Pri-

3. Primus mihi nominandus, Italus eſt gente, ut illa eſt ferax Atheorum, nempe Andræas Cæſalpinus, primùm in Academia Piſana Profeſſor publicus, poſtea Medicus Romanus; qui dum impudentiùs Ariſtotelicæ impietati de æternitate mundi palam & abſque circuitione patrocinari ſtudet, *in Quæſt. Peripateticis lib. 5. quæſt. 1.* (quod opus etiam cum Privilegio editum fuiſſe indicat Crellius Socinianus, *lib. 1. de vera rel. Volkelianis reliquis præfixo cap. 4.*) pertendit mortalium vetuſtiſſimos inſtar murium aut ranarum, in locis temperatiſſimis, quos ſub zona torrida collocat, ſed ob varia impedimenta cœteris hominibus inacceſſos & incognitos, ex putredine olim factos fuiſſe, & etiamnum alios hodie fieri. Hoc equidem commento vult eum ſolvere nodum qui nectitur contra ſuum Ariſtotelem à progreſſu in infinitum, (quem aliàs Peripatetici om-

by Google

nes negant admittendum) ſi per continuatam ab æterno ſucceſſionem, homines ex hominibus progeniti fuerint. Sed longè facilius nobis eſt negare Cęſalpino hoc ſuum aſſertum, quam ipſi illud probare; cùm iſtorum hominum ex terræ putredine per ſolares radios, inſtar Cadmeę prolis editorum, nec vola nec veſtigium vel in Hiſtoriarum monumentis, vel in Geographorum narrationibus, uſpiam deprehendatur. Et licet per iſtiuſmodi æquivocam generationem, uti Phyſicis dicitur, lumbrici, inſecta, & alia animantia imperfectiora, quandoque oriantur, perfectioribus tamen, inter quæ homo principem locum obtinet, non aliam naſcendi legem natura impoſuit, quam generationis univocæ & propriè dictæ.

4. Secundus natione Germanus, agit ineptiùs: Is eſt Theophraſtus Paracelſus, celebris ille Chymiſta, vel Empiricus, & cui Riolanus Ga-

leniſta

leniſta exprobrat *præf. in phyſiol.* quod præceptore Diabolo uſus ſit in medicina addiſcenda. Hic ergo *in Philoſ. magna tract. 1. & 2. lib. de homunculo*, ut refert Gregorius Tholoſanus *Syntaxeôn art. mirab. lib. 9. cap. 2.* homines fecit alios Adamicos, cujuſmodi ſumus, alios non Adamicos, qui ab Adamo non ſunt progeniti; quorum ſtatuit nonnullos degere in aquis, quos vocat Undenas & Nymphas; (cur non etiam illis annumeret & Sirenas & Tritonas fabularum?) aliquos in terra, Pygmæos & Sylphas; quoſdam in montibus Gnomos; alteros, quaſi æterno devotos Purgatorio, Salamandras in igne: Verùm enim verò iſta retuliſſe refutaſſe eſt: Et ſi quæ viſa ſunt unquam animalia vel monſtra, inter naturæ luſus ad hominis formam proximè accedentia, ea non debent annumerari humanæ ſpeciei, quæ unica eſt. Simiam turpiſſimam beſtiam, nobis tamen

tamen ſimillimam eſſe, jam olim Poeta obſervavit. Nec poſſit in defenſionem diſtinctionis Paracelſiticæ id arripi quod, luxuriante ſtylo, narrat Hieronymus *in vita Pauli Eremitæ*, de Satyro, B. Antonio occurrente in deſerto, & quem ceu *homunculum* deſcribit *aduncis naribus*, *fronte cornibus caperata*, *cujus extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat*, quique ſe *mortalem* profitebatur, & unum *ex accolis eremi quos vario deluſa errore gentilitas, Faunos Satyroſque & Incubos vocans colit.* Nam ſanè ipſe Antonius non alio loco quam *beſtiæ* hoc portentum habuit, dicendo, *Beſtiæ Chriſtum loquuntur & tu* (Alexandria) *pro Deo portenta veneraris*: Ne dicam, ſi hiſtoria illa vera ſit, poſſe huic Satyro loquenti applicari ſuſpicionem ipſius Hieronymi *ibid.* de Hippocentauro qui ſimiliter occurrerat Antonio; *Verum* (inquit) *hæc utrum diabolus ſimulaverit, an* (*ut ſolet*) *eremus monſtruoſorum animalium*

lium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus.

5. Sed tertius hic noſter, natione Gallus (ne citra exceptionem & granum ſalis admittatur encomium Gallicæ gentis comparatè ad Hiſpanicam apud Hieronymum *adverſ. Vigil. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit*;) agit & Italo prudentiùs & Germano longè ſubtiliùs, cùm & primos concedat homines à Deo ſexto Hexaemeri die creatos, ſed infinitis ſæculis Adamo priores, & tam horum quam iſtius poſteros congeneres quoque faciat ac ejuſdem ſpeciei & naturæ. At dum ipſemet *Exercit. cap. 8.* agnoſcit novitatem ſui dogmatis, communi *Theologorum omnium* ſententiæ repugnantis, illud eo ipſo cordatioribus ſuſpectum reddit: Nam *primum quodque veriſſimum*, inquit Tertullianus, ac mirum foret veritatem tanti momenti, tamdiu delituiſſe in puteo

 Demo-

Democriti, nec ullo ſui radio cuiquam è Judæis vel Chriſtianis Doctoribus in hunc uſque diem affulſiſſe. Fruſtrà autem ſe ſolatur illius exemplo apud Veteres qui propugnabat *Antipodas*, aut *novos mundos* indagabat. Nam quamvis Lactantius, Philaſtrius & alii, duriùs excipiant Antipodum aſſertores, non defuêre tamen inter priſca & antiquiſſima lumina Chriſtianiſmi, qui eos Antipodas dari judicarent. Meminit Clemens Romanus, qui florebat Apoſtolorum ſæculo, in *ſua ad Corinthios Epiſtola*, mundorum trans Oceanum nobis impermeabilem ſitorum, æquè tamen ac noſter orbis Divinæ Providentiæ ſubjectorum; quibus verbis eos deſignari qui Græcis ἀντίχθονες dicuntur, author eſt Origenes illa citans *periarchon lib. 2.* Quare prudenter Spondanus, Baronii abbreviator, *ad an. 748. n. 1.* occaſione ejus quod hic recitat cuidam Vir-

gilio

gilio aliàs celebri datum crimini quod alium mundum, alioſque homines ſub terra poneret, necnon & alium Solem & aliam Lunam, hæc notat ad marginem, *Dubitaſſe de Antipodibus non eſt hæreſis, ſed plures ſtatuiſſe mundos divinæ repugnat Scripturæ ac proinde hæreſis eſſe convincitur*: Et quamvis ex diurno Solis motu qui nobis occidens, aliis interea populis ſuum lumen impertitur, facillimum ſit colligere dari Antipodas, tamen non ita hæc quæſtio deciſa eſt in Scriptura, ut præſens Controverſia de primatu Adami inter homines, cum illa debeat componi, & ſperet quis tam facilè apud cordatiores admiſſum iri Præadamitas præter communem omnium Theologorum & ipſius Scripturæ apertam ſententiam, ac tandem præter communiorem veterum Chriſtianorum minus in Geographicis verſatorum opinionem Antipodum aſſertio obtinuit.

6. Fruſtra autem ſperat Vir Doctus, ſuæ novæ hypotheſeôs, uti eam appellat, *idem fore fatum, quale eſt celeberrimæ quæſtionis de motu terræ apud Aſtronomos*; eò quod ſicut eadem manent naturæ phænomena, eædem vices tempeſtatum in mundo, ſive cum Nicolao Copernico terram moveri jubeas, ſive cum Ptolomæo, quieſcente terrâ Solis & Syderum motum defendas; ita etiam æquè benè imò meliùs fidei Chriſtianæ dogmata & articuli per ſuos Præadamitas poſſint explicari, ac ex recepta hactenus ſententia. Verùm in hoc illius omine id evidenter obtinet, *Qui amant ſomnia fingunt*: Et præterea quod illa Coperniciana hypotheſis, ſuos adhuc experitur magnos adverſarios, nec forte ſine cauſa, non ita licet novas in rebus Theologicis comminiſci hypotheſes ac in Aſtronomicis; quia hîc conjecturis & ariolationibus humanis locus eſt, illîc juxta Petri Ada-

giuin

gium apud Clementem Alexandrinum, οὐδὲν ἄτερ γραφῆς agendum vel tentandum; & *quod de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur quâ probatur*, juxta Hieronymum *ad cap. 23. Matt.* Tum ſi perinde eſt quoad fidei myſteria & *fundamentum redemptionis noſtræ*, utrum ſtatuatur, vel Adamum primum hominem extitiſſe, vel alios fuiſſe ante illum, undę illud novandi cacoëthes in iſto homine, ut hoc poſterius malit defendere, niſi ut extra viam citiùs monſtretur digito & dicatur hic eſt? Quanquam & hoc εὕρημα multifariàm Religionis Chriſtianæ fundamenta pulſare, etiam per tibicines qui ei defendendo ſupponuntur, facile animadvertent qui in foro Theologico peregrini non fuerint.

7. Inprimis nequit conſiſtere cum Moſaica narratione, quæ primos homines marem & fœminam à Deo conditos ſexto Hexaemeri die, ante

quos

quos nullos alios extitiſſe ipſe Vir Eruditus fatetur, radio ſolis clariùs docet non alios quam Adamum & Evam fuiſſe. Non neſcio quidem huic Achilli opponi frigidum commentum, quo hiſtoria formatorum Adami & Evæ quæ extat Gen. 11, 7. & ſeqq. fingitur priori Hexaemero quod exprimitur Gen: 1. per totum, infinitis ſæculis recentior; in quo mirè ſibi plaudit author *Syſt. ſui lib. 3. cap. 1. & ſeqq.* Sed priuſquam ex profeſſo ad hanc quæſtionem devenimus, ſufficiet in anteceſſum obſervaſſe, & quod utrobique unius maris & unius fœminæ ortus ad generis ſui multiplicationem proponatur, & quod eodem nomine *Adami*, juxta veritatem Hebraicam, inſigniatur is qui fit & conditur ad imaginem Dei Gen: 1, 26. 27. cum eo cujus formatio repetitur Gen: 11, 7. quod Moſes eam vellet enarrare diſtinctiùs, ut pote ſpeciatim generis humani hiſtoriam & ori-

gines

gines deſcripturus. Ideo nonnulli Interpretes melioris notæ, nominatim Genevenſes, adhibent hic præteritum plusquam perfectum, ac ſi Moſes dixiſſet, reſumpturus inde filum hiſtoriæ humanæ, *Formaverat autem Dominus Deus hominem de pulvere terræ.* Caſtalio adhuc accuratiùs περιφράζει, *Hominem autem Iova Deus cùm ex terræ pulvere formaviſſet & in ejus nares ſpiritum vitalem inſpiraviſſet, ex quo eſſet animans homo effectus, eum in pomario, quod in Edene ad orientem erat, collocavit.* Quare geminos Soles debet in meridie tueri, qui in Moſe duos Adamos, alterum capitis primi Geneſeôs, alterum capitis ſecundi, ſe videre ſibi perſuadebit. Quamvis enim idem nomen interpretes, modò propriè reddant, modo appellativè, utrobique tamen originalis textus, quem vir Doctus quo cum nobis res eſt conſuluiſſe non videtur, ejuſdem Adami, & in eo totius generis humani,

natalia

natalia deſcribit. Quare faciliùs credas ex deliriis quorundam Rabbinorum, (quę amplectitur Abrabanel & ex illo, quamvis timidiuſculè, Manaſſeh Ben Iſrael *probl de Creatione 12.* ſed reclamante Maimonide *More Nev. lib 2. cap. 20.*) alios mundos illum precessiſſe cujus Geneſin Moſes narrat, quam alium Adamum ei pręextitiſſe cujus formatio Gen: 2. deſcribitur.

8. Præterea non debuiſſet Adam de novo formari ex limo terrę, ſi multis ante retrò ſæculis, terra hominibus utriuſque ſexus repleta fuiſſet. Quid enim opus iteratâ novę gentis creatione in Adamo, ubi ordinaria generatio tam abundè ſufficiebat? Non ſolet ſanè Deus ad miracula procedere, niſi deficientibus mediis naturalibus & ordinariis, prout Chriſtus nolebat ſe dejicere de pinnaculo Templi, ſub fiducia miraculoſæ conſervationis per Angelos, cùm poſſet per gradus deſcendere. Quod ſi di-

xeris

xeris ſpeciali fine Adamum condi oportuiſſe in *Syndicum & defenſorem omnium*, (quo titulo eum inſignis ſubinde, nominatim *cap.3. Exerc.*) & in quo, ut etiam doces, Lex ferretur univerſis, parum proficies. Nam hoc Syndicatus & Defenſoris officium nullis legum divinarum tabulis committitur Adamo: Erubeſcimus verò ſine lege loqui: Tum ut leges ferri ſolent præſentibus & futuris, ex nota formula, non verò præteritis & qui jam obierunt, ſic jamdiu mortuis fruſtra Deus conſtituiſſet in Adamo *Defenſorem* ac *Syndicum* qui eorum quoque nomine ſuam legem acciperet. Ad hæc, Syndicus ſive Defenſor, cenſetur vulgò ab ea Communitate electus cujus agit Syndicum, ut Juriſconſulti docent ex *l. 18 §13. ff. de muneribus & honor.* Quî ergo Syndicus Adam totius gentis humanæ, quem à Communitate ad id electum nemo dixerit? Sed eſto; debuerit aliquis in

illo officio ſtatui qui cum Jano bifronte reſpiceret ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω, & altera manu homines jam præteritos, altera nondum futuros, prehenderet; nonne Deus potuiſſet citra novi ſuppoſiti miraculoſam productionem, aliquem ex iis qui jam extabant per generationem ad id aſſumere, ſiquidem, etiam ex hujus hominis mente, Adam non fuit formatus naturâ & conditione melior iis qui jam antea naſcebantur? Imò ſi Adam debuit miraculoſè & immediatè formari à Deo, quod caput myſticum imputationis conſtitueretur in genere humano & Chriſti antitypus, cur non idem aſſeris de Abrahamo, quem inter *imputationum myſticarum primores*, Chriſtum & Adamum, *medium* collocas? *lib. 5. Syſt. cap. 3.* Quanquam hunc locum forte fuiſſes potiùs aſſignaturus Davidi, ſi ex Kabbala Judaica, quam nunc incipis procari, jam ante didiciſſes, in nomine *Adam*, Adami, Da-
vidis,

vidis, & Meſſiæ nomina contineri, & animam prioris, per Metempſychoſin ſucceſſivè ad alios duos devolui debuiſſe.

9. Adhæc ſi jam tota terra ab infinitis penè ſæculis, plena erat hominum utriuſque ſexus, non potuiſſet Adam cenſeri ſolus, quamdiu nondum conjugem erat nactus, iis verbis Domini Gen:11,18. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum;faciam ei auxilium*, vel *ipſi ſimile*, vel *commodum ipſi*. Quis enim in tanta hominum copia, metuat Adamo faſtidium ſolitudinis, niſi qui forte eum fingat in media luce & turba cum lucerna Diogenis hominem quæſivisſe? Aut quid opus Moſi, tot jam extantibus mulieribus, obſervaſſe quod inter omnes agri beſtias quas Deus Adamo ſtiterat recognoſcendas & nominandas, *non aderat Adamo auxilium commodum* Gen: 11, 20. ideſt non extabat fœmella ei compar & ejuſdem ſecum ſpeciei, ex qua inſtar

ſtat cœterorum animantium genus ſuum multiplicare & propagare poſſet? Nec eſt quod putet Vir Doctus velle nos ſtatuere, *quæſitum fuiſſe adjutorem Adamo ſimilem inter beſtias terræ & volatilia cœli*, quod tanquam *abſurdum* reſpuit *lib. 3. Syſt. cap. 3.* ut inde illud quod abſurdius eſt eliciat, intelligi igitur *hoc loco gentiles & primos illos*, quos ponit, *primæ creationis homines*, quo ſignificetur *adjutorem non inventum fuiſſe Adamo, inter animalium, ideſt gentilium illorum* fœminas: *Eximio nimirum homini illi Adamo qui* Iſch *erat* (inquit) *eximia uxor obtingere debuerat quæ* Iſcha *eſſet, neque verò generis gregarii & gentilitii fœmina*. Scilicet Adamo Senatorii vel Equeſtris ordinis, mulier plebeia aut libertina elocari non debuit. At ſanè ſi allegoricè per agri beſtias, debemus intelligere tuos gentiles Præadamitas, inter quos nec *Iſch* nec *Iſcha*, ideſt, ſi ſcires Hebraicè, nec *vir* nec *mulier* fuerit, per volucres cœli, Angeli

Angeli erunt intelligendi, inter quos æquè ineptè mulier quæſita fuiſſet Adamo, ac inter illos. Quæſitæ etiam uxoris Adamo inter beſtias terræ & volucres cœli non meminit Scriptura; Et procul abſumus à blaſphemo Thalmudiſtarum commento, quod in *Indice Thalmudicarum blaſphemiarum* commemorat Sixtus Senenſis *Bibl. Sancta lib. 2.* Adamum cum omnibus animantibus tam maſculis quam fœminis coiviſſe, verum nonniſi cum Eva voluptatem ſuam explere potuiſſe. Sed tantum id ſibi vult Moſes, quod cum cœtera animantia paria veniſſent ad Adamum, ipſe ſe ſolum & compare deſtitutum deprehendebat: prout etiam Reuchlino judice *lib. 1. de arte Kabb.* id demum eſt quod ſibi voluerunt Magiſtri Judæorum dicendo, *Quod venit Adam ad omne jumentum & animal, & non commovebatur ſenſus ejus in illis*, ideſt nullo deſiderio copulæ ad generationem tenebatur,

uſque

uſque dum veniſſet ad uxorem. Mirum quî Viro Docto non venerit in mentem ideo negare ullam inter illas ſuas Præadamiticas aptam fuiſſe quæ nuberet Adamo quod ſtaturæ ordinariæ & comparatè ad ipſum valde puſillę eſſent; ſiquidem Rabbini Adamum ita procerum faciunt ut propter peccatum multum imminutâ ejus ſtaturâ ad centum cubitorum menſuram redactus fuerit; de quo ex Thalmude refert Raymundus Martinus *Pugion. fidei 3. p. diſt. 2. cap. 3. §. 2.* Nullum enim delirii genus eſt quod iſte homo non facilè ſit amplexurus, ſi modò ſuæ fabulæ Præadamiticæ quacunque ratione incruſtandæ queat inſervire.

10. Tum etiam, cùm certis nominibus beſtiæ nec inſignitæ nec cognitæ fuiſſent ante Adamum, qui pro ſapientia quam à Deo conſequutus fuerat, prior illis ſua nomina indidit Gen. 11, 19. illinc vel palpare eſt non conci-

concipiendos eſſe alios homines ante ipſum: quia nequiverunt eſſe, quin & ratione & oratione uterentur, & ſic tum ſibi mutuo, tum aliis omnibus præter ſe rebus quotidie in oculos occurrentibus, ſua nomina imponerent: niſi hos Pręadamitas & cœcos & ſurdos & mutos dixerimus, eoſque homines non homines finxerimus. Quod ſi jam multis ac infinitis ante retrò ſæculis extabant homines in rerum natura, quibus commiſſum fuerat abſolutum imperium in reliqua animantia juxta Moſem Gen: 1, 28. quid opus fuiſſet illa ſtitiſſe Adamo, ceu novo eorum Regi & Domino, in imperii iſtius ſibi divinitùs delati ſolemnem agnitionem? Imò hæc ipſa cæterarum animantium per Adamum ὀνοματοθεσία, quam Plato *in Cratylo* non eſſe vulgaris ſapientiæ meritò aſſerit, evertit putidam noſtri Præadamitæ allegoriam, quâ per illas beſtias Adamo adductas, ſuos

Præadamitas vult intelligi. An enim Deus omnes & ſingulos homines, qui erant toto terrarum orbe diſperſi, etiam Groenlandos & Auſtrales, & qui ultimam Thulem incolebant, ſiſtit Adamo, ut tanquam parens luſtricus univerſi, eorum unicuique ſuum nomen imponeret? Excipienda eſſent ſibilis talia commenta niſi probro nominis Divini tam palam cederent.

11. Pergo ulteriùs: Homo quilibet linguâ Hebraicâ אדם *Adam* dicitur; & ſic dicitur à terra ſubruſa vel argilloſa ex qua primam duxit originem, ut Latinis *homo* ab *humo* nuncupatur. Hinc Ethnicis Terra magna mortalium habita mater, & eorum primus *Lutum Princeps* appellatus. Hinc Poëtæ Prometheum dixerunt ex luto feciſſe primos homines, & notum de illis iſtud Juvenalis *Sat. 6.*

Compoſitique luto nullos habuêre parentes;

Unde & Græcis αὐτόχθονες, quaſi ab ipſa

ipſa terra geniti, dicti fuêre. Ecquam vero aliam excogitabimus rationẽ aſſignati huic ſingulari homini ſpeciei integræ nominis, aut toti ſpeciei illius quod iſte prior obtinuit, niſi quod ipſe primus ex luto & limo terræ formatus, conditor fuit totius ſpeciei, quæ inde in ſua nomenclatura Hebraica & Latina, ſuæ primæ originis admonetur? Primi cœterorum parentes ex luto & limo prodiêre: atque id ſoli Adamo competit, vel ſaltem de illo ſolo legitur expreſſè apud Moſem. Et ſi obtineat Viri Docti hypotheſis, quâ ſupponit hominis creationem de qua cap. 1. Gen: non eſſe eam formationem Adami quæ deſcribitur cap. 2. tum eo ipſo ſolis Adamitis conveniret eſſe Terrigenis, quod de ſolo Adamo legatur eum ex luto ac pulvere terræ factum fuiſſe, eique dictum poſt peccatum Gen: III, 19. *Pulvis es & in pulverem reverteris;* cùm Gen: I. dicatur quidem Deus

creaſſe & feciſſe hominem ad imaginem ſuam; ſed eum ex terra creatum vel factum, ibi non legatur: Quoad cætera animantia quæ *beſtiæ terræ* dicuntur Moſi, mandavit Deus terræ ut illa produceret; Sed nec tale mandatum terræ factum legitur quoad hominis productionem; & quò diſtingueretur à beſtiis terræ, introducitur Deus conſilium iniens *cum* ſua Sapientia & ſuo Spiritu de illo condendo & faciendo, ceu animali longè Sanctiori, ad imaginem ſuam; Ut ſi quid diſcriminis ſit comminiſcendum cum hoc novo authore inter Adamum capitis primi & Adamum capitis ſecundi Geneſeôs, hic, contra illius mentem, multis paraſangis illo inferior veniat ſtatuendus.

12. Ab Adamo quoque mortem incœpiſſe, juxta comminationem ei factam Gen: 11, 17. *Quocunque die comederis morte morieris*, non ſolùm Moſes evidenter iſthic docet, ſed comprobat

probat quoque Apoſtolus gentium, cùm ait Rom: v, 12.14. per *unum hominem peccatum* in mundum introiiſſe, & *per* peccatum *mortem*, & *ab Adamo* incœpiſſe lævum regnum mortis; item in Adamo *omnes* mori 1 Cor: xv, 22. Neceſſe eſt igitur ab Adamo progenitos eſſe quotquot mortis faſces agnoſcere & falci ac imperio illius ſubeſſe coguntur. Huic telo] nequicquam oppoſuerit Præadamita, frigidam ſuam diſtinctionem inter mortem *naturalem* & *legalem*, *Syſt. lib. 1. cap. 1. & 3.* ut hæc per Adamum introducta ſit, illa ejus natalia multis ſæculis præceſſerit. Nam neque mors propriè naturalis dici debet, niſi in Schola Pelagii & Socini, ex qua hauſit hic homo dogma illud ſuũ de homine neceſſariò morituro etſi non peccaſſet, dixerit licet Apoſtolus & *obſonia peccati eſſe mortem* Rom: vi, 23. & hanc per illud in mundum ingreſſam Rom: v, 12. Neque mors alia quam legalis cenſeri

debet, ſiquidem vi Legis & ex illius ſanctione, quâ conſtitutum eſt omnibus ſemel mori, æquo pede pulſat & regum turres & pauperum tabernas. Id dicat pro me Apoſtolus 1 Cor: xv, 56. *Aculeus mortis eſt peccatum, peccati verò vis eſt Lex.* Neque dubitari poteſt ibi revera mortem regnare, ubi nullum ſæva caput Proſerpina fugit, & longiùs aut propiùs mors ſua quemque manet: Nec Paulus mortis regnum *ab Adamo uſque ad Moſem* continuat, quod poſtea deſierit, ut vult Præadamita *Exerc. c. 12.* Nam *ultimus* iſte *hoſtis*, Apoſtolo teſte 1 Cor: xv, 26. non abolebitur niſi in ultima reſurrectione ex mortuis; Sed tantum ne peccati æſtimium ac imputatio & exinde regnum mortis, à Moſaica Lege ſuſpendatur, ſed alia prior cogitetur; cujus tranſgreſſione per Adamum, peccatum & mors quâ datâ portâ in homines ruerunt. Et quamvis mors violenta quæ reis imponitur ex Judi-
cum

cum decreto in exemplum aliorum, & quod publicè interſit, ut Jura loquuntur, delicta impunita non manere, vulgò à naturali quâ quis in ſuo lecto ex morbo vel ſenio defungitur, diſtingui ſoleat; hæc tamen quam longè patet, ſi forum poli ſpectemus, non aliunde quam à peccato & in illius pœnam ex Lege & juſto Dei judicio eſt arceſſenda: Huc facit eruditorum obſervatio, quod apud Macedonas mors δάν☉ diceretur, quaſi ab Hebræo *Dan* quod *judicium* ſignificat.

13. Ut verò ab Adamo initium peccati & mortis inter homines, adeo ut Præadamitæ non poſſint concipi niſi inculpati & immortales, ita Adami coniux Eva, hoc nomine ab ipſo fuit inſignita quod ea *mater ſit omnium viventium* Gen: III, 20. Verùm indigna fuerit eo nomine, ſi ſola gens Judaica ab ipſa prodierit, infinitis aliis populis in terra ſtirpem aliam, eamque

longè antiquiorem, agnoſcentibus. Quid quod Chronologia ſacra ordine analytico deſinit in Adamo Luc: III,38. & ſynthetico ab Adamo orditur, ut Gen: v, 1. ubi pro eo quod textus originalis habet, *Liber generationis Adam*, Græci Interpretes & Vulgata Verſio habent, *Liber generationis hominum*, quòd totius gentis humanæ chronologia ab Adamo illius conditore ſit derivanda, & ab eo die auſpicanda, *quo* ut ibidem ſubjungit Moſes, *creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem ſuam fecit ipſum; marem & fœminam creavit eos, ac benedixit eis, vocavitque nomen eorum hominem* (ſive *Adam*, ut habet textus originalis, quem ſequitur Pagninus,) *quo die creavit eos*; Quibus in verbis, velim Præadamitam obſervare, primò nominatim & diſertè de Adamo hæc Moſaica eſſe intelligenda; ſecundò de Adamo & Eva hîc eadem repeti quæ legimus Gen: 1, ne aliam *marem & fœminam* ibi

ibi quam hos imaginemur; tertiò, Adamum & Evam hîc à Deo *creatos* & *factos* dici, ut *formati* dicuntur Gen: 2. & ſic corruere totam diſtinctionem quam finxit inter primorum hominum *creationem*, & *formationem* Adami, in qua tamen mirè ſibi plaudit *lib.3.Syſt.ſui, cap.1.& 2.* Dum verò paſſim genealogiam Adami ad Judaicam reſtringit, & ſynonyma facit homines Adamitas & Judæos, peſſimam init gratiam à ſuis Judæis, quorum tamen benevolentiam & favorem, tam ambitioſè ſtudet demereri, ſuâ ad eos allocutione quam Syſtemati præfixam voluit. Nunquam enim gens ſtolidè ſuperba patietur ſe acceſeri Idumæis, Moabitis, Ægyptiis, Cananæis, nedum Cainitis, ſi ſupereſſent in rerum natura.

14. His junctum velimus ſtylum ordinarium Scripturæ, juxta quem omnes homines *filii Adami* ſolent appellari: Loca plura poſſet proferri;

Juxta

Juxta V. V. hoc elogio homines inſignjuntur Deut: XXXII, 8. Eccl: III, 21. Jer: XXXII, 29. Sed ſæpiùs juxta Veritatem Hebraicam, ut 1 Sam: XXVI, 19. 2 Sam: VII, 14. 2 Chron: VI, 30. Pſalm: XII, 1. 9. XIII, 2. XXI, II. XXXIII, 13. XXXVI, 8. XLIX, 2. LVII, 5. LVIII, 1. & aliis propè infinitis locis Jobi, Davidis, Salomonis, Prophetarũ; in quibus omnibus homines בני־אדם *Bene-Adam*, vel בני־האדם *Bene-haadam* appellantur, ut ſuperfluæ ſit diligentiæ plura exempla congerere. Ex hoc argumento ut ſe expediat Prę adamita, qui vult aliis videri optimè verſatus in Scripturis, pertendit Judæos ſolos dici *filios Adam*, vel *filios hominis*, Gentiles autem ſtirpis non Adamicæ, appellari *filios hominum*, quod *ſtirpes & origines ſuas duxerint non ab uno homine, ſed ab innumeris creationis primæ hominibus, Syſt. lib. 2. cap. 6. 10. 11.* Quamvis nec ſibi conſtet in eo; nam modò *filios hominum* videtur oppo-
nere

nere *filiis hominis*, illius videlicet *qui Iſch*, *ideſt vir*, *per excellentiam appellatus eſt*, *& cujus uxor Iſcha ideſt virago nuncupata legitur Gen. 2.* ut loquitur *cap. 11.* modò, ut *cap. 6.* vult Gentiles dici filios hominum, *ratione oppoſitionis eadem quâ Iudæi filii Dei vocati ſunt.* Verùm quam hæc ſint futilia, facile eſt agnoſcere ex ſequentibus obſervationibus. 1. Vocabulum איש *Iſch* nullam ἐξοχὴν per ſe denotat, ac ſæpè ſumitur in Scripturis pro *Quidam*, ſive pro individuo vago, ut vulgò loquimur; niſi ubi ſit quædam antitheſis inter בני איש *Bene-Iſch* & בני אדם *Bene Adam*, ideſt inter nobiles & plebeios ut Pſalm: XLIX, 3. LXII, 10. 2. Non minus inter Gentiles quàm Judæos vir & uxor *Iſch* & *Iſcha* appellantur, qui, ut Rabbini obſervarunt, ſine *Iah* ſunt *Eſch*, Conjugio in conjurgium ſine Deo abeunte: 3. Ut rariùs בני־איש *Bene-Iſch* pro hominibus in communi uſurpatur, (extat exemplum Pſalm: IV, 3.)

 ita

ita licet iſtud frequentiſſimum *Bene-Adam* ab interpretibus Græcis & Latinis, multò frequentiùs reddatur in plurali, *filii hominum*, quam in ſingulari *filii Adam*, vel *filii hominis*, fortè quod poſt genus hominum jam propagatum nemo ſit qui per plures homines ſucceſſivè à communi & prima ſtirpe Adami non derivetur; tamen juxta veritatem Hebraicam ſemper obtinet ſingulare, & ſic communis omnium parens connotatur, quomodocunque nomen *Adam*, vel propriè vel appellativè, ſumatur. 4. Diligentiſſimus hic ruſpator Scripturarum, nullum tamen locum profert, in quo vel Gentiles oppoſitè ad Judæos, *filii hominum* dicantur, vel Judæi oppoſitè ad Gentiles, *filii Adam*, vel filii hominis.

15. Adfert quidem *Syſt. lib. 2. cap.* 10. Pſalm: LVIII, 1. *Si verè utique juſtitiam loquimini recta judicate filii Adam*; & ruget *textum Hebraicum*, ſecundum

quem

quem iſti *filii Adam* dicantur; quo nomine vult *Iudæos* intelligi. At verò & Græci interpretes & Vulgatus Latinus, & Pagninus, & Muiſius, hîc loci habent plurale *filii hominum*. Quod ſi propter textum Hebraicum ſingulare eſt retinendum, & ideo Judæi intelligendi, cur ergo ad Gentiles refers, & pluraliter vis reddi quod extat Pſal: LXII, 10. *Vani filii hominum, mendaces filii hominum in ſtateris?* Nam illîc & idem occurrit בני־אדם *Bene-Adam*, quod in ſuperiori textu volebas Judęos ſolos denotare & reddi *filios Adam*; & τῷ *Bene-Adam*, additur בני־איש *Bene-Iſch*, quo ſecundum te eo magis denotantur Adamitæ, quod Adam ſit ille *Iſch* κατ' ἐξοχὴν cujus uxor *Iſcha* appellatur Gen: 2. Ita etiam Pſalm: IV, non 5, ut malè citas verſu 3. *Filii hominum uſque quo gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* qui *filii hominum* dicuntur ab Interpretibus, Hebraicè *Bene-Iſch*

 appel-

appellantur, ideſt, juxta te filii Adami qui *vir per excellentiam appellatus eſt.* Adfert quoque *cap.10.* locum Pſalm: XLIX, 3. ubi Vulgata Verſio habet, *Quique terrigenæ & filii hominum.* At textus originalis habet, ut præcedentes, *Bene-Adam* & *Bene-Iſch*, quibus, ex mente ipſiusmet Præadamitæ, Adamitæ ſignificantur; Nec video quî fingat *Terrigenis* Adamitas non annumerandos, cùm ipſi Adamo nomen à terra ex qua deſumptus fuerat inditum ſit, nec minus Judæus quam Gentilis in ſuum pulverem revertatur. Adfert denique *ibidem* locum Deut: XXXII, 8. *Quando dividebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael.* Sed quamvis LXX. & Vulgatus Latinus ac Junius, reddant *filios Adam*, tamen Arias Montanus & Leo Judæ reddunt *filios hominum*, in plurali; Et tantum abeſt ut hic *filii Adam* ſolos Iſraelitas notent,

ut è contrario denotent omnes *gentes* & populos, quos inter Iſrael ſpecialem à Deo poſſeſſionem eſt conſecutus. Nec eſt quod in hac παρερμηνείᾳ refutanda diutiùs immorer, cùm vel qui nondum ære lavantur non neſciant vulgò homines quoſcunque *Bene-Adam* in Scripturis appellari, imò & juxta pleroſque interpretes totum genus humanum dici *filios Seth*, Num: xxiv, 17. quod illi omnes qui poſt Cataclyſmum vixerunt ab uno Setho prognati fuerint.

16. Quod ſi à Scripturis Veteribus ad Novas tranſeamus, non minus præſidii nobis & noſtræ cauſæ in illis ſupererit. Primò enim ipſe Servator mundi Matth:xix,4.5. licentiam divortiorum coerciturus, & vinculum conjugii magis adſtricturus, primam illius inſtitutionem repetit ἀπ᾽ ἀρχῆς, ideſt à principio quo ſummus Opifex & gentis noſtræ conditor *marem fecit & fœminam*, & hanc legem ſtatuit, ut pro-

ut propterea relinquat homo patrem & matrem, adhæſurus ſuæ conjugi, quò duo ſint in una carne : Quibus ſanè verbis oſtendit primam maris & fœminę creationem factam ab initio, fuiſſe Adami & Evæ productionem; ſiquidem ex Moſe conſtat Gen: 11, 24. hanc legem connubialem de patre & matre relinquendis ab unoquoque ut adhæreat ſuæ uxori ſintque in carnem unam, ſancitam primùm fuiſſe in Adamo & Eva ; adeoque Adamum & Evam eſſe illos *marem & fœminam* commemoratos Gen: 1, 27. & quos Deus fecit ἀπ' ἀρχῆς, ideſt ab illo omnium rerum principio quo creavit cœlum & terram. Non auſit dicere Præadamita ſuis Præadamitis hanc legem connubialem latam fuiſſe : Mordicùs enim aſſerit illos exleges abſolutè fuiſſe, & legem datam Adamo *principem fuiſſe legum omnium, Exerc. cap. 2.* Ergo nec dicat marem & fœminam creatos in principio & ἀπ' ἀρχῆς,

ἀρχῆς, Præadamitas fuiſſe, ſiquidem hac lege connubiali illicò, teſte Chriſto, obſtricti fuerunt; Illis enim dictum fuit *Creſcite & multiplicamini* Gen: 1, 28. quod nequivit fieri quin ex Sacri conjugii lege in unam carnem abirent. Nec poſſemus in dicto Chriſti aliud imaginari *principium* quam Moſaicum, de quo dicitur Gen: 1,1. *In principio creavit Deus cœlos & terram*, & Joh:1,1. *In principio erat verbum*: Unde liquet Adamum & Evam factos in principio, ſiquidem ἀπ' ἀρχῆς ipſis & in ipſis lex conjugii ſancita fuit, quâ non ſolum Judæos, ſed etiam ipſos Gentiles teneri, nemo ſanus negaverit.

17. Sed & aliud nobis Dominus ſuppeditat argumentum Joh: VIII, 44. ubi Satanam dicit homicidam fuiſſe ἀπ' ἀρχῆς, *à principio*: Nec utique aliud principium hîc intelligitur quam Moſaicum & originis omnium rerum, adeoque ab eo principio fuit homicidâ,

cidâ,

cida, dum Adamum & Evam morti ſubjecit, & per eorum lapſum ſibi comparavit mortis imperium. Benè enim Auguſtinus *tract. 42. in Ioh. Diabolus cum invideret homini, ſerpente indutus locutus eſt mulieri, & de muliere vulneravit & virum: mortui ſunt diabolum audiendo, quem non audiſſent, ſi Dominum audire voluiſſent: poſitus enim homo inter eum qui creavit & eum qui lapſus eſt, obtemperare debuit Creatori non deceptori.* Quis igitur non intelligat fuiſſe à principio Adamum & Evam in quibus qui homicida fuit à principio ſuæ nequitiæ tyrocinia poſuit? Ut benè eo reſpectu dixerit author Sapientię 11, 24. *Invidiâ diaboli mortem introjiſſe in orbem terrarum.* Quod ſi Præadamitæ jam per multa retrò ſæcula ante Adami lapſum morti ſuccubuerant, ſi etiam cædibus & rapinis in ſe mutuo graſſabantur, non poſſet ſtatui primum homicidium à Satana perpetratum *à principio* in Adami & Evæ ſeductione;

Aliò

Aliò autem hic Servatorem reſpexiſ-
nemo ariolari quibit.

18. Chriſto in hac cauſa conjungatur Gentium Apoſtolus, qui & ipſe varia nobis ſuppeditat argumenta, ex quibus luce meridianâ clariùs liquet, primos omnium hominum Adamum & Evam fuiſſe. Is ſanè cùm apud Athenienſes diſſereret, Judæus & Adamita citra dubium apud Gentiles, non ſolùm citato Arati hemiſtichio quo Dei *genus* ſive *progenies* homines dicuntur, id ſibi commune tribuit cum Gentilibus Act: XVII, 28. 29. procul à noſtri Præadamitæ commento, qui Gentiles *genere* diverſos à Judæis ſtatuit *lib. 2. Syſt. cap. 6. & 11.* Sed præſertim aſſerit Deum *totum genus humanum*, ſive potius *totam gentem hominum*, πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, feciſſe *ex uno ſanguine ut habitaret ſuper univerſa facie terræ*: quibus verbis oſtendit evidenter omnes homines ex eodem primo parente, cui ipſamet Eva, omnium

nium viventium mater, ſuam debet originem, progenitos & oriundos eſſe; ut non immeritò dixerit Florentinus JCtus Ethnicus *l. 3. ff. de Iuſt. & jure*, ideo *hominem homini inſidiari nefas* eſſe quod *inter nos cognationem quandam natura* conſtituerit: Adeoque eruditus Præadamita ſævius quid & inhumanius ſpirat, dum *lib. 2. Syſt. cap. 11.* in hæc verba prorumpit, *Dicti ſunt fratres Iudæi omnes, quia ejuſdem generis Adamici & patre Adamo ſati ſunt omnes; Gentiles autem, neque fratres omnes inter ſe & invicem, neque fratres Iudæorum reputati ſunt.* Quid enim hoc eſt, niſi ipſam naturam inceſtare, & ſacrum illud cognationis vinculum, quo homines omnes conſtrinxit, petulanter diſſolvere? Voluit Chriſtus ex profeſſo illud callum ſubducere cordi Judæorum, quo neminem reputabant ſuum proximum, niſi foret ejuſdem ſecum proſapiæ & nationis, parabolâ hominis per latrones ſauciati, à

ti, à Sacerdote & Levita neglecti, ſed benigniſſimè habiti à Samaritano, qui homini neque noto, neque populari, humaniſſimum ſe præbuit & omnia humanitatis officia exhibuit Luc: x, 30. & ſeqq.

19. Vir Doctus quo cum diſputamus vidit hoc argumentum ex Act: 17. ſibi poſſe objici, itaque illud eludere magis quam elidere ſtudet *Exercitat. cap. 25.* Dicit enim hinc non ſequi *homines omnes oriundos ex Adamo*, ſed tantum *Deum compegiſſe omnes homines ex una eademque materia, ex una eademque terra, ex uno eodemque pulvere, ex una eademque carne, ex uno eodemque ſanguine.* Sed vim faciet vel ſibi vel Scripturæ, qui arbitrabitur ideo ſtatui omnes homines factos ex uno ſanguine, quod fungorum inſtar derepentè ex terra eadem quique ſuo loco olim prodierint: In nulla enim lingua ſynonyma ſunt unus ſanguis & una terra; Qui unius ſunt terræ *con-*

conterranei tantum cenſentur; qui unius ſanguinis, ſunt inſuper cognati & *conſanguinei.* Nec mens fuit Apoſtoli proponere Athenienſibus materiam remotam hominum, nempe terram, ſed eos altiùs deducere ad primum aliquem gentis humanæ parentem, ex cujus lumbis omnes omninò prodierint. Tum ſi *ex uno ſanguine* facti cenſeri debent qui ex una terra orti ſunt, unius ſanguinis faciemus Præadamitas & aſinos aut ſimias, quia vult hic Author hos & illos pari modo ex terra prodiiſſe. Nihil facit ad rem quod homines ex ſtylo Scripturæ dicantur conſtare carne & ſanguine; nam illâ phraſi denotatur tantum materia ex qua quique ſigillatim ſunt; ſed cum dicuntur facti ex *uno ſanguine*, ſignificatur magis eorum communis origo & principium à quo ſimul ſunt. Verba Elihu ad Job, cap: XXXIII,6. juxta V. V. *Ecce & me ſicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque*

quæ formatus ſum, ſive ut Junius reddit, *è luto deciſus ſum etiam ego*, reſpiciunt palam creationem Adami; quod notavit Doctiſſimus Mercerus *ad eum locum*, his verbis; *Propriè dixit* ſum exciſus; *ut figulus è luto vas facturus, ſolet è maſſa luti partem aliquam excidere & aſſumere ex qua vas fingat, ſic Deus è luti & limi maſſa particulam velut decidit & aſſumpſit cùm hominem formaret. Alluditur ergo hic ad primam hominis formationem.* Sanè neque Job neque illius amici erant ex populo Iſraëlis; ipſe noſter Author *lib. 5. Syſt. cap. ult.* Melchiſedecum & Jobum Gentiles facit; interea tamen Elihu & Job deſcribuntur hîc ſtirpis Adamicæ & *formati ex eodem luto.* Quod ſi verba Elihu æquipolleant iſti phraſi quâ dicimur facti ex uno ſanguine, ut vult Præadamita, magis adſtruent ſententiam noſtram; Nam ſolis Adamitis convenit eſſe formatis ex eodem luto, cùm juxta hunc hominem id ſit diſ-
criminis

criminis inter Adamitas & Præadamitas, quod hi *creati*, illi vero *formati* dicantur, ut conatur demonſtrare *Syſtem. lib. 3. cap. 3.* At factos eſſe homines ex uno ſanguine, eſt juxta ipſum, eos eſſe formatos ex eodem luto; Quare inde omninò ſequitur omnes homines eo ipſo eſſe Adamitas, quod ſint ex eodem luto formati & facti ex uno ſanguine. Magis elumbe eſt quod ſubjicit, Paulum non dixiſſe nos eſſe progeniem Adami, ſed Dei; nam ipſe genus eſſe Dei ejusque filios facit ſpeciale Adamitis *Syſt. lib. 2. cap. 1.* & revera eo ipſo omnes homines ſunt progenies Dei, quod omnes homines ex uno Adami ſanguine fecerit & ex eodem luto in Adamo formaverit.

20. Aliud argumentum nobis ſuppeditat Paulus loco illo celebri Rom: v, 12. 13. 14. quod jam ſupra tetigi §. 12. ex quo tamen, ut aranei ex iiſdem floribus venenum ſuum faciunt ex

quibus

quibus apiculæ ſua mella colligunt, vult Præadamita *totâ ſua Exercit. & Syſt. lib. 1. cap. 1.* ac paſſim ſuum errorem, multis aliis implicitum, adſtruere: Speciali poſthac quęſtione expendemus, an ex illo Pauli teſtimonio extundi poſſint Præadamitæ; Satis mihi fuerit inpræſentiarum demonſtraſſe, quam valido ariete hanc novam & periculoſam opinonem non quatiat modò ſed funditùs evertat. Uni ſanè Adamo tribuit Paulus quod per eum *peccatum* & *mors* introjerint in mundum; & ita *mors in omnes* pervaſerit, & ſic *ab Adamo* duri illius regni quod mors in omnes exercet, quodque Poëtæ dicitur *rigidum jus & inevitabile mortis*, Epocha prior ſit arceſſenda. Ergo ante Adamum non poſſunt concipi homines qui morti & peccato fuerint obnoxii. Quî enim Adamus prior januam aperuiſſet utrique, ſi jam infinitis retro ſæculis ante ipſum, longè lateque graſſabantur? Aut quo argumento

mento conficiet Præadamita mortem ibi mortuam fuiſſe nec regnaſſe, ut ſomniat *Exercit. cap. 12.* ubi tamen non ſecùs ac poſt Adamum, omnibus obſcuras injecit illa manus, & omnes, ut loquitur Palladas, morti ſervabantur ac nutriebantur ὡς ἀγέλη χοιρῶν σφαζομένων ἀλόγως? Diſtinguere inter peccatum *materiale* & *formale*, quorum illud ſit à neceſſitate materiæ & *non imputatum*, hoc à lege & *imputatum*, ut hanc diſtinctionem proponit Author *Exercit. cap. 14.* vel ut videtur ſeipſum corrigere *Syſt. lib. 1. cap. 1.* inter peccatum *naturale* & *legale*, item inter mortem *naturalem* & *legalem*, quò ſic fingantur Præadamitæ fuiſſe obnoxii peccato materiali, non formali, peccato item & morti naturali non legali, nihil aliud eſt quam ſuaviter delirare; Nam mortem facere naturalem nec ſtipendium peccati cum Apoſtolo Rom: VI, 23. idque ex ſanctione Legis, *Quo die comederis morte morieris*

morieris Gen:v,17. ut jam ante obſervavimus, Pelagianum eſt; Manichęum verò peccatum facere vel naturale, vel materiale, & quod fluat ex neceſſitate materiæ quam acceperunt homines in prima ſua origine. Sic enim vel duo Principia Perſarum & Manetis ſunt admittenda, vel ſubſcribendum impietati Blaſti & Florini facientium Deum authorem & cauſam peccati, ut qui formando homines inſeverit eorum materiæ ſementem inevitabilem omnium ſcelerum ac vitiorum, quæ ipſis poſtea imputaret ſuperveniente lege. Nullum quoque peccatum concipi poteſt quod *legale* non ſit, adeoque imputabile ad pœnam, quia peccatum omne eſt *ἀνομία*, ideſt legis violatio vel tranſgreſſio 1 Joh: III,4. adeo ut ubi non eſt lex ibi non ſit tranſgreſſio Rom: IV, 15. nec peccatum eſſe putetur, aut quicquam pro peccato æſtimetur ac reputetur non exiſtente lege Rom:v,13.

21. Tum etiam Apoſtolus Rom: v, 12. docet ideo per Adamum, unum illum hominem à quo cœteri omnes, mortem omnes peruaſiſſe quod omnes in eo peccarunt; nam in illa pericopa Paulina ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον, illud ἐφ᾽ ᾧ malim cum Auguſtino *lib. 1. de pecc. meritis & remiſſ. cap. 10. & lib. 6. contra Iul. cap. 15.* ſumere ſubjectivè quam cauſaliter cum Pelagianis & quibuſdam Neotericis. Non potuerint autem omnes homines in Adamo peccare, ita ut juxta Auguſtinum *priori loco, omnes homines fuerint ille unus homo ſcilicet Adam*, niſi in ipſo ſeminaliter fuerint, tanquam in totius generis ſtirpe, capite, radice, primitiis, in quibus tota maſſa vel pollueretur vel ſanctificaretur. Et planè eodem modo omnes cenſentur in illo peccaſſe, quod eſſent in lumbis ejus & perſonas eorum ſuſtineret iiſque ſtaret vel caderet, quomodo dicitur Levi decimas pendiſſe Melchiſedeco

in

in lumbis Abrahæ Heb:VII,9. Imputari omnibus hominibus illud primum peccatum, paſſim docet Vir eruditus. Sed juſtum illius imputationis fundamentum in eo conſiſtit, quod omnes in Adamo ſeminaliter & originaliter peccaverint; ut ideo hoc peccatum Adami omnium jure reputetur, per eandem juris divini fictionem, cujus effectus realis eſt, (prout etiam inter homines juris fictiones realem effectum ſolent habere; ut patet in Adoptionibus, Legitimationibus, Reſtitutionibus in integrum) per quam omnes in illo cenſebantur eſſe, in illo utique, quod per ſingulare Dei pactum, caput & ſtirps totius ſpeciei conſtitueretur, vel lapſuri vel conſtituri.

22. Quod verò negat Vir Doctus *Exerc. cap. 24.* neceſſe fuiſſe ut omnes homines originem traherent ab Adamo, *ut cenſerentur omnes in Adamo peccaviſſe, vel ut eis peccatum Ada-*

mi imputaretur, negat abſque juſta ratione: Nam peccatum unius cenſetur alii imputari trifariàm; vel ob communitatem & affinitatem culpæ, ut cum Crimen læſæ majeſtatis etiam ei imputatur, qui illius quoquomodo particeps vel conſcius fuerit; vel ad pœnæ quæ peccato debetur intenſionem & exacerbationem, ut cùm apud Macedonas proximi & conſanguinei ejus qui in Regem conſpiraſſet, eidem ſubjiciebantur ſupplicio cum ipſo; vel ad ipſius peccantis impunitatem & indemnitatem, ut cùm Chriſto innocenti, ſed ultrò hanc provinciam ſubeunti, peccata noſtra fuerunt imputata, quò citra læſionem juſtitię divinæ & per illius Satisfactionem, nobis remitterentur. Certum eſt non imputari omnibus peccatum Adami tertio modo, ut quas pœnas ipſe meritus eſt, alii ipſius loco luant, & ita locus ſit veteri diverbio, *Patres comederunt omphacium, & dentes ſtupent eorum filiis*;

Nam

Nam caput noxa ſequitur, & notum illud Juriſconſultorum, *Ne filius pro patre*: Abſit ut in foro divino iſtud obtineat, *Dat veniam corvis vexat cenſura columbas*. Chriſtus verò ceu dominus membrorum ſuorum, & qui poſſet illam pœnam non ferre modò ſed ſuperare, hoc vadimonium ultrò obivit pro nobis, & unum caput dedit pro multis; Sed neutro duorum aliorum modorum potuit peccatum Adami omnibus imputari, quin omnes in ipſo originaliter & ſeminaliter cenſeantur fuiſſe. Si enim proceſſit hæc imputatio ad exaſperationem pœnæ ipſi debitæ, debuerunt omnes eum contigiſſe aliquo proximitatis vinculo ſive naturali, ſive civili; ut cùm Regum peccata Deus ulciſcitur calamitatibus ſubditorum & *quicquid delirant reges plectuntur Achivi*; quia ſubditi ſunt quaſi Regum membra, & quandoque vena pedis tunditur ubi caput dolet: vel ut cùm parentes liberorum ſuo-

rum morte aut cladibus puniuntur & quaſi in viſceribus ſuis dilaniantur: Merè civilem nexum Adami cum omnibus, nemo poteſt ſomniare, qualis Davidi intercedebat cum ſuis ſubditis, quorum mortibus Deus ejus peccatum plectebat 2 Sam: xxiv, 15. quia tunc debuiſſent omnes coexiſtere Adamo, ut Davidi coexiſtebant illi ſui ſubditi in quibus mulctabatur, debuiſſetque fieri ſpectator illius cladis, ut Pſametichus in vinculis, captivitatis ſuorum; Ne dicam ideo non poſſe fingi ullum merè civilem nexum Adami vel cum Præadamitis, vel nobiſcum, quod Reges, Syndici, Protectores, Defenſores, pręſentibus demum imponantur & quamdiu ipſi ſuperſtites ſunt, non verò vel præteritis ac jamdiu mortuis, quales Præadamitæ reſpectu Adami, vel diu futuris poſt ſe, quales reſpectu Adami omnes Poſt-Adamitæ, quos regere ac defendere ampliùs non poſſunt. Quare ſupereſt

ut

ut illa imputatio omnis ex naturali aliquo vinculo & nexu fluat & ſuſpendatur. Si verò, quod ſatius eſt dicere, & eò nos ducit rectà Apoſtolus, omnibus imputatur peccatum Adami, quod ſint illius culpæ affines & complices, omninò neceſſe eſt Adamum peccaſſe tanquam caput & ſtirpem generis humani in quo omnes originaliter & ſeminaliter cenſebantur; ut cùm Vaſſallus ſibi & ſuis poſteris inveſtituram Feudi conſequutus, ſibi & ipſis committit Feudum, ſi Domino directo rebellis ac perfidus fuerit.

23. Hoc ipſum evidenter colligitur ex oppoſito Chriſti exemplo, ſi modò benè ad illud attendamus. Nam primò non poteſt nobis imputari Chriſti Meritum & Satisfactio ad indemnitatem, juſtitiam & remiſſionem peccatorum, niſi ipſi adhæreamus & ab ipſo pendeamus per gratiam & Spiritum regenerationis; Ergo viceverſa non poſſet nobis imputari Adami culpa ad

ad reatum & meritum pœnæ, niſi ipſi adhæreremus & ab ipſo penderemus per vinculum & ordinem generationis; ut hîc in perniciem hominũ præſtet natura & generatio, quod illic in eorum ſalutem præſtat regeneratio & gratia. Deinde nequivit Chriſto imputari peccatum noſtrum ut in ipſo plecteretur, niſi Æthiopiſſam noſtram duxiſſet, carnem noſtram aſſumpſiſſet, & factus per omnia nobis ſimilis excepto peccato, eo ipſo idoneus fuiſſet qui tanquam noſter גאל *Goel*, ἔγγυος, vindex ſanguinis, frater & conſanguineus, nos redimeret & in libertatem filiorum Dei aſſereret; ut benè dixerit Bernardus *epiſt. 190. Homo qui debuit, homo qui ſolvit: Satisfactio unius omnibus imputatur, ſicut omnium peccata ille unus portavit, nec alter invenietur qui forefecit, alter qui ſatisfecit.* Ideo παραπλησίως μετέσχε *carnis & ſanguinis*, nec puduit eos ſuos *fratres* vocare quos ceu *filios* in gloriam erat adducturus

ctūrus Heb: 11,10.11.12.13.14. Cùm verò Chriſtus ſecundum carnem ſit ex Patribus & ex Adamo, nec aliorum Redemptor quam eorum qui *ex carne ejus & ex oſſibus ejus* Eph: v, 30. hoc etiam reſpectu *fratres* ipſius ſunt, (unde nec ejus Redemptio extendi poteſt ad Angelos lapſos, quorum non aſſumpſit naturam, & quibus cum talem affinitatem non contraxit,) aut ſunt excludendi Gentiles à beneficio illius Redemptionis, quod *neque fratres omnes inter ſe*, neque *fratres Iudæorum* reputari queant, juxta Præadamitam *lib. 2. cap. 11.* aut omnes etiam Gentiles, in communi ſtirpe Adami, Chriſtum ſecundum carnem cognatione eâ attingunt, ſine qua ipſorum *Goel* & ἔγγυΘ- eſſe non potuiſſet. Quod ſi autem hæc naturæ cognatio cum Chriſto prærequiritur in omnibus, ut fructum Redemptionis æternæ percipiant, & eorum peccata ipſi imputentur, quanto ma-

gis requiretur eadem cum Adamo, ut in ipſo peccaſſe cenſeantur, & ipſis ejus tranſgreſſio imputetur?

24. Poſthac ſpecialem quæſtionem de hac imputatione fuſiùs tractabimus: Hæc nunc ſufficiunt vindicando noſtro argumento ex Apoſtolo deſumpto, & ſimul comprobando, & quod ſoli Adamitæ queant eſſe participes Redemptionis Chriſti, & quod tales omnes omninò debent eſſe, quoniam omnes peccarunt in Adamo, & juſtè omnibus peccatum illius imputatur. Parum enim facit contra nos quod urget Author *Exerc. cap. 8.* non magis neceſſe fuiſſe, ut Adam primus omniũ foret *qui mundi proſcenia iniret* ac mundum condemnaret, quam ut Chriſtus omnium ultimus eſſet *qui aulæa mundi tolleret* & mundum abſolveret; nec minus poſſe *retrotrahi* imputationem culpæ Adami ad illius prædeceſſores, quam imputationem juſtitiæ Chriſti ad eos qui præ-

præceſſerunt ejus mortem. Eſt enim utriuſque longè diſpar ratio. Nam qui fideles præceſſerunt incarnationem Chriſti ei tamen inſiti fuerunt atque adhæſerunt verâ fide, adeoque realem communionem, licet myſticam, cum illo habuerunt; quod tota docet Scriptura, Joh: VIII, 56. Act: XV, 11. 1 Cor: X, 1. 2. 3. 4. Heb: XIII, 8. Apoc: XIII, 8. eoque pertinet illud Gregorii *hom. 17. in Ezech.* tam eos qui *praibant* quam qui *ſequebantur* haud aliter ſalutem fuiſſe conſecutos quam clamando *Hoſanna filio David.* At cùm Præadamitæ nihil habuerint commune cum Adamo per vinculum aliquod vel naturale vel civile, non potuit ejus culpa aliis imputari quam iis qui *in ipſo* erant cum peccavit; in ipſo autem tum illi ſoli potuerunt eſſe qui erant ab ipſo procreandi. Adhæc perditio & corruptio mundi non debetur Adamo, ex ſola culpæ illius imputatione, ſed maximè & potiſſimum

gis requiretur eadem cum Adamo; ut in ipſo peccaſſe cenſeantur, & ipſis ejus tranſgreſſio imputetur?

24. Poſthac ſpecialem quæſtionem de hac imputatione fuſiùs tractabimus: Hæc nunc ſufficiunt vindicando noſtro argumento ex Apoſtolo deſumpto, & ſimul comprobando, & quod ſoli Adamitæ queant eſſe participes Redemptionis Chriſti, & quod tales omnes omninò debent eſſe, quoniam omnes peccarunt in Adamo, & juſtè omnibus peccatum illius imputatur. Parum enim facit contra nos quod urget Author *Exerc. cap. 8.* non magis neceſſe fuiſſe, ut Adam primus omniū foret *qui mundi proſcenia iniret* ac mundum condemnaret, quam ut Chriſtus omnium ultimus eſſet *qui aulæa mundi tolleret* & mundum abſolveret; nec minus poſſe *retrotrahi* imputationem culpæ Adami ad illius prædeceſſores, quam imputationem juſtitiæ Chriſti ad eos qui præ-

præceſſerunt ejus mortem. Eſt enim utriuſque longè diſpar ratio. Nam qui fideles præceſſerunt incarnationem Chriſti ei tamen inſiti fuerunt atque adhæſerunt verâ fide, adeoque realem communionem, licet myſticam, cum illo habuerunt; quod tota docet Scriptura, Joh: VIII, 56. Act: XV, 11. 1 Cor: X, 1. 2. 3. 4. Heb: XIII 1, 8. Apoc: XIII, 8. eoque pertinet illud Gregorii *hom. 17. in Ezech.* tam eos qui *præibant* quam qui *ſequebantur* haud aliter ſalutem fuiſſe conſecutos quam clamando *Hoſanna filio David.* At cùm Præadamitæ nihil habuerint commune cum Adamo per vinculum aliquod vel naturale vel civile, non potuit ejus culpa aliis imputari quam iis qui *in ipſo* erant cum peccavit; in ipſo autem tum illi ſoli potuerunt eſſe qui erant ab ipſo procreandi. Adhæc perditio & corruptio mundi non debetur Adamo, ex ſola culpæ illius imputatione, ſed maximè & potiſſimum

ex habitualis corruptionis, quam peccando contraxit & quâ totam Dei imaginem turpiter fœdavit, traduce & propagatione ad ſuos poſteros omnes, per generationem: unde dicitur poſt ſuumpeccatum filium genuiſſe ad imaginem ſuam Gen: v, 3. Quicquid verò nobis ineſt nativæ corruptionis, per generationem naturalem, ex dicto Chriſti Joh: III, 6. & Davidis Pſ: LI, 7. in ſingulos traduci ab Adamo, ceu capite & ſtirpe totius generis humani, vel inde liquet quod illa inhærens omnibus & nativa corruptio, frequenter appellatur in Scripturis *vetus Adam*, ſive *vetus homo*, ut Rom: VI, 9. Epheſ: IV, 22. Col: III, 9.

25. Necdum tamen exhauſimus argumenta quæ ex Paulo haberi poſſunt pro noſtra ſententia. Nam 1 Cor. XI, 8. reſpectu univerſæ ſpeciei obſervat Apoſtolus, quod *Vir non ſit ex muliere ſed mulier ex viro*; reſpiciens manifeſtò ad ordinem ſervatum in Adami & Evæ

formatione

formatione, & quod hæc ex illius coſta deſumpta fuerit, ut hac ratione ſequiorem ſexum ſuæ conditionis admoneat, & mulierem viro ſubjiciat: Ita etiam 1 Tim: 11, 13. ἐξοχὴν ſuam viris vindicaturus, obſervat Adamum *priorem* formatum fuiſſe, deinde Evam. Jam verò argumentum hoc ab ordine ſervato in creatione Adami & Evæ, ad ſexus ſequioris depreſſionem, non poſſet obtinere apud Gentiles, quibus tamen illud proponit Apoſtolus, ſi non ſint ex Adamo & Eva prognati, ſed ex neſcio quibus Præadamitis, qui ſimul, mares & fœminæ, ubique terrarum derepentè prodierint. Maneret enim Gentilium mulieribus in promptu hęc exceptio, ad ſe non ſpectare illam inæqualitatem quam urget Apoſtolus, ſed ſolum ad Judæas, cum è contrario ipſæ ſint natæ ex maribus & fœminis ſimul & ſemel ita productis, ut nulla in ordine exiſtendi fuerit vel prioritas aut ἐξοχὴ

mariùm

marium, vel fœminarum inferioritas & dependentia à maribus.

26. Sed quid pluribus opus eſt? Nam 1 Cor: xv, 45. 47. 48. 49. iteratò Adam *primus homo* conceptis verbis appellatur; nec diffitetur ipſe Præadamita *Exerc. cap. 24. eum primum & Patrem omnium* poſſe dici. Interea duo habet quæ *ibid. cap. 23. & 24.* excipiat: Unum eſt quod Adam dicatur primus ut Chriſtus ſecundus; & pro vehementiori ſua imaginatione, vult ut nobis imaginemur Æſculum Virgilianam,

Quæ tantum vertice ad auras
Aerias, quantū radice ad tartara tendit;

Cujus rami ſint omnes homines à Chriſto nati; radices Præadamitę; truncus homines qui fuerunt & fluxerunt ab Adamo ad Chriſtum; Adamus & Chriſtus ſurculi duo illi trunco inſiti, quorum alter totam arborem veneno ſuo corrumpat, alter eam ſanet. Sed ſtultè imaginoſum & Æ-

ſculapii

ſculapii valde egentem oporteat eſſe qui talia concipiat : Nam Chriſto jam inſito in medicationem illius plantæ & antidotum ſurculi venenoſi, quî poterit hujus venenata qualitas adhuc communicari ramis ſuccreſcentibus poſt inſitionem ſalutiferi ? An ſimul utriuſque ſurculi ſuccus ad eos extendetur ? Tum Scriptura Sacra, vult me concipere Adamum & Chriſtum, non ut ſurculos inſitos genti humanæ, ſed ut radices quemque ſuorum, quarum illa ſuis mortem, hæc ſuis vitam certiſſimè conferat : Rem ipſam quod attinet, fateor quidem Adamum & Chriſtum comparari inter ſe tanquam duas diſtinctas ſtirpes hominum, quo reſpectu alter *primus* alter *ſecundus* dicitur, quamvis juxta Præadamitam, *medium* Abrahamum inferentem, Chriſtus nonniſi tertius dici deberet : Sed tamen nequit Adam dici *primus* reſpectu Chriſti ceu ſecundi, quin revera ſit Abraha-

primus omnium; tùm quia primus dicitur factus εἰς ψυχὴν ζῶσαν & χοϊκὸς, terrenus, pulvereus, à quo juxta Paulum reliqui omnes ψυχικοὶ & χοϊκοὶ, qui & illius portant imaginem; tùm quia Christus oppoſitè ad eum non ſolum ſecundus dicitur, ſed etiam ὁ ἔσχατος, ſive *poſtremus* ac *noviſſimus*, ut pote qui *noviſſimus ſuper pulverem ſit conſtiturus* Job. x ix, 25. & in noviſſimo die communicaturus ſuis omnibus vitam ac gloriam, ut primus ἀπ' ἀρχῆς ſuos omnes ſubjecit ignominiæ & morti.

27. Aliud κρησφύγετον Viri docti eſt Adamum poſſe dici primum & patrem omnium hominum, *quatenus homines omnes in illo peccaverunt & quatenus primus & pater omnium peccatorum eſt:* At id fingere facilius eſt quam probare; Nec enim dicitur *Pater omnium peccatorum*, ut Abraham dicitur pater credentium; ſed quia primus eſt homo, à quo reliqui τὸ χοϊκὸν & τὸ ψυχικόν.

ψυχικὸν, ideſt naturam humanam habent, ut pii à Chriſto ultimo ultimam illam perfectionem conſequentur quę conferet ipſis τὸ πνευματικὸν καὶ τὸ ἐπουράνιον, ideo ſtatui debet pater omnium hominum in ordine eſſendi, & à quo reliqui ſuum eſſe naturæ & animale conſequuntur, non in ordine peccandi; quamvis & hoc etiam ſit veriſſimum, non tamen ex hypotheſi Præadamitica, quæ multos ponit peccatores & tetriores ante ipſum. At Chriſtus vocatur *primitiæ reſurrectionis quamvis alii reſurrexerunt longè ante Chriſtum Scripturâ Sacrâ teſte.* Sed ſi eodem ſenſu Adam pater & primitiæ hominum, etiam quà peccatorum, nemo extiterit vel peccaverit ante illum; Nemo enim ante Chriſtum reſurrexiſſe legitur ad immortalitatem & gloriam. At Abraham vocatur *Pater* credentium Rom: IV, II. cùm tamen alii ante eum crediderint. Sed non dicitur *Pater credentium* niſi reſpectu

eorum

eorum qui poſtea ejus fidem imitati ſunt, & promiſſionem ipſi factam de ſemine benedicto eadem fide cum ipſo ad ſui juſtificationem admiſerunt, ſive circumciſi ſive præputiati fuerint; non verò eorum reſpectu qui ipſum præceſſerant in fide; ut Abel, Enoch, Noe, æquè à fide ſua laudantur ante Abrahamum Heb: xı,4.5.7. ac ipſe poſt eos. Quod verò addit inſuper Vir doctus, *fidem imputari omnibus credentibus ex fide Abrahami*, inter nova illius inventa debet referri. Nec enim ex fide perſonali Abrahami fideles aut juſti cenſemur, ſed ex noſtra-met fide quâ fidem Patriarchę imitamur & eaſdem promiſſiones cum fiducia amplectimur. Nam *juſtus ex ſuâ fide vivet* Heb: 11,4.

28. Huc denique facit quod Chriſtus dicatur *agnus mactatus ab origine mundi* Apoc:xııı,8. quoniam ab origine mundi fuerunt & promiſſiones & figuræ Chriſti olim exhibendi, quas

jam

jam ab origine mundi pii & fideles ſibi applicaverunt ad ſalutem: Jam verò non extiterunt in mundo ullæ vel figuræ vel promiſſiones deChriſto redemptore olim exhibendo, in quas piorum fides intenderet, ante Adamum & Evam, qui Proteuangelion acceperunt illicò poſt ſuum lapſum Gen: III, 15. & jam in pellibus quibus ipſorum nuditatem contexit Deus, quandam imaginem contemplabantur agni illius mactandi ſuo tempore, cujus exuviis ſua & noſtra omnium ſpiritualis nuditas veniret contegenda. Cùm autem antiquiſſimæ promiſſiones & figuræ de Chriſto exhibendo ad Adamum ſpectaverint, quis inde non agnoſcat Adamum in ipſa mundi origine extitiſſe, adeoque nullos homines ante ipſum excogitari vel ſomniari poſſe? Eodem res redibit ſi cum Gloſſa ordinaria & Lyrano *ad Apoc:13.* ſtatuerimus Chriſtum dici occiſum fuiſſe ab origine mundi figu-

figurativè in Abele, quoniam occiſio Abelis innocentis per Cainum figura quædam erat mactationis Chriſti per Judæos; unde de illo dicit Auguſtinus, obſervante Lyrano, quod *in Abel fuit occiſus, & in Prophetis exhonoratus*: inde enim ſequetur Abelẽ proximum fuiſſe natalibus mundi, ſiquidem in ipſo ab ipſis mundi incunabulis Chriſtus occiſus & mactatus fuerit.

29. Si tandem ad Gentilium ipſorum Antiquitates reſpiciamus, facilè deprehendemus revera Adamum & Evam primos omnium mortalium parentes extitiſſe. Nemo inficiabitur deſumpta fuiſſe ex Moſaica narratione quæ & Heſiodus 1. περὶ ἔργων & Ovidius *Metam. initio* voluerunt de prima rerum origine commentari. Non aliud Poëtarum *Chaos* diſcordiæ ſemina rerum in ſe continens, quam תהו ובהו *tohu vabohu* Moſis cùm terra eſſet adhuc inanis & vacua, ac tenebræ erant ſuper abyſſi faciem. Hinc Ariſto-

Ariſtophanes *in avibus* pertendit primum extitiſſe chaos & noctem & erebum & tartarum, & Heſiodus *in Theogonia*, ἐκ χάεος δ' ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο: *Ex chao erebus*, ideſt *abyſſus*, *noxque nigra facta*. Quis ergo dubitet Poëtas reſpexiſſe ad formationem Adami ex luto, cum explicaturi primam generis humani originem, in unum quadantenus contra hunt quod Moſes habet huc ſpectans Gen: 1. & 2? Ita Ovidius *Metam. 1.* poſt narratam cœli & terræ creationem & ſuas ſedes aſſignatas omnibus elementis, ſic loquitur;

Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cæleſte ſolum, formæque Deorum;
Ceſſerunt nitidis habitanda piſcibus undæ;
Terra feras cepit, volucres agitabiles aër.
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc & quod dominari in cætera poſſet;
Natus homo eſt, ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo;
Sive recens tellus ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cœli.
Quam ſatus Iapeto miſtam fluvialibus undis,
Finxit in effigies moderantum cuncta Deorum.
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre

Iuſſit

Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus:
Sic modo quæ fuerat rudis & ſine imagine tellus,
Induit ignotas hominum converſa figuras.

Pariliter Heſiodus in ἔργοις dicit Jovem juſſiſſe Vulcano ut terram maceraret aquâ, quod apertè ſpectat πλαστικὴν quam Deus exeruit in Adamo, & vocem humanam inderet.

30. Denique nihil magis ſacrum habuêre ipſi-met Ægyptii, ad quorum antiquitates ſubinde Vir Doctus provocat, Iſidis cultu & ſacris Iſiacis; nihil antiquius ſuâ fabulâ de Iſide & Oſiride, de quibus extat tractatus integer apud Plutarchum *in opuſculis*: *Iſis* autem non aliunde videtur ſuum conſequuta nomen, quam ab Hebræorum *Iſcha*, quo nomine *Adam*, qui & *Iſch* illius fuit, ſuam inſignit conjugem Gen: 11, 23. Iſis verò fuit Ægyptiis magna & antiquiſſima Dea, parens omnium; quod convenit Evæ, quæ etiam *omnium viventium mater* appellatur Gen: 111, 20. Videatur hac de re Anonymus author libelli *Obſervati-*

onum

tionum ad mythologiam Natalis Comitis, ſub titulo Iſis. Nihil item antiquius Græcis ipſo Saturno, quem Jovis ipſius patrem fecerunt. Hinc Κρόνος dictus, quaſi χρόνος, ut ait Plato *in Cratylo*, quod ab ævi initio extiterit. Jam autem facilè probaveris Saturnum antiquiſſimum Græcorum eſſe *Adamum*, adeoque Adamo in ordine hominum antiquiorem nullum excogitari poſſe. Si *Saturnum* derivemus ab Hebræo סתר *Satar*, ideſt *latuit*, *occultavit*, unde & *Myſterium* factum eſt, id nominis efformabitur ab Adami ipſius latitatione inter arbores, ex peccati conſcientia, quæ deſcribitur Gen: III, 8. Si à *ſatione*, quod ei præeſſet juxta Arnobium *lib. 4. contra Gentes*, unde *falx* ejus fuit inſigne olim, & etiamnum hodie apud Aſtronomos illius character, Adam fuit primus in orbe agricola, cui primùm commiſſa Hedenis cultura, & quem deinde Deus expulit illo horto ad colendam terram

ram ex qua ſumptus erat Gen:111,23. Fuerit Saturnus Cœli & Veſtæ filius, idem Adamo conveniet, quem & Terrigenam & Dei filium vario reſpectu meritò dixeris. Ac ſicut ille inſtigante Terrâ matre in Cœlum patrem rebellavit, & falce adamantinâ ejus reſecuit virilia eaque abjecit in mare, ut refert Apollodorus *de Deor. orig. lib. 1.* ita hic inſtigante illâ ipſâ carne quam ex terra habuit, rebellavit in Deum, ſuoque peccato omne divinum ſemen ſibi concreditum in Conditoris imagine à ſe ſuiſque penitùs abdicavit, non aliunde quam ex mari & aqua, beneficio regenerationis, recuperandum Joh:111, 5. Ac ſicut ſub Saturno obtinuit ætas aurea quæ prima ſata fuit, quamque per filium virginis revocandam prædicere videtur apud Virgilium Sybilla Cumana *Eclogâ 4.* ita quamdiu Adamus perſtitit in officio, floruit illa ætas

——— quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat,
Pœna metuſque aberant.

Uxor Saturni, Rhea, Cybele, Pandora, dicta, ejus quoque ſoror fuit; Id apprimè convenit Evæ quæ fuit os ex oſſibus Adami & caro ex carne illius; quam verè dixeris Pandoram Heſiodi l. περὶ ἔργων quæ omnium fœminarum & prima & formoſiſſima à Diis condita, omnia in orbem mala diſperſit, cùm priùs vixiſſent homines
——— abſque labore,
Abſque malis morboque gravi triſtique ſenectâ:
Et quod Saturnum ſuos filios finxerunt devorare, non ſolum ſpectat quod Saturno Carthaginenſes, ut Orientales Molocho, ſuos offerrent liberos; vel quod, ut nugantur Aſtrologi, Saturnus planeta nocens, eos faciat miſeros ac infœlices & morbis obnoxios quorum Horoſcopo dominatur; Sed maximè quod Adam omnes ſuos poſteros peccato ac morti mancipavit, teſte Paulo Rom: v, 12. 13. 14. Difficile non foret hanc alle-

goriam ulteriùs proſequi, & oſtendere pariliter ex Caino Adami primogenito, Græculos ſuum antiquissmum Jovem fabricatos fuiſſe: Sed hęc ſufficiunt illuſtrandę Adamicæ ex Moſe hiſtorię, & comprobando, quod κατασκευαστικῶς demonſtrandum hîc veniebat, (ad ἀνασκευὴν deinceps deveniam) Adamum omnium hominum primum extitiſſe, adeoque Præadamitarum fabulam eſſe omninò rejiciendam.

QVÆRITVR ſecundò, An formatio Adami & Evæ quæ deſcribitur Gen: 2. ſit alterius ordinis & temporis à Creatione hominis ad imaginem Dei, quæ refertur Gen: 1.?

Neg.

HUjus quæſtionis affirmativam *PræAdamitarum* Aſſertor vehementer propugnat & tractat ex profeſſo *Syſtem. ſui lib. 3. cap. 1. & ſeqq.* ceu grande ſui dogmatis ſuſtentaculum: Sic enim arbitratur ſe ſuos Præadamitas in Moſe reperturum, ſi ii quos ultimo Hexaemeri die cum reliquis animantibus terræ creati leguntur, infinitorum penè ſæculorum ſpatio præextiterint Adamo & Evæ, quorum formatio, ceu primorum unius Judaicæ gentis parentum, deſcribatur à Moſe Gen. 2. Verùm huic commento tot ſunt quæ adverſentur ut planè miremur potuiſ-

tuiſſe reperiri hominem cœterà non ineruditum, cui vel febricitando in mentem veniret.

2. Nam præter ea argumenta quibus præcedenti quæſtione aſſeruimus Adamum & Evam primos hominum extitiſſe, facillimum eſt demonſtrare nihil vel diſcriminis vel interſtitii eſſe concipiendum, quoad hominis creationem, inter hiſtoriam quę extat cap. 1. Gen. & eam quæ repetitur ac paullò fuſiùs deducitur Gen. 2. circa formationem Adami & Evæ. Nam primò utrobique juxta textum Hebraicum *Adami* origo deſcribitur: Cur autem fingamus hominem ſpecificè, tam multis ante ſęculis *Adamum* appellatum fuiſſe, priuſquam extitiſſet individuum illud quod ſingulariter & propriè ita diceretur, & à quo tum nomen ipſum tum rationem nominis, totius ſpeciei reſpectu, derivari eſt certiſſimum? Sanè Adamum Gen. 2. ita dictum fuiſſe quod eum Deus

forma-

formarit ex *pulvere terræ* עפר מן־האדמה *Gnaphar min haadama*, uti legitur com. 7. nemo inficiabitur; Ergo aut Adam Gen: 1. eſt idem cum eo qui ex pulvere terræ fuit formatus, aut ſi diverſus ab eo nec formatus ex pulvere terræ, Adami nomine perperam inſignitur. Præterea ſi Adamos diverſos comminiſcamur apud Moſem, vel de ſecundo non conſtabit eum ad imaginem Dei conditum, quia non dicitur Gen. 2. Adamum formatum fuiſſe ad imaginem Dei, ſed tantum id refertur Gen: 1. vel de primo non liquebit præditum eum fuiſſe animâ rationali, ſive factum *in animam viventem*, ut loquitur Paulus 1 Cor: xv, 45. cùm demum Gen: 11, 7. dicatur Deus inſufflaſſe in nares Adami ſpiraculum vitæ: Imò inde ſequetur primos illos homines marem & fœminam, licet eis dixerit Deus, *Creſcite & multiplicamini* Gen: 1, 28. nullas tamen leges connubiales accepiſſe à Deo; tùm

quia primam conjugii inſtitutionem non altiùs repetunt Sacræ literæ quam ab Adamo & Eva, ut videre eſt Matt: XIX.4.5 & Eph: v, 31. collatis cum Gen: II, 22.23.24. tùm quia legis connubialis ratio quod mulier eſſet *os ex oſſibus* viri & *caro ex carne* illius inter illos non habuiſſet locum, quia ſpecialis fuit Adamo & Evæ; tùm quia fingit Vir Doctus ſuos Præadamitas nullas omninò leges à Deo accepiſſe; Ergo nec leges connubii.

3. Quid quod primi homines deſcripti Gen: I. conditi ſunt *mas* & *fœmina*, ideſt in duobus ſuppoſitis, ad creſcendum & replendum terram, & eam ſibi cum tempore ſubjiciendam? Quod ſi, ut vult Vir Doctus, infiniti prope homines ubivis locorum fuiſſent tunc à Deo creati, dixiſſet utique Moſes, *mares & fœminas creavit eos*; Sed illam primam creationem ultra duo ſuppoſita non proceſſiſſe ſatis indicat dicendo, *Creavit Deus hominem ad im-*

ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit eum, MAREM & FOEMINAM *creavit eos*. Cur igitur quæramus hæc duo ſuppoſita, *maris & fæminæ*, extra Adamum & Evam, Gen: 2. commemoratos? Primis itidem hominibus Deus dedit imperium in cætera animantia, ut legere eſt Gen: 1, 28. Nunquid verò eodem ſpectat quod Gen: 11, 19. omnia animantia Deus ſtitit Adamo, ut ſingulis nomina ſua imponeret, & iſtud in illa imperium ſolemni quaſi inveſtiturâ ei deferret? Primis quoque hominibus in cibum aſſignantur à Deo herbæ & olera & fructus arborum Gen: 1, 29. Eadem lex cibaria Adamo fertur Gen: 11, 16. & agnoſcitur ab Eva Gen: 111, 22. ſolâ arbore ſcientiæ boni & mali exceptâ, in qua illius fidem & obedientiā explorari decebat. Quod enim Præadamita *Syſtem. lib.3. cap.2.* vult ideo homines alios notari Gen: cap. 1. quam 2. quod in lege cibaria

cap. 1. nihil excipiatur, ut cap. 2. excipitur arbor ſcientiæ boni & mali, nihil facit pro ipſo; Nam tralatitium eſt omnibus ſcriptoribus ea quæ primùm univerſaliùs ac generaliùs propoſuerunt, ſuis circumſcribere limitationibus & exceptionibus, ſi eadem diſtinctiùs & enucleatiùs retractare debeant. Maximè verò conſideratione dignum quod Gen: 2. Adami & Evæ formationem accuratiùs Moſes deſcripturus, præmittit ei narrationi com. 1. 2. 3. 4. recapitulationem primævæ creationis omnium, & obſervato quod cum cœteris rebus peractis *nullus homo adhuc extaret ad colendum terram* Gen: 11, 5. tum demum *finxit* Jehova *hominem*, ſive Adamum, *de pulvere terræ* com. 7. Quis ergo neget Adamum & Evam eos eſſe marem & fœminam, qui dicuntur Gen: 1. creati ad imaginem Dei ſexto die? Siquidem Gen: 2. Adami & Evæ formatio immediatè connectitur origini cœli & terræ,

terræ, & dicitur Deus ad eam proceſſiſſe, cùm nullus dum extaret homo qui terram excoleret, (cui rei Adam ipſe præficitur in paradiſo Gen: II, 15.) imò cùm necdum ulla pluvia decidiſſet ſuper terram Gen: II, 5.

4. Sed & illud obſervatu digniſſimum, quod hominibus conditis ſexto Hexaemeri die, ſeptimi ſive Sabbathi, quo Deus *quievit* ab omni ſuo opere, ſanctificatio & obſervatio fuit divinitùs impoſita, ut patet ex Gen: II, 2. 3. Nec diffitetur ipſe Vir Eruditus legem de ſanctificatione Sabbathi longè ante Moſem extitiſſe, *Exercit. ſuæ cap. 2.* Quod ſi extitit ante Moſem, ergo ab initio mundi, ut etiam ſatis inſinuatur Exod: xx, 8. Illi verò quibus primùm Sabbathi ſanctificatio fuit impoſita, fuerunt Adam & Eva, non alii. Nolit enim ipſe Præadamita, illâ lege ſuos Præadamitas obligatos fuiſſe: Nec aliud ſentiunt

Magiſtri Judæorum: Nam cùm Pſalm: XCII. hæc eſſet inſcriptio juxta veritatem Hebraicam, *Pſalmus, Carmen* ſive *Canticum in diem Sabbathi*, Targum ita eam reddit, *Laus & Canticum quod dixit Adam primus ſuper diem Sabbathi*; Itaque Rabbini volunt hunc Pſalmum à primo homine editum ſtatim ac creatus eſt, pridie Sabbathii ipſâ veſperâ. Quod ſi Adam ille de quo Gen: 2. is eſt qui prior Sabbathi ſanctificandi legem accepit ſtatim poſt opus Creationis abſolutum, qui etiam de facto prior huic rei operam dedit, neceſſe eſt eum eſſe illum ipſum qui ſexto Hexaemeri die fuit creatus, & in cujus formatione Deus ſuo operi coronidem impoſuit & adjecit Colophonem: nam ſanctificatio primi Sabbathi & lex illius, immediatè primum Hexaemeron ſequuta eſt. Quinetiam quoties ex ſtylo Scripturæ *prima* & *ſecunda* creatio hominis diſtinguitur, tam ſolenne eſt primam

& phy-

& phyſicam ab Adamo derivari, quam certum eſt ſecundam & myſticam, ſecundi Adami, nempe Chriſti, auſpiciis fieri. Quod ſi verò duplex Creatio phyſica hominum debet excogitari, ſuntque multiplicanda Entia ſine neceſſitate, (cùm tamen fruſtra fiat per plura quod poteſt fieri per pauciora,) altera videlicet hominum utriuſque ſexus promiſcuè in omnibus locis, altera verò infinitis propè ſæculis poſt illam Adami & Evæ ſeorſim, tum contra ſtylum Scripturæ pro duabus hominum creationibus altera phyſica, altera myſtica, tres erunt concipiendæ, toto genere diverſæ, nec manebit idonea antitheſis, creationis utriuſque reſpectu, inter Adamum primum & ſecundum.

5. Et cùm peracto Hexaemeri opere, Deus Optimus Maximus dicatur *quieviſſe* ab omni opere ſuo quod fecerat Gen: 11, 2. ideſt ſupremam manum impoſuiſſe rerum creationi,

nulla ratio ſuadet ut ſtatuamus cum pertæſum illius ſuæ quietis, iterum ad Creationis laborem in Adamo & Eva multis poſt ſæculis rediiſſe. Quod ſi tantum putavit Auguſtinus ineſſe ponderis illis verbis Moſaicis quibus ſignificatur Deum ceſſaſſe ab omni opere creationis, ut *ep. 28. quæ eſt ad Hieronymum*, inde collegerit animas rationales non creari quotidie de novo in hominum generatione, ſed per traducem propagari; Si Origenes & Rabbini à traduce alieniores, ne obſtreperent Moſi, cenſuerunt omnes animas rationales ab initio creationis fuiſſe conditas, & ſuo ordine demitti ad naſcentium corpora & illis inecti, ut Menaſſeh Ben Iſrael *prob. 15. & 16. de Creatione* hanc ſententiam mordicùs adſtruit, & pertendit animas omnes ipſo die primo Hexaemeri fuiſſe conditas; quod illo die omnis *lux* fuerit creata, tam intelligibilis quam ſenſibilis; Quanto quæſo plus valebunt

valebunt ut probent Deum poſt opus Hexaemeri deſtitiſſe & ceſſaſſe ab ullis hominibus integris de novo creandis; etſi animas quotidie formaret ex lege & ordine juxta quem in natura jam conſtituta ad ſpecierum conſervationem ſolet concurrere? Nec opus fuiſſet Deo quaſi in ſementem & fermentum generis humani Noam cum ſua familia Arcę includere ubi univerſam terram Diluvio perdere voluit, ſi poſt primos homines creatos in Hexaemero, alios itidem ex luto formare, ut ſors tulerit, aut ex ſaxis cum Deucalione reparare, inconveniens non judicaſſet? Quidni enim aliàs Noam, ut Enochum, quia pium & ſanctum, ad ſe in cœlos non rapuiſſet, cæteris omnibus ad internecionem deletis & novis eorum loco colonis in terram miſſis, qui minùs eam ſuis ſceleribus fœdarent, & ex prædeceſſorum ſuorum exemplo cautiùs mercarentur, eoſque

eoſque audirent ſibi jugiter illud Phlegyę inclamantes, *Diſcite juſtitiam moniti & non temnere Divos?*

6. Fateor equidem quod inter Rabbinorum deliria, quæ noſter Præadamita non æmulatur modò ſed ſæpè ſuperat, id etiam celebretur, quod nequidem ipſe Menaſſeh Ben Iſrael *prob. 12. de Creat.* propter Abrabanelis authoritatem audet reſpuere, alios mundos ante hunc extitiſſe, & hunc quem incolimus eſſe ſecundum, priori ante deſtructo anno ſuo Sabbathico, cùm per ſex millia annorum antea ſtetiſſet. Hoc verò Kabbaliſtæ in *Ticune Zoar* ex eo confirmant, quod Geneſeôs liber incipiat à litera *Beth*, quæ juxta Hebraicam rationem numerandi, ſecundum notat. Ex illo autem delirio potuiſſet Vir Doctus ſuos Præadamitas fabricari ſi ita lubuiſſet; Sed in hoc mundo, quem unicum & ſolum agnoſcimus, duas ſucceſſivè hominum Creationes, Præ-

adami-

adamitarum & Adamitarum, ſomniare, eò eſt abſurdius, quod nequidem ipſi recutiti, (è quorum numero ſe optat Vir iſte & quibus ſuum Opus ſolemniter inſcripſit, quoniam ſolent aves concolores ſe mutuo quærere,) eò proceſſerint unquam inſaniæ, ut diverſas in hoc mundo & à ſe mutuo planè diſcretas hominum ſtirpes comminiſcerentur. Saltem ſi valeret argumentum Kabbaliſticum à litera *Beth* quod modò protuli, deberet ſimili argumento permoveri hic Scriptor à litera א *Aleph*, quę primum notat, & prior eſt in nomine Adami, ut eum primum hominum conditum, nec ab eo diſtinguendum qui creatus deſcribitur Gen: 1. agnoſceret. Tantùm verò abſunt Judæi ab hujus hominis imaginatione, ut è contrario varias reddant rationes, cur non plures ab initio homines, ſed unum ſolum, Dominus condiderit & condere debuerit; Nec pigebit hic annotare

quod

quod ad hanc rem extat in Thalmude, relatum ex libro *Sanhedrin diſt. Dine Mamonoth* Raymundo Martino *Pug. fidei 3.p.diſt.2.c.3.§.3. Tradiderunt Rabbini quod Adam ſolus creatus eſt, ut ſcilicet Deus te doceret quod omnis perdens vel deſtruens unam animam perinde eſt ac ſi perderet totum mundum; ac omnis ſtatuens unam animam eſt ac ſi erigeret totum mundum. Propter pacem etiam creaturarum,* ideſt hominum, *nequando homo diceret ſocio ſuo, Pater meus fuit major patre tuo, & ſic ſuper hoc pluries litigaſſent. Rurſum etiam propter hoc ut hæretici non dicerent quod plura principia eſſent in cœlis. Adhuc quoque propter juſtos & impios, ne dicerent juſti, Nos filii juſtorum,* [Gloſſa R. Salomo, & propter hoc ſumus juſti, & non eſt nobis neceſſe elongari à tranſgreſſione, quia non offendemus in ea:] *Porrò ne dicerent impii, Nos ſumus ex patre impio;* [Gloſſa R. Salomo, & ideo non ſumus digni recipi ad pœnitentiam.] *Iterum propter nationes ac familias,*

milias, ne ſcilicet eſſent bellantes iſta natio cum illa: Si enim nunc quando Adam creatus eſt ſolus ſic pugnant invicem, quanto magis ſi duo fuiſſent? Item propter raptores & injurioſos; nam ſi nunc quando Adam creatus eſt ſolus, ſunt homines raptores & injuriam aliis facientes, quanto amplius ſi duo creati fuiſſent? Tradiderunt quoque Rabbini, Adam idcirco creatus eſt ſolus ut annunciaretur magnitudo Dei per hoc; Homo quippe centum ſigilla ſigillat uno annulo, ſive uno ſigillo, *& omnia ſunt ſibi invicem ſimilia; Deus autem ſigillat omnes homines ſigillo ſuo, ideſt cum primo Adam, & nemo eorum eſt omnino ſimilis alteri.*

7. Sed videamus quibus argutiis ſuam de duplici hominum creatione apud Moſem, Præadamitica & Gentilium altera, altera Adamitica & Judæorum, conetur Vir Doctus adſtruere. Id urget inprimis, quod marem & fœminam Gen: 1. Deus ſimul & ſemel creavit, uno actu & tenore, cùm Adam & Eva, nec uno actu, nec uno die,

die, formati fuerint. Sed reſponſio eſt in promptu; Nam falſum eſt uno continuo actu marem & fœminam creatos fuiſſe Gen: 1. Imò quam abſurdè ipſe Vir Doctus dicit quod duo illi, *maſculus* ſcilicet & *fœmina* primùm creati, *unus homo erant*, cùm vir & uxor nonniſi per copulam carnalem fiant una caro, nec potuerit fœmina ſimul cum maſculo & independenter ab ipſo creata, ut fingit ipſe, ſtatui os ex oſſibus illius & caro ex illius carne, tam jure merito exploſa eſt fabula eorum Judęorum qui ad eundem lapidem cum iſto impingentes, ſibi perſuaſerunt primum hominem, ut refertur Gen: 1. fuiſſe creatum androgynum, ideſt marem & fœminam in uno ſuppoſito, deinde Deum illum diſpecuiſse in duas partes, cum à maris latere fœminam divulſit & ſeparavit. Ita apud Raymundum Martinum *Pugionis fidei 3. p. diſt. 2. cap. 3. §. 1.* R. Moſes Haddarſchan *in Bereſith Rabbah*: *Dixit*

Dixit R. Ieremias in hora qua Deus creavit hominem primum ἀνδρογύνον, ideſt Hermaphroditum, *creavit illum, ſicut dictum eſt Gen: 1. v. 37.* Maſculum & fœminam creavit eos. *Objecerunt autem ex eo quod ſcriptum eſt Gen: 2. v. 21.* Et accepit unam de coſtis ejus? *Quibus ipſe reſpondit,* Unam de coſtis ejus, *ideſt alteram partem, ſicut eſt Exod: 36. v. 25.* Et ad coſtam tabernaculi ſecundam ad partem Aquilonis. Huic delirio acceſſit Menaſſeh Ben Iſrael *Concil. ſui in Gen. q. 8.* & ex Chriſtianis Franciſcus Georgius Venetus *tom. 1. prob. 29.* Aliquid etiam iſtius fabulę adſperſum fuiſſe Platoni, vel inde liquet quod in *Sympoſio* referat olim homines fuiſſe bicorporeos, quatuor inſtructos manibus & pedibus totidem; ſed cùm ideo ferocirent diſſectos à Jove in duos fuiſſe & factos bipedes.

8. Sed illi commento reclamat authoritas textus ſacri, ex quo liquet hominem conditum fuiſſe primitùs à

Deo

Deo in duobus diſtinctis ſuppoſitis unius maris & unius fœminæ; Dixit enim Moſes quod Deus marem & fœminam creavit *eos*, licet fiat utrique commune nomen *hominis*, prout Eruditi notant, quod etiam illa vox *Adam* Hebraicè, ut appellativè uſurpatur, ſequiori ſexui conveniat, allato in exemplum loco ex Num: xxxi, 35. & dicunt JCti, *Hominis appellatione tam fœminam quam maſculum contineri l. 152. ff. de Verb. ſig.* fruſtra reclamante Cujacio, & authore libelli *Quod mulier non ſit homo.* Huc accedit conſenſus doctiorum è Rabbinis, Mæmonidis nominatim in *More Nevoch. p. 2. cap. 30.* qui agnoſcunt Moſem ſummatim referre τῶν πρωτοπλαστῶν creationem Gen: 1. quantum ad diem, ſuppoſita, & conditionem eorum; ſed modum & ordinem diſtinctiùs enarrari cap. 2. Cur autem non fuerint primi parentes uno actu & eodem tenore conditi, multæ poſſent reddi rationes,

nes; Sed ea inprimis quam urget Apoſtolus 1 Cor: XI, 8. 9. *Non vir eſt ex muliere, ſed mulier ex viro, neque eſt conditus vir propter mulierem ſed mulier propter virum*, ut inde agnitâ ſuâ à viro dependentiâ ſe in illius poteſtate & mancupio eſſe meliùs intelligat. Haud abſimile eſt quod legitur, licet fabulis intertextum, *in BereſithRabba* ex R. Jochanan & R. Acha, relatum Raymundo *loco quem modò citavi*, §. 4. *Dixit R. Acha, Adduxit Deus ſanctus benedictus coram Angelis miniſterii, animalia, beſtias & volucres, & dixit illis, quod eſt nomen iſtius & illius? & neſciverunt. Fecit igitur eadem transire coram Adam, dixitque illi, quod eſt nomen iſtius? Ait. iſtud eſt bos, & iſtud eſt aſinus, & hoc eſt equus, & ſic de aliis. Dixit ei Dominus, & quod eſt nomen tuum? Ait ei, Adam, quia de terra creatus ſum. Et quod eſt nomen meum? Iehova ſive Adonay, quia Dominus es omnium. Rurſum tranſire fecit coram ipſo iſta animalia bina, & dixit homo, Omnia habent*

bent conjuges & ego non habeo conjugem, ſicut dictum eſt Gen. 2. v. 20. Et Adamo non invenit adjutorium. *Mira res; quare non creavit eam primitùs? quia vidit Deus ſanctus benedictus, quod ipſe Adam erat propoſiturus querimoniam contra eam, ſicut dictum eſt Gen: 3. v. 12.* Mulier quam dediſti mihi dedit mihi ex ligno & edi. *Et ideo non creavit eam, donec ore proprio poſtularet eam; mox creavit eam ſibi, ſicut dictum eſt Gen. 2. v. 21.* Et fecit cadere Deus ſoporem ſuper Adamum tulitque unam de coſtis ejus, & clauſit carnem loco ipſius & ædificavit, ויבן *vaijven*, & animadvertit *fuit ſcriptum: Animadvertit enim unde crearet eam: Non creavit eam de capite, ut non eſſet laſciva capite: non de oculo, ne annueret oculis: non de aure, ne foret auſcultatrix: non de ore, ne foret loquax, ſeu garrula: non de corde, ne eſſet invidioſa: non de manu, ne foret contrectatrix; non de pede, ne eſſet diſcurſatrix: ſed de loco honeſto & oc-*

& occulto in homine etiam quando ſtat nudus.

9. Adamum verò. & Evam uno eodemque die fuiſſe creatos, vel inde liquet quod maris & fœminæ creatio eidem diei aſſignatur Gen: 1,26. Quod Deus viderit poſt Hexaemeron omnia quæ fecerat eſſe *valde bona* Gen: 1, 31. unde patet non poſtea illud dictum fuiſſe quod legimus Gen: 11, 18. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*; Et quod *quieverit* die ſeptimo ab omni opere Creationis, adeoque manum ultimam iſti operi in πρωτοπλαςῶν formatione impoſuerit. Nec aliter ferè Judæorum Magiſtri, qui in *Gemara Sanhedrin Cap. 4. §. 9. & 10.* tradunt Adamum conditum fuiſſe pridie Sabbathi, ac ultimum operum divinorum, *tum ne dici poſſet hominem in creando mundo operam Deo ſociaſſe; vel ut ſi animus ejus efferretur, dici ipſi poſſet, Muſca te prior condita eſt; vel ut ſtatim ſubjiceretur*

legi;

legi; *vel ut ſine mora convivium ſtructum iniret*; & ejuſdem diei *horâ ſeptimâ* Evam Adamo junctam fuiſſe. Quod verò objicit PræAdamita *Syſt. lib. 3. cap. 2.* tanquam ex Salmaſio *in annis ſuis climactericis*, Judæos Helleniſtas aſſeruiſſe *Adamum formatum fuiſſe primâ lunâ*, *Evam ſecundâ*, non debet prævalere contra receptiſſimam inter ipſos Judæos ſententiam. Equidem Salmaſius *illius libri pag. 836.* tribuit Judæis Helleniſtis quod ſingulos dies lunæ, fauſtos vel infauſtos ſtatuerint, pro natalibus primorum patrum; ac retuliſſe Adamum formatum primâ lunâ, Evam ſecundâ, Cainum tertiâ, Abelem quartâ, Samuelem trigeſimâ: Sed primò, nec ipſe Salmaſius ullum nominatim habet authorem iſtius commenti, niſi quod laudat Anonymi M. S. C. cui titulus eſt Ἑρμήνεια περὶ τῶν ὅλων ἡμερῶν τῆς σελήνης τῶν ἀγαθῶν καὶ πονηρῶν. Secundò etſi illi dies in eo ſcripto conſequan-

ſequantur ſuam denominationẽ lętam vel infauſtam per γενεθλίυς ἡμέρας hominum in V. T. commemoratorum, non ſtatim inde ſequitur, ſcriptum hoc magis eſſe hominis Judæi, quam Mahumetani, vel ſemi-Chriſtiani: E[illegible]lurimis Kalendariis vulgaribus nota eſt diſtributio dierum in fauſtos & infauſtos juxta revelationem bono Joſepho factam per Angelum; & tamen necdum credo ſcitur quis ille Joſephus, quis ſuus Angelus fuerit, ater, an albus. Tertiò cùm Salmaſius ipſe hanc *ſuperſtitionem* refutet, fatente Præadamitâ, nihil certi poteſt adſtrui ex commento ſuperſtitioſo. Si quarto die Hexaemeri Luna condita eſt in conjunctione cum Sole, Adam formatus fuit non primâ lunâ ſed tertiâ; ſi in oppoſitione, non primâ vel tertiâ, ſed decimâ ſextâ. Quartò etſi hoc commentum obtineret, nihilominus potuiſſent Adam & Eva eodem die civili formari, ſive intra idem νυχθη-

μερον, licet ille circa finem lunæ primę, hæc auſpicante ſecundâ lunâ, formati fuiſſent. Denique ſi hoc commentum ſit quorundam Judæorum Helleniſtarum, nititur proculdubio altero illo commento æquè abſurdo, quod ſuo loco refutavimus, de Adamo condito primùm mare & fœmina in uno ſuppoſito, & deinde in duas diſtinctas perſonas diſtributo. Quare non eſt quod illi rei diutiùs inhæreamus.

10. At ea referuntur Gen: 2. accidiſſe inter Adami & Evæ formationem, quæ uno die peragi nequiverunt, inquit Præadamita *Syſt. lib. 3. cap. 2.* Sed quænam illa ſunt? Plaſtem, inquit, Deus egit Adami, eum formando de limo terræ; Quid tum? Hoc cum mora proceſſiſſe negamus; Licet enim verbum יצר *Iatſar*, quod eſt figulorum, hîc adhibuerit textus ſacer reſpectu Adami, & verbum בנה *Bana* quod eſt architectorum reſpectu Evæ,

tam

tamẽ tam perperam ex utroque colligas eam moram eaque molimina hîc adhibuiſſe Deum, quę ſunt figulorũ & architectorum in ſuis operibus, quam ſtolidè imaginareris Deum in illo rotam, in hoc lapides & cæmentum tractaviſſe. Satis eſt quod utroque vocabulo operis divini tum origo, tum fragilitas, tum egregia & artificioſa ſtructura, commendatur; cæteroquin θεοπρεπῶς intelligenda, quæ de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicuntur in ſacris literis, vel ipſi Catechumeni norunt. Quid quod ex uſu linguæ ſacræ verbum יצר *Iatſar* quod eſt *plaſmare* Gen: 11, 7. & verbum ברא *Bara* quod eſt *creare* Gen: 1, 27. plerumque ſynonymôs uſurpantur? Unde liber Rabbinicus quem Abrahamo Patriarchæ tribuunt inſcriptus ספר יצירה *Sepher Ietſira*, ideſt, ut ipſi Lexicographi reddunt, *liber Creationis*. Quin Thargum verbum *Bara* repoſuit Gen: 11, 7. pro verbo *Iatſar*, ut & Pſalm: LXXIV, 17. ubi

Deus dicitur *æſtatem & hyemem plaſmaſſe* ſive *formaſſe*. Jam autem Deum in Creatione, etiam ipſorum hominum, momento & citra diuturniorem moram opus quodcunque abſolviſſe, eſt nobis extra dubium: *Dixit & facta ſunt*. At Deus didicit *quaſi experimento & per quoddam tempus elapſum Adamum ſolum ſine adjutorio nec coluiſſe nec cuſtodiiſſe commodè Paradiſum*, inquit idem *ibid.* Id verò eſt longè falſiſſimum: Nec enim hæc ſignificant quid Deus tractu temporis in Adamo expertus ſit circa cuſtodiam & culturam Paradiſi; quaſi Deus jam demum ſuo obſervato errore, de illo corrigendo deb uerit deliberare; ſed tantum quid Deus pro ſumma ſua ſapientia in ęterno ſuo conſilio, cenſuerit conducere homini ad vitam ſociam & politicam, & quî factum quod cùm inſtituit eum creare, dicendo, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, non unum marem condiderit, ſed ei fœminam ex

ipſius

ipſius latere deſumptam in ſociam vitę individuam & collateralem adjunxerit, ſic tamen ut ipſummet virum voluerit eam priùs quadantenus optare, ne ſe putaret infra reliqua animantia, quæ paria eſſe & ſuô ſenſu conjugata jam obſervaverat. At non eſt vero ſimile omnes beſtias terræ & volucres cœli, ex remotis Indiæ, Africæ, Americæ, Europæ regionibus *per dimidium unius diei*, in Meſopotamiam veniſſe, ut ſuum ibi nomen ſortirentur, inquit idem *ibid.* Sed ſupponit falsò omnia illa animantia ex ultimis terræ oris adducta fuiſſe ad Adamum: Cùm enim nonniſi bina cujuſque ſpeciei ab initio, eodem in loco quo protoplaſti, condita fuiſſent, multo faciliùs Adamo potuerunt ſiſti, ſive ad id Deus fuerit uſus miniſterio Angelorum, ſive talem impulſum & ὁρμὴν ipſi beſtiarum phantaſiæ impreſſerit, quod cenſet Auguſtinus *lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 14.* ut dominum ſuum agnoſ-

cerent & nomina ſua ab eo obtinerent, quam poſtea Noæ ut in Arca ſervarentur. Quod ſi verò hæc contigiſſent tantum per intellectualem viſionem, ut cenſet Cajetanus, minus adhuc moræ poſtulaſſent. At inquit idem *ibid.* in illis appoſitè denominandis & recognoſcendis, opus fuit *diſcurſu & tempore* prolixiori, cùm nequidem *intra breve adeò tempus*, illa nomina *continuâ ſerie* proferri poſſent. Abſurdè omnia: Cùm enim Adam fuerit conditus à Deo ſapientiſſimus, haberetque menti ſuæ impreſſas omnium rerum creatarum notiones, ideas, & ſpecies intelligibiles, unde dicunt Judæi, ut monet Menaſſeh Ben *Iſrael de frag. hum. p. 1. ſect. 4. n. 3.* omnes ſcientias & artes liberales illi ab initio infuſas fuiſſe, illumque conſtitutum *primum rerum naturalium profeſſorem*, illa luſtratio & recognitio ſenſibilis brevi peragi potuit; nec debuit Adam ad illam nomenclaturam ſingulorum

nomina

nomina articulatè proferre, ſed tantum apud ſe cogitare quo nomine quodque eorum, juxta illius ideam quam habebat, ubi foret opus exprimeret. At ſopor Adami, inquit *ibidem*, quem Deus illi immiſit ad unam ex ipſius coſtis eximendam fuit diuturnus & profundus. Profundum fuiſſe fateor, qualis etiam ſomnus Jonæ in fundo navis; diuturnum nego, cùm magis exſtaticus fuerit, unde ἔκςασις dicitur Græcis interpretibus, quam phyſicus aut naturalis; eumque tantum in finem illi immiſſus, ne dolore aut horrore in lateris ſui apertione tangeretur, ne-ve ſpectator foret operis divini in creatione mulieris; quod opera Dei ſint nobis magis contemplanda in facto eſſe quam ſcrutanda in ſuo fieri Deut:xxix,29. & quo denique intelligeret etiam nobis dormientibus nuptias noſtras conficere & commodis noſtris invigilare Providentiam Divinam, ut quondam Ti-

motheus Imperator Græcus ita pingebatur, ut ei dormienti fortuna urbes captas ac ſuo reti involutas adduceret. Qui ſequiori ſexui ſunt infenſiores dicunt, meritò uxorem factam fuiſſe Adamo cùm dormiret, quia prudens & vigilans eam nunquam fuiſſet optaturus; Addunt etiam oſſeam illam materiam in mulierum pervicacia quotidie ſentiri, in qua plus oſſium reperias in quibus frangas genuinum, quam carnium quibus veſcaris; Unde Euripides *in Oedipo*, δυσμαχώτατον γυνὴν dixit, ideſt quid durum & quod difficulter admodum expugnatur. Verùm nolimus ita ludi in re ſeria; cùm Veteres è contrario in iſto Adami brevi ſomno, imaginem quandam ſuſpexerint Redemptionis noſtræ per Chriſtum: quò pertinet iſtud ex Auguſtini ſententiis, *ſent. 138. Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Chriſtus ut fiat Eccleſia: Dormiente Adam fit Eva de latere, mortuo Chriſto lanceâ perforatur latus, ut ſu-*

pereffluant

pereſſluant Sacramenta quibus formetur Eccleſia.

11. Sed,inquit iterum noſter Præ-Adamita,inter ea quę narrantur Gen: 1. & ea quę extant Gen: 2. id eſt diſcriminis, quod ibi marem & fœminam *creaſſe* Deus legitur, hîc verò dicitur Adamus *formatus* ex limo terræ: Urget hoc diſcrimen inter *creationem* & *formationem Syſt. lib. 2. cap. 9. & 10. & lib. 3. cap. 1. & 2.* Verùm linguæ Hebraiçæ imperitia bono viro impoſuit. Nam, uti jam antea monui, verba *creandi* & *plaſmandi*, ſive *formandi*, in hoc negotio promiſcuè uſurpantur. Eſaię XLV, quem locum Vir iſte inculcat, Deus dicitur com. 11. יצר *Iotſer*, ideſt *plaſtes* ſive *formator* Iſraelis; ſed com. 18. dicitur pariliter יצר הארץ *Iotſer haarets, formans* ſive *plaſmans terram*. Nec dicitur Deus tantum *plaſtes* Iſraelis, ſed etiam illius Creator Eccl: XII, 1. & Rabbinicè homines in communi בריות *Birjoth, Creaturæ* dicuntur,

quo modo etiam Chriſtus voluit annunciari Euangelium *omni Creaturæ* Marc:xvi,15. Ac ut Deus non ſemel hominum quorumlibet, etiam Judæorum, Creator appellatur, ita etiam quandoque appellatur *Iotſer* ſive *plaſtes* aliarum rerum, ut nominatim locuſtarum Amoſi vii, 1. imò Gen: 11, 19. univerſim *omnium beſtiarum agri* omniumque volucrium cœli; Et nativa cujuſque corruptio appellatur Thalmudiſtis יצר הרע *Ietſer harang*, *figmentum malum*, ex loco Gen: vi,5. Et interpretes Græci verbum *Iatſar*, non ſolum reddunt πλάττω, *fingo, formo*, ut Gen: 11,7. & alibi, ſed etiam κτίζω, ideſt *creo* Eſ:xxii,11. xlvi,11. & ποιέω *facio* Eſ:xlv,11. Hinc eruditi obſervant tria vocabula adhiberi à Spiritu Sancto circa Adami natalia, Verbum *faciendi*, quod eſt generalius Gen:1,26. Verbum *creandi* quo ejus productio ex nihilo, ſaltem ſecundum quid, ſignificatur, non ſolum Gen:1,

27. ſed

Homo Gen: 1. *idem qui Adam Gen.* 2. 27. ſed nominatim de Adamo Gen: v, 1.2.3. & tandem Verbum *fingendi*, ſive *formandi* Gen: 11, 7. quo denotetur eum inſtar vaſis figulini Dei manibus compactum fuiſſe, & operis ἐυπρέπεια, id eſt *elegantia* & *uenuſtas*, judice Severiano Gabalitano *tom.* 7. *Græc. Chryſoſtom. hom.* 5. indicetur. Quod ſi verbum *formandi* de Adamo uſurpatum eum realiter diſtingueret ab homine primitùs *creato* ad imaginem Dei Gen: 1, 26. 27. noluiſſet Moſes de Adamo nominatim Gen: v, 1.2.3. uſurpare verbum *creandi*; quod foret Præadamitis ſpeciale; & pari jure fingeret aliquis Præcanes & Præleones factos ſecundum ſuam ſpeciem ſexto Hexaemeri die Gen: 1, 24. 25. eo quod Gen: 11, 19. ſub eadem planè vocula ויצר *Vaijtſer*, quæ de Adamo uſurpatur ibid. com. 7. dicatur Deus formaſſe ex limo terræ omnem beſtiam agri & omne volatile Cœli, & ea ad hominem ipſum adduxiſſe. Ut

verò inſanus ſit qui propter voculam *formandi* hîc de beſtiis & avibus uſurpatam, alias beſtias & alites alteriusve ordinis ſibi imaginetur ab iis quæ creatæ vel factæ dicuntur Gen: 1. ita oportet eum non ſani eſſe ſyncipitis qui propter verbum *formandi* de Adamo uſurpatum Gen: 2. eum eum Eva fingat alium ab illo mare & fœmina quos Deus legitur creaſſe Gen: 1. Quod ſi formatio Adami ex *limo terræ* eum diſtinguit realiter & numericè ab eo quem Deus dicitur feciſſe Gen: 1. ad imaginem ſuam, debes tibi perſuadere hunc ex limo terræ formatum non fuiſſe; eum enim vel ex terra prodiiſſe vel ex terra factū fuiſſe ibi non dicitur, nec aliundè poteſt colligi quam ex Gen: 2. Cur igitur *Syſt. lib. 2. cap. 11.* pertendis Gentiles ex tuis Præadamitis oriundos *Terrigenas* appellari, ad diſtinctionem Judæorum Adamitarum, cùm id nominis potiùs Adamitis ex luto terræ formatis in ſuo primo parente conveniat? 12. At,

12. At, inquit Prẹadamita *lib. 2. Syſt. cap. 10. primæ creationis homines creati fuêre Verbo Dei*; Secus ſtatuendum de Adamo, quem Deus *non creavit verbo, ſed manu formavit de limo terræ*, unde ſtatui debet *opus manuum Dei*. Sed primò omnes Creaturẹ, Verbo Dei editæ, debent cenſeri opus manuum ſuarum; ſive conſideretur ut earum Creator, ſive ut earum figulus, concinnè, ſapienter, artificioſè & liberè illas ex limo & viliſſima materia conficiens; prout etiam ſtatuitur formaſſe ex terra inſtar figuli ipſas beſtias terrẹ, & cœli dicuntur opus digitorum ſuorum Pſalm: VIII, 4. & opus manuum ſuarum Pſalm: CII, 26. Heb: 1, 10. Et manus Dei magis propriè ſumi in creatione hominis quam cœlorum, dicere poteſt faciliùs Vir iſte quam docere ex ſtylo Scripturẹ. Secundò crudè nimis negatur Adamum formatum fuiſſe *verbo Dei*; cùm per illud verbum omnia facta dicantur Joh: 1, 3. etiam ipſimet

ipſimet Angeli, ipſo ſanè Adamo perfectiores Col. 1, 16. Et ſi quandoque Veteres dicunt non *verbo* ſed *manu* Dei Adamum factũ fuiſſe, (quò forte pertineret illud Tertulliani *lib. 2. contra Marc. cap. 4.* Deum hominem operatum fuiſſe, *non imperiali verbo ſed familiari manu, etiam verbo blandiente præmiſſo, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram;*) non id dixerunt ſimpliciter & abſolutè; quaſi *Verbo Dei* homo non ſit condit[illegible] ſed tantum ſecundum quid & comparatè, quatenus Deus deſcribitur majorem curam & ſollicitudinem in hominis efformatione adhibuiſſe; juxta iſtud Gregorii Nyſſeni *de hominis opif. cap. 5.* αὐτοσχεδιάζεταί πως ἡ κτίσις ὑπὸ τῆς θείας δυνάμεως ὁμοῦ τῷ προστάγματι ὑφισταμένη. τῆς δὲ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῆς βουλὴ προηγεῖται καὶ προτυποῦται παρὰ τοῦ τεχνιτεύοντος διὰ τῆς τοῦ λόγου γραφῆς τὸ ἐσόμενον. *Tumultuariè quodammodo Creatura reliqua Divinâ virtute producitur:*

ducitur, ſolo imperio ſubſiſtens. Hominis verò ſtructuram conſilium antecedit, & ab artifice ipſo quadam ſermonis picturâ id quod futurum erat adumbratur. Huc facit iſtud Tertulliani *de Reſurr. cap.* 5. *Caro autem & ſermone Dei conſtitit propter formam, ne quid ſine ſermone, Faciamus enim hominem, ante præmiſit; Et amplius manu, propter prælationem, ne univerſitati compararetur. Et finxit Deus hominem inquit. Magna ſine dubio differentia ratio, pro conditione ſcilicet rerum: Minora enim quæ fiebant, eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant cui mox à Deo addicta ſunt: Merito igitur ut famulæ juſſu & imperio & ſola vocali poteſtate univerſa proceſſerant; Contra homo ut Dominus eorum, in hoc ab ipſo Deo extructus eſt, ut Dominus eſſe poſſit, dum fit à Domino.* Quartò nec Deus Gen: 1. dicitur verbo ſuo creaſſe hominem ex terra, ut ait Præadamita: Nam dixit quidem Deus Gen: 1, 24. *Producat terra animantia in ſpecies ipſorum,* cùm voluit beſtias exiſtere;

exiſtere; ſed non legitur id dixiſſe ad productionem hominum, aut eos è terra exciviſſe; Et viceverſa omnem illam accurationem quæ poteſt concipi ſub verbo *fingendi*, deſcribitur Deus ibid. com. 26. adhibuiſſe in maris & fœminæ quos primùm creavit productione, præmiſſâ ſcilicet illâ gravi quaſi deliberatione & conſultatione, quam ſuper iſto ſuo opere ceu reliquis nobiliori dicitur habuiſſe his verbis, *Poſtea dixit Deus*, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundum ſimilitudinem noſtram*; Quamvis enim verum ſit axioma Thalmudiſtarum, relatum Mæmonidi *More Nevochim p. 2, cap. 6. Non facit Deus quicquam niſi antea conſultarit de eo cum familia ſuperiori*, ideſt revera cum ſua Sapientia & cum ſuo Spiritu, tamen ſpeciatim illa conſultatio ei tribuitur, ubi agitur de hominis productione; quia tantæ molis erat humanam condere gentem.

13. Objicit præterea Vitriſte *Syſt.*

lib. 3.

lib.3.cap.2. quod Gen: 11, 7. particula Et denotet *principium rei novæ apud Hebræos, non ſeriem rei actæ*, unde etiam libri nonnulli Sacri, ut Ezechiel & Jonas, ab illa particula incipiunt. Sed hoc eſt nimis dilutum; nam quamvis particula ו *Vau* quandoque redundet & ornatus duntaxat gratiâ adhibeatur, nullâ certâ ſignificatione, ut cùm plures libri ſacri ab ea incipiunt, ne ad Ezechielem tantum & Jonam reſpiciatur, tamen nec unquam denotat ſuo ſignificatu principium rei novæ, & hîc loci obtinet omninò ſignificationem, vel copulativam τȣ̃ *Et*, vel adverſativam aut rationalem τȣ̃ *autem*, adeo ut alterutro modo reddatur conſtanter ab Interpretibus. Sed quia huc Grammaticationis devenimus, cùm textus originalis habeat וייצר *Vaijtſer*, illud ו *vau* neceſſariò non eſt tantum copulativum, ſive וו חבור *vau chibbur*, ut loquuntur Grammatici Hebræi, apud Buxtorfium *Theſ. Gram. lib.* *2. cap.*

2. cap. 21. ſed etiam ו הפוך *vau hippuch* ſive converſivum; & cùm adjiciatur futuro verbi *Iatſar*, ſignificat eo ipſo præteritum tempus à Moſe deſignari; adeoque eum potiùs reſumere narrationem quæ præceſſerat de hominis creatione, quam novæ rei aggredi hiſtoriam. Et quid abſurdius quam ex pleonaſmo illius particulæ in principio quorundam librorum, illi abrogare in medio capite primum & legitimum ac frequentiſſimum quem obtinet uſum, ſequutura cum præcedentibus connectendi? Illud æquè inſubidum imò longè tetrius *ibid.* quod Deus dicatur *in Geneſi* tuliſſe hominem in Paradiſum quem *plantaverat à* PRINCIPIO. Nam has duas voculas notat grandioribus literis, ut inde conficiat non triduo ante Adamum Paradiſum fuiſſe creatum, ſed multo ante ipſum: *Certè*, inquit, *ſi Adamus hic fuiſſet homo ille creatus in* PRINCIPIO, *& triduo poſt terram creatam, non dixiſſet*
Geneſis

Geneſis ſuper hoc Adamo quem tulit Deus in paradiſum, Plantaverat Dominus paradiſum à principio; imò verò illud, Plantaverat nudius quartus paradiſum. Verum enim verò hîc ſe prodit manifeſtum Scripturarum corruptorem, ut ſuæ hypotheſi ſerviat; Legatur enim caput 2. Gen: juxta veritatem Hebraicam, nuſquam ibi occurret quod fingit, Deum plantaſſe hortum *à Principio.* Jure notavit hanc particulã grandioribus literis, ut inde grandior ejus vel temeritas, vel inſcitia appareret? Nec debuit illi imponere Vulgata Verſio Latina, quæ ita habet Gen:11, 8. *Plantaverat Dominus paradiſum voluptatis à principio*; cùm verba Moſis reddenda fuiſſent, ut etiam factum à Græcis interpretibus & omnibus aliis, *Plantaverat hortum in Eden ab oriente.* Nec poſſe Moſaicum מקדם *Mickkedem* ita reddi, vel inde etiam liquet, quod illa particula ſignificet plerumque non tantum *pridem* & *olim*, ſed *ab æterno*, ut

no, ut Mich:v,2.Hab:1,12. Prov:VIII, 23. Præterea etſi notaret ad verbium temporis, non neceſſariò notaret *pridem* vel *olim*, vel *à principio*, id eſt tempus jamdiu præteritum, ſed poſſet reddi, *priùs* vel *antea*, ac tempus proximè præteritum ſignificare; ut quandoque ea eſt ſignificatio τȣ̃ מלקדמין *Millekodamin*, apud Chaldæos huic formulæ reſpondentis. Quin etſi Moſes ſcripſiſſet מראש *Meroſch* aut מראשית *Mereſchith*, & ſic retinendus eſſet error V. V. quæ habet *à principio*, id non faveret cauſæ Præadamiticæ; quoniam id tantum ſibi vellent hæc verba, Deum ab ipſo principio quo operi ſuo cœpit vacare, illum hortum plantaſſe & deſtinaſſe homini, quem ideo recens conditum eò detulit, ut illum cuſtodiret & coleret. Ne dicam Judæos poſſe id referre ad æternum Dei decretum de horto illo ſuo tempore plantando & homini aſſignando: Nam Thalmudiſtæ *in lib. Nedarim* ʃ. 84. ut refer-

refertur à Joſepho de Voyſin *lib. 2. Theol. Iud. cap. 2.* inter *ſeptem luces* factas *antequam mundus crearetur*, exprimunt nominatim *lucem horti Eden* ex Gen: 11, 8. Quod ſi fingas multis & propè infinitis ſæculis ante Adamum eò illatum, hortum illum ſtetiſſe, debebis unà fingere, aut eum ſine cultura permanſiſſe ad Adamum uſque, adeoque pro horto amœnitatis Deum exhibuiſſe illi locum ſentibus & ſpinis undique exhorreſcentem & planè ſquallidum, prout *incultis urenda filix innaſcitur agris*; aut hunc non fuiſſe primum illius horti villicum, ſed alios jam ante ipſum hac curâ fuiſſe defunctos, quibus tandem plorare juſſis, & illud Virgilianum uſurpare coactis, *Impius hac tam culta novalia miles habebit?* dixerit ex improviſo, *Veteres migrate coloni.*

14. Leviculum eſt quod iterum objicis *lib.3. c.2.* Adamum ſuam conjugem non vocaſſe *hominem*, ut hoc nomi-

nomine exprimitur quoque fœmina Gen: 1. ſed *Viram* ſive *Viraginem*; quod *viro illi* inter homines tam excellenti, *ædificanda fuerit virago*, *cæteris fœminis excellentior*. Nam Gen: 1. communi nomine *hominis* veniunt mas & fœmina ſexu diſtincti, quod ſint ejuſdem ſpeciei & naturæ; at Gen: 2. *Iſch* & *Iſcha* dicuntur tum per reſpectum ad vinculum & uſum conjugii, quomodo *Vir & Vxor* Latinis uſurpantur; tum quo denotetur fœminæ dependentia à viro à quo originem ſuã habet, ut notat Apoſtolus 1 Cor: xi, 8. 9. Ac prout non negaveris, Adamo maris, & Evæ fœminæ nomen, quod tuis Præadamitis vindicas, convenire; ita inter tuos Præadamitas, ſi fuiſſent in rerum natura, & inter Gentiles, quos ex illis facis oriundos, dubium non eſt quin maritus quilibet debeat dici *Iſch* ſuæ conjugis, & ipſa *Iſcha* ſui viri, quem propter illam primam dependentiam primæ mulieris à primo viro,

quam ceu univerſalem urgere Apoſtolum aliàs monuimus, pro ſuo capite & domino debet agnoſcere, ad id non obligatà ſi ex ea ſtirpe Aboriginum fuerit, in qua ita ſint creati ſimul mas & fœmina, ut hæc ab illo prorſus independens producta concipiatur. Nec opus me fatigare ut probem hæc duo vocabula *Iſch* & *Iſcha* non minus de Gentilibus, & conſequenter Præadamitis imaginariis hujus Viri, uſurpari in Scripturis, quod proclive foret, quam de Judæis & Adamitis. Sufficiat quod etiam de ipſis beſtiis, ubi mas & fœmina earum debent exprimi, (uti obſervat Mæmonides *in More Nevoch. p.1.cap.6.*) utrumque hoc vocabulum uſurpetur Gen: VII, 2. 3. Adeo abſurdum eſt quod noſter fingit, propter iſtud nomen *Iſcha*, *interdicta matrimonia Iudæorum cum fæminis gentium*: cùm illius interdicti aliæ rationes multo graviores colligantur ex Scripturis, ut etiam videre eſt

2 Cor:

2 Cor: VI, 14. Nec ideo debuerunt interdici Judæis matrimonia cum Gentilibus, quod nulla Gentilium* apta fuerit Adamo, ſed potiùs dicendum foret, poſito quod jam mulieres Gentiles prçextitiſſent, ideo nullam ex illis moraliter fuiſſe aptam Adamo, (nam phyſicè loquendo, notum proverbium Gallicum, Æluros omnes noctu eſſe griſeos, ſive id quod reſponſabat honeſta matrona Philippo Macedoni eam ad ſtuprum ſollicitanti, apud Plutarchum *in Conjug. præceptis*, Sublatâ lucernâ omnes mulieres eſſe ſimiles; πᾶσα γυνὴ τοῦ λυχνοῦ ἀρθέντος ἡ αὐτὴ ἐστι) quod jam Deus averſaretur & improbaret illa connubia hybrida, quibus *membra Dei gentibus proſtituuntur*, ut loquitur Cyprianus *in epiſt. de lapſis.*

15. In eo fortè plus ponderis quod habet noſter *Syſt. lib. 3. cap. 3.* Nam cum Gen: 1. primi homines conditi fuerint ſexto die eâ ſtaturâ & perfe-

ctione

ctione, quâ illicò capaces erant copulæ conjugalis, juxta id quod ſtatim audiunt, *Creſcite & multiplicamini*; pertendit Adamum è contrario *non illicò & primo die, ſed ex intervallo, ſucceſſivè & per ætates ſuas provectum fuiſſe ab infantia & adoleſcentia ad virilem ſtatum*; Evam pariliter nonniſi ſucceſſivè & tractu temporis eo perveniſſe perfectionis & ætatis quâ *nubilis* eſſet. Sanè ſi hęc vera ſint, multum erit diſcriminis inter creationem maris & fœminæ Gen: 1. & Adami ac Evæ formationem Gen: 2. At ſi illa referenda demonſtravero, ad ridicula hujus hominis ſomnia, nihil ei reſtabit quam ut naviget Anticyras. Id verò demonſtrando ſufficere poſſit, quod nullâ Scripturarum authoritate, nullâ probabili ratione, nullâ Veterum conſenſione aſſertio illius nitatur. Fateor quidem illos impropriè loqui qui dicant, ut hic loquitur, Adamum *quo die natus eſt attigiſſe annos triginta tres*,

quibus Chriſtus mortuus eſt; Id enim nec ſatis Latinè, nec ſatis accuratè dicitur: Non ſatis Latinè; Nam Chriſtus non eſt mortuus triginta tribus annis, ſed vitæ anno trigeſimo tertio, ſive potius trigeſimo quarto, ut major pars Chriſtianorum Chronologorum aſſerit. Non ſatis accuratè; Nam etſi Adam quo die formatus eſt eam habuit ſtaturam virilem & perfectam, quam in natura conſtituta nemo attingit ante vigeſimum quintum vel trigeſimum ætatis ſuæ annum, tamen eo die quo talis formatus eſt fuit ephemerus & unius tantum diei, à quo incepit ejus curriculū, quod ab illo die fuiſſe 930. annorum teſtatur Scriptura: Ac meritò olim riſimus Hyperboreum quendam Philoſophaſtrum, cui inter plurima alia abſurda & iſtud exciderat, Adamum fuiſſe centum annorum cùm crearetur. Interea tamen id longè abſurdius quod fingitur à Præadamita, Adamum non

virili ſtaturâ ſed infantili fuiſſe primitùs formatum, nec ad illam niſi ſucceſſu temporis, ut hodie ſolent homines, perveniſſe. Quis enim huic infanti recens formato & vagienti ubera præbuit? Quis cunas ei paravit? Quis pultem illi coxit? An ea fuit fortuna Adami, quæ Cyri quem canis, vel Romuli ac Remi quos lupa, vel Habidis quem tandem cerva ſuſcepit educandos? An ut Tages puer Hetruſcorum præceptor, fortuitò repertus in arantis ſulco & quaſi ſub illius vomere, ita Adam puer expoſitus à Deo, caſu quodam inventus eſt ab aliis, qui curam ejus alendi & inſtituendi, ut in Moſe contigit per Pharaonis filiam, ultrò ſuſceperint? Et cùm pertendat Vir iſte, plus curæ adhibuiſſe Deum in Adamo fingendo ſuis manibus, quam in creandis mare & fœmina primi Geneſeôs ſuo Verbo, quî quæſò factum quod tamen longè imperfectior prodierit Adamus

ex ſummi & ſapientiſſimi figuli manibus, quam Præadamitæ ex ſinu terræ, ad ſolum vocis ſuæ mandatum? Potuit-ne fieri ut illîc opus minus perfectum fuerit, ubi plus accurationis ab Opifice adhibitum? An cùm virum Deus in Adamo intenderet, currente rotâ nonniſi infans exiit, ut illi evenerit quod dixit Poëta, *Amphora cœpit Inſtitui, currente rotâ cur urceus exit?*

16. Sed quid facias huic homini, qui fingit *Adamum ephebum apprimè edoctum fuiſſe naturalem omnem hiſtoriam animantium & volatilium*, eo quod illa potuerit *nominibus propriis & ſignatis* indigitare. *Quale*, inquit, *notum eſt de Moſe expoſito, quem legimus curâ filiæ Pharaonis eruditum in omni Ægyptiorum ſapientia.* Quaſi verò ad hanc nomenclaturam, abſque prævia aliorum inſtitutione, non fuerit Adam ſufficienter αὐτοδίδακτος per eximiam illam ſapientiam, quâ mens ejus naturaliter radiabat, conſequenter ad imaginem

ſui

ſui Conditoris; aut de illo in ſtatu integritatis, judicari debeat ex hodierna conditione hominum, quorum mentes ſunt ex peccato Cimmeriis obſitæ tenebris, & quibus addi debet *præceptum præcepto, delineatio delineationi*, ut loquitur Propheta Eſ: XXVIII, 10. quò aliquid percipiant? At, inquit iſte, *Rabbi Moſes Ben Maymon, refert libros anteceſſorum ſuorum qui mentionem faciunt præceptoris ipſius Adami, quem dicunt fuiſſe nomine* Somboſcher: *Et quamvis parum credam Rabbinorum fabulis, nihil tamen adeo fabuloſum eſt, quod non aliquam redoleat veritatem*; Verùm nec anteceſſoribus Mȩmonidis debent annumerari Zabii, ſive Sabæi, quos & Nabathæos vocant, Arabes Idololatræ ac Cœlicolæ, qui mundum ab æterno ſtetiſſe ſtatuebant, & Adamum, ut habet Mæmonides *in More Nevochim p.3.cap.29.* cenſebant *fuiſſe virum ex viro & fœmina, ſicut reliqui homines, progenitum*, quamvis aliàs

magnis eum efferrent laudibus, ceu *Apoſtolum Lunæ*, & qui vocarit homines *ad cultum Lunæ*, *& libros* compoſuerit *de cultura terræ*; Nec Zabiorum iſtorum commenta, de quibus dicit ipſe Ben Maimon, pura puta eſſe *mendacia*, quibus *nil niſi riſum concitent & ſummam mentis ſuæ ἀῤῥωςίαν ac philoſophiæ ignorantiam & imperitiam prodant*, debent accenſeri *Rabbinorum fabulis*; Nec Mæmonides, ſed R. Juda *in libro Coſri*, *cap. 5.* ut diligentiſſimus Hottingerus refert *Hiſt. Or. lib. 1. cap. 8. pag. 187.* ex libris *de religione Nabathæa* narrat quod *Ianbuſchar, Zegribt & Roan, fuerint ante Adamum*, *quodque Ianbuſchar* (non *Somboſcher* ut Præadamita dicit) *magiſter illius fuerit*.

17. Nec video hunc noſtrum procul abhorrere à fabulis & dogmatis illorum Zabiorum, cùm & mundum ab æterno ſtetiſſe cum illis opinetur, & facilè fuiſſet in rem ſuam arrepturus, ſi id ſciviſſet, quod narrant apud Mæmoni-

monidem *l.c.*de arbore quadam *Amlei*, quæ ſteterit in Nineve 12000. annis, & cui lis interceſſerit cum *Iabruach* hoc eſt Mandragora, quod hæc locum ejus occupare vellet. Quin prout illi *ibidem* commemorabant librum ab Adamo conſcriptum, de variis plantis & herbis, ac virtutibus earum; ut arboris in India cujus ramus in terram projectus inſtar ſerpentis repat; & alterius, cujus radix habeat formam humanam & loquatur; necnon cujuſdam herbæ quæ de collo ſuſpenſa hominem reddat inviſibilem, & cujus ſuffitus ſub dio, horrenda tonitrua, quamdiu fumus aſcendit, excitet in aëre: quæ omnia nemo non videt conficta ad elevandam fidem miraculorum Moſis; ita etiam hic noſter ſtatuit Adamum, *quo tempore naturam animantium & volatilium omnium concipiebat, eodem momento ſcriptis illam mandaviſſe, nec non in commentaria redegiſſe, & dictionaria illorum nominum compoſuiſſe*

ad uſum poſteritatis, & ne exciderent memoriâ Adami ipſius multorum animantium & volatilium nomina quæ nunquam forte viſurus erat. Sed quid eſt quæſo, audere in Hiſtoria ſacra quicquid Græcia mendax audet in hiſtoriis, ſi hoc non eſt? Potuerint Cyrus & Scipio milites ſingulos ſuorum exercituum nominatim compellare; potuerit Cyneas Pyrrhi legatus, poſtero die quam Romam veniſſet, ſingulos Senatorii & Equeſtris ordinis abſque Nomenclatoris ſubſidio per ſua nomina ſalutare; potuerit Mithridates populis viginti duobus ſuâ cujuſque linguâ & abſque interprete jus reddere; Tamen miſellus Adam fuit huic homini tam labilis memoriæ, ut abſque pugillaribus, palimpſeſto & commentariis, fuiſſet illicò obliturus nomina quæ animantibus cœteris impoſuerat, eorum naturæ, quam perſpectiſſimam habebat, convenientiſſima. At, inquit, *quomodo fieri potuiſſet ut omne quod vocaviſſet*

viſſet Adamus , ipſum fuiſſet nomen ejus tempore Moſis, niſi Adamus eodem momento, quo ſuis nominibus vocabat animantia & volatilia omnia, Dictionaria omnium rerum compoſuiſſet ad uſum poſteritatis? Verùm res eſt notior quam ut multis debeat probari, linguas vivas, & rerum vocabula in illis, uſu mero conſervari, non Gloſſariis & Dictionariis: Vivebat autem lingua Hebraica à tempore Adami ad Moſem uſque, ſaltem poſt Diluvium & linguarum confuſionem, in Heberi familia; Poſito igitur quod Moſes dixerit, illa nomina ab Adamo beſtiis impoſita perſeveraſſe ſuo tempore inter Hebræos & earum reſpectu quæ illis erant notæ, id potuit fieri ſolo primævæ linguæ exercitio & uſu jugiter continuato, abſque librorum ſubſidio: Sed neque neceſſariò ex Moſe colligitur, illa nomina ad ſua uſque tempora perſeveraſſe, cùm id ſolum dicat Moſes Gen. II, 19. *Omne, quod vocavit*

Adam anima viventis ipſum eſt nomen ejus, ideſt quodlibet tunc vocavit nomine aptiſſimo, ut convenirent rebus nomina quæque ſuis. *Cùm enim dicat*, (inquit Euſebius *de Præp. Eu. lib. 11. cap. 4*) *Ipſum eſt nomen ejus, nihil aliud certè vult dicere niſi convenienter ad naturam rei inditum fuiſſe.*

18. At, inquit Præadamita, debuit Adam formari *infans extra Paradiſum*, quia eò poſtea delatus fuit, ut *operaretur eum*. Sed quod eò poſtea delatus ſit ut eum coleret, probat quidem eum extra Paradiſum formatum; at non probat eum formatum *infantem*, de quo diſputamus. At facilius eſt ſtatuere *Adamum fuiſſe in omnibus ſimilem Chriſto exceptâ juſtitiâ Chriſti, quâ ratione Chriſtus factus eſt ſimilis Adamo excepto peccato Adami.* Sed primò, nuſquam dicitur Chriſtus factus ſimilis Adamo, ſed nobis, excepto peccato: Deinde illa ſimilitudo intra τὸ ὁμοούσιον naturæ ſpecificæ contineri debet, non

non etiam extendi ad modũ naſcendi & originis; aliàs vel debuerit Chriſtus immediatè à Deo formari ex luto terræ ut Adam, vel debuerit Adam in mulieris utero miraculoſè concipi ut Chriſtus, & nonniſi conſtituto à natura partitudinis tempore edi in lucem, ac faſciis involui. At, inquit, deprehendimus *tres homines peculiari & mirabili formatione productos*; Adamum, *cui terra mater Deus pater fuit*; Iſaacum, *cui Abrahamus pater Deus mater*; & Chriſtum, *cui virgo mater Deus pater*: unde vult ſequi non minus Adamum infantem fuiſſe, quam reliquos duos. Sed hîc multa ſunt obſervanda: Primò ſibi non conſtat Præadamita; nam hîc Jſaacum dicit eſſe *medium* inter Adamum *& Chriſtum*; at alibi illam medietatem aſſignat Abrahamo. Secundò hîc occultum deprehendo Photinianiſmum; nec enim Deus, Pater Chriſti dicitur frequentiſſimè & hic Filius Dei, reſpectu miraculoſæ ſuæ conceptionis

ptionis humanæ ex virgine, quomodo Adam filius Dei appellatur reſpectu miraculoſæ ſuæ formationis ex limo terræ; ſed reſpectu generationis illius æternæ, per quam eſt Deus de Deo & lumen de lumine, ut in Symbolo Nicæno habetur. Tertiò, videtur iſte homo Deum facere Hermaphroditum, qui illi pater, huic verò mater ſit: Sed Scriptura nunquam vel terram Adami, vel Deum Iſaaci matrem appellat; imò conſtanter Sara deſcribitur ceu mater Iſaaci, quem dicitur & concepiſſe, & pepeciſſe, & ſuis uberibus lactaſſe Gen: XXI, 23, 7. unde ejus filius vocatur ibid. com. 10. & ipſa mater illius Gen: XXIV, 67.

19. Perperam autem huic imaginationi adſtruendæ, adfertur locus Gen: XVIII, 11. quo juxta V. V. dicitur quod Saræ *deſuerant fieri muliebria*, ſive quod *deſierat ei eſſe ſecundum conſuetudinem mulierum*. Si enim propter *uterum*

rum emortuam Saræ, uti dicitur Rom: IV, 19. non fuit mater Iſaaci, ſed Deus, pari ratione Deus quoque, non Abraham, fuerit pater illius cenſendus, propter Abrahami *corpus jam emortuum*, ut ibidem dicitur Apoſtolo. Quod ſi poteſt dici Deus fuiſſe mater Iſaaci, quoniam ex matre jam vetula & eouſque ſterili natus eſt, poſſet itidem cenſeri mater Samſonis aut Samuelis aut Johannis Baptiſtæ, quorum matres pariliter ſteriles antea fuerant; imò ipſiuſ-met Chriſti Servatoris; cùm longè ſit difficilius virginem ſine virili ſemine concipere & parere, quam mulierem vetulam ex viri concubitu imprægnari. Nec magis mirum Saram matrem factam poſt νέκρωσιν τῆς μήτρας, quam aridam Aaronis virgam ſimul unâ nocte frondiſſe & floruiſſe. Locus Eſ: XLVI, 3. multo minus adſtruit ineptum hoc commentum; Nam domum Jacob & Iſraelis alloquitur Deus, nullâ Iſaaci men-

mentione; & ſi retinenda foret V. V. quæ tribuit Deo quod illos portarit *in utero ſuo* & geſtaverit *in vulva ſua*, ad ſummam hac metaphorâ ſignificaretur tenerrimus & pluſquam maternus amor quo Deus iſtum populum ſemper complexus eſt, adeo ut non minus oneri Deo fuerit, quam fœtus ſuæ matri in illius utero: Sed reclamat huic interpretationi originalis textus, quo nihil aliud ſignificatur quam Deum iſtius populi ab ejus utero & prima origine ſummam curam ſuſtinuiſſe, ut David dicit ſe in Deum rejectum *ex vulva*, & *ab utero* Deum fortem ſuũ fuiſſe Pſalm: XXII, 11. Adde ſimilem ferè loquutionem apud Moſem Num: I, 11. 12. Adſtipulantur mihil LXX. Interpretes, qui locum Eſaję ita reddunt: *Ἀκούσατέ μου οἶκος τοῦ ἰακὼβ, καὶ πᾶν τὸ κατάλοιπον τοῦ ἰσραὴλ: οἱ αἰρόμενοι ἐκ κοιλίας, καὶ παιδευόμενοι ἐκ παιδίου ἕως γήρως*: *Audite me domus Iacob & omnes reliquiæ domus Iſrael, qui portamini de ute-*

de utero, & erudimini à parvulo uſque ad ſenectutem. Sic & Leo Judæ, *Audite me domus Iacob & omnes reliquiæ domus Iſrael qui geſtamini à me ab utero, & bajulamini à partu.* Nec habent aliter Pagninus, Junius, Belgæ, Genevenſes & Italus.

20. Saltem, inquies, verbum *ædificandi* de muliere uſurpatum mihi favebit duplici ratione; tùm quia *non exſurgit neque abſolvitur tam citò ædificium, ut habitari poſſit illo eodem die quo ædificari incipitur;* (Latiniùs forte dixiſſes *incipit.*) tùm quia Eva fuit typus Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti, quæ nonniſi ſuis *ſive gradibus, ſive ætatibus* crevit: Sed hæc parum proſunt tuæ cauſæ. Nam etſi ędificium humanum non ſit habitabile eo ipſo die quo incipit ædificari, (exceptis forte tumultuariis militum tuguriis) quia nonniſi tractu temporis abſolvitur, inde non ſequitur ædificium Divinum, nonniſi operoſé & longo temporis tractu perfici poſſe: Qui ſextidui ſpatio ex Nihili ute-

utero ampliſſimum hoc univerſi Palatium eduxit, longâ non indiguit morâ ad portatile hoc Evæ tentorium excitandum & peragendum. Et cùm juxta Moſem Deus ſtiterit Evam Adamo, illicò poſtquam à ſuo ſomno fuit excitatus, qui illicò quoque eam agnovit ex ſuo latere deſumptam eamque *Iſcha* vocavit, non eſt quod imagineris eam non fuiſſe eo ipſo die quo extracta fuit ex latere Adami & extructa ex illius coſta, *puberem & viri potentem.* Et vide quæſo, bone Vir, quò abeas: Fingis Adamum nonniſi aliquot annis poſt ſuam formationem & demum cùm jam adoleſcens eſſet, tranſlatum fuiſſe in Paradiſũ; eo *adoleſcente & operante cultura* Paradiſi, cogitaſſe Deum de uxore illi adjungenda; Id ut fieret, primum omnia mundi animantia ad illum adducta fuiſſe, etiam ex America, & Elephantes *ex remotis Indiæ & Africæ regionibus, quibus* (inquis) *lentus & gravis inceſſus eſt*: deinde omnium

nomina

nomina Adamum, jam valdè ſapientem, & ab ephebis in ſcholis Gentilium benè educatum, in ſua Commentaria retuliſſe; ac tandem immiſſum illi divinitùs ſomnum illum quo durante extracta fuit ea coſta ex qua Deus Evam conſtruxit. Juxta hos tuos calculos debuit Adam fuiſſe minimum viginti quinque annorum cùm Eva cœpit ædificari. Cùm autem non ſit veroſimile eam ante annum ætatis 20. aut 25. nubilem fuiſſe tali heroi, hinc ſequetur fuiſſe Adamum quinquagenario proximum cùm Eva ei fuit deſponſata, non verò duntaxat annorum triginta trium, ut aſſeris. Aliàs ſuppoſito quod non potuerit eſſe Adam major vigintiquinque annis cùm Deus cogitavit de uxore illi adjungenda & coſtā ei ideo ſubduxit, Eva debuerit ſuiſſe viripotens ſeptennis vel octennis, ſi Adamo non amplius quam triginta tres annos nato juncta fuit. Miſſis itaque his tuis ineptiis

ptiis tam malè conſutis, repeto quod aliàs dixi, verbum *ædificandi* adhibitum à Moſe in Evæ productione, nihil minus quam cœpti operis moram & protractionem in multos annos ſignificare. Nam ædificia ideo per moram procedunt, quod conſtent partiũ variarum aggregatione concinnâ, quæ nequeunt ſibi mutuo addi & agglutinari ab Architecto niſi tractu temporis; at nemo dixerit ſic actum à Deo in fabrica mulieris, ut priùs pedes formarit inſtar fundamenti; deinde oſſa ſuperaddiderit inſtar tignorum; tum muſculos & carnem compegerit inſtar parietum; & tandem pellem circumpoſuerit inſtar tecti vel tectorii; vel ita, ut homine conſtante juxta Anatomicos triplici ventre, ceu triplici contignatione in ædibus, Deus in formanda muliere incœperit à ventre infimo; inde perrexerit ad medium & pectus; & tandem pro tertia contignatione ventrem ſupremum nempe ca-

pe caput trunco impoſuerit. Etenim Deus ſimul abſolvit omnes partes integrantes iſtius ſui ædificii, nec tranſiit ab una ad aliam.

21. In verbo itaque *ædificandi* aliud quam moram & tractum temporis ſignificare voluit Spiritus Sanctus; Nempe primò & maximè accurationem ac ſapientiam Opificis, qui non tantum ut liber figulus, ſed etiam ut prudens architectus in hominum creatione verſari dignatus eſt: Secundò uſum corporis ad animam, cujus incolatui auguſtum illud palatium à Deo exſtructum eſt; nam ita ex ſtylo Scripturæ non ſemel corpora noſtra Tabernacula appellantur: Tertiò productionem Evæ ex Adamo analogam generationi, quæ eodem verbo ſæpè in ſacris literis exprimitur; unde etiam Hebraicè, בן *Ben* & בת *Bath*, *filius & filia*, ita nominantur ab hoc ipſo verbo בנה *Bana*, quod eſt *ædificare*: quo ſenſu etiam apud Plautum, parentes

rentes *fabri liberorum* ſuorum & eorum *ſubſtruere fundamentum* dicuntur: Hinc eſt quod mulier viro ſuo dilecta, ei dicatur eſſe pro Filia 2 Sam: x i 1, 3. Quartò ſpecialem conſtitutionem ipſius mulieris; prout R. Salomon apud Lyranum oſtendit hanc metaphoram ideo hîc adhibitam, quod mulieris corpus ex naturali conſtitutione ad formam ædificii quam proximè accedat; nam mulierum æquè ac ædificiorum inferiora plerumque ſunt latiora & craſſiora ſuperioribus: Quintò uſum mulieris ad virum; eſt enim illi aſſignata in habitaculum commodum, tum reſpectu honeſti amoris quo flagrat aduerſus eam; eſt enim anima magis ubi amat, quam ubi animat; tum reſpectu ipſius met copulæ conjugalis, quæ *habitationis* vocabulo ſolet exprimi: Imò *ædificata* mulier dicitur Ambroſio *de Parad. cap. 11. quia in viro & muliere videtur quædam plena domus perfectio; Qui ſine uxore eſt,*

quaſi

quaſi ſine domo ſit, ſic habetur. Denique uſum quem prægnantes habent ad ſuos liberos, quamdiu eos geſtant in utero; ſunt enim illis quaſi domus portatiles, ex quibus tum demum prodeunt ſpectatum quid ſit foras, cùm in hanc lucem educuntur. Ut autem *ædificandi* vocabulum de Eua uſurpatum, non probat quod vult Præadamita, ſic multo minus facit ad illius cauſam Evæ comparatio cum Eccleſia: Hæc enim dicitur *ædificari* Matt: xvi, 18. non per reſpectum ad Evæ natalia, ſed per reſpectum ad Templum Jeroſolymitanum, prout & Eccleſia dicitur *domus Dei vivi* 1 Tim: III, 17. Nec procedere poteſt argumentum ab ædificio myſtico Eccleſiæ, quod novarum quotidie partium integrantium additione peragitur, juxta phraſim Scripturæ Act: 11, 47. ad ædificium phyſicum Evæ, quod ſimul debuit omnes ſuas partes eſſentiales & integrales conſequi. Neque verum
eſt

rentes *fabri liberorum* ſuorum & eorum *ſubſtruere fundamentum* dicuntur: Hinc ęſt quod mulier viro ſuo dilecta, ei dicatur eſſe pro Filia 2 Sam: x i i, 3. Quartò ſpecialem conſtitutionem ipſius mulieris; prout R. Salomon apud Lyranum oſtendit hanc metaphoram ideo hîc adhibitam, quod mulieris corpus ex naturali conſtitutione ad formam ædificii quam proximè accedat; nam mulierum ęquè ac ædificiorum inferiora plerumque ſunt latiora & craſſiora ſuperioribus: Quintò uſum mulieris ad virum; eſt enim illi aſſignata in habitaculum commodum, tum reſpectu honeſti amoris quo flagrat aduerſus eam; eſt enim anima magis ubi amat, quam ubi animat; tum reſpectu ipſius met copulæ conjugalis, quæ *habitationis* vocabulo ſolet exprimi: Imò *ædificata* mulier dicitur Ambroſio *de Parad. cap. 11. quia in viro & muliere videtur quædam plena domus perfectio; Qui ſine uxore eſt,*
quaſi

quaſi ſine domo ſit, ſic habetur. Denique uſum quem prægnantes habent ad ſuos liberos, quamdiu eos geſtant in utero; ſunt enim illis quaſi domus portatiles, ex quibus tum demum prodeunt ſpectatum quid ſit foras, cùm in hanc lucem eduntur. Ut autem *ædificandi* vocabulum de Eua uſurpatum, non probat quod vult Præadamita, ſic multo minus facit ad illius cauſam Evæ comparatio cum Eccleſia: Hæc enim dicitur *ædificari* Matt: XVI, 18. non per reſpectum ad Evæ natalia, ſed per reſpectum ad Templum Jeroſolymitanum, prout & Eccleſia dicitur *domus Dei vivi* 1 Tim: III, 17. Nec procedere poteſt argumentum ab ædificio myſtico Eccleſiæ, quod novarum quotidie partium integrantium additione peragitur, juxta phraſim Scripturæ Act: 11, 47. ad ædificium phyſicum Evæ, quod ſimul debuit omnes ſuas partes eſſentiales & integrales conſequi. Neque verum
eſt

eſt Evam fuiſſe *typum* Eccleſiæ, & ei uſui à Deo deſtinatam: Aliud enim eſt ſimilitudinem aliquam poſſe obſervari inter hæc duo, prout ſub imagine conjugii deſcribitur ſæpè Eccleſiæ communio cum Chriſto, aliud unum eorum inſtitutum fuiſſe in typum alterius. Tantum abeſt ut *Matrimonium Adami & Evæ*, quod aſſerit hic Scriptor, fuerit *Sacramentum & myſterium, in primis ſignificans conjunctionem illam unanimem quâ Deus adhæret Eccleſiæ ſuæ.* Non debet enim confundi magnum illud myſterium unionis Chriſti cum Eccleſia, quod Vulgatus interpres reddidit *Sacramentum* Eph: v, 23. cum conjugio carnali quo illud utcumque ſignificatur & adumbratur, ut ex iſto fiat magnum illud myſterium & Sacramentum Pauli.

22. At inquies iterum, (hoc enim valde urget Præadamita *Syſt. lib. 3. cap. 1.*) Si tertiâ die Hexaemeri terra quà latè patet germinavit herbam & pro-

produxit arbores omnis generis, ergo etiam ſexto die *ſuper omnem terram, ſive notam atavis noſtris, ſeu noviſſimam, ſive nondum cognitam*, extitêre animantia omnis generis, & ubique per conſequens producti fuerunt homines quibus ſervire debebant. Sed in hoc diſcurſu eſt aliquid veri, aliquid falſi: Verum eſt quod dicitur de opere tertiæ diei, terram ad Dei verbum paſſim produxiſſe herbas & plantas, ſolo illi ſpeciali in quo quæque enaſcebantur convenientes; Falſum quod fingitur de opere ſextæ diei, tam latè patuiſſe animantium productionem, quam triduo ante ſe extenderat germinatio terræ. Nam nulla ratio ſuadet plura cujuſque ſpeciei individua beſtiarum fuiſſe creata ab initio, quã fuêre poſtea præſervata à Diluvio tempore Noæ; Et cùm ea ſtatim ſtiterit Deus Adamo, ceu ipſorum Domino deinceps futuro, non eſt veroſimile prima quarumcunque ſpecierum indivi-

individua, alibi tunc fuiſſe quam in vicinia ejus loci in quo Adam conditus eſt, quem plerique volunt fuiſſe agrum Damaſcenum. Sed dato non conceſſo, terram jam triduo ante ſuis herbis & plantis ubique conſitam, ubique etiam animantibus ſuis ſexto Hexaemeri die fuiſſe repletam, inde tamen non ſequetur pluſquam duos homines, unum marem & unam fœminam, ab initio fuiſſe conditos ad propagationem totius ſpeciei cujus uſibus reliqua erant inſervitura. Nam ſi tota terra eo die repleta ubique hominibus fuiſſet, non debuiſſet illis dici Gen: 1, 28. *Creſcite & multiplicamini ac replete terram & eam vobis ſubjicite.* Quid enim debuiſſent creſcere & multiplicari ad replendam terram & eam ſibi ſubjiciendam, ſi jam de facto terram replebant & eam habebant ubique ſibi ſubjectam? Et cùm per noſtrorum hominum prolixas navigationes, multæ regiones deprehenſæ

henſe ſint planè ab hominibus inhabitatæ, licet ſuis inſtructæ beſtiis & plantis; Cùm etiam grandes inſulæ in Indiis repertæ ſint herbis & arboribus conſitæ, ſed deſtitutæ beſtiis & hominibus; de quibus legatur Joſephus à Coſta *Hiſt. Ind.lib.1.cap.21.* Cur non ſimiliter potuiſſent terræ ab initio ſuis conſeri herbis & arboribus, licet deſtituerentur ad tempus incolis & beſtiis per illas paullò poſt diſtribuendis; (ut Inſulæ Cuba, Hiſpaniola & aliæ commemoratæ Joſepho à Coſta *l.c.* per Hiſpanos demum ſuperiori ſæculo cœptæ coli & repleri beſtiis, quæ ad prodigioſam multitudinem brevi excreverunt;) aut reliquus orbis repleri ſuis plantis & beſtiis, inſervituris ſuo tempore uſui hominum ex prima ſua ſtirpe propagandorum? Imò cùm juxta Præadamitam noſtrum, Deus ab initio plantarit hortum Hedenis, licet nonniſi multis poſt ſæculis ab Adamo incolendum

G & exco-

excolendum, cur non potuerit reſiduum terræ ſuis herbis & plantis inſtruxiſſe quà latè patet, in uſum eorum qui paullò poſt ex Adamo & Eva erant per univerſam terram propagandi ſub auſpiciis benedictionis ſuæ? Non dixeris fruſtra pependiſſe fructus arborum Paradiſi, quamdiu per immenſiſſimum ſpatium temporis, nondum erat Adamus eò introductus ad illos decerpendos: Quare ergo putabis fruſtra *regiones Meſopotamiæ antipodes* germinaturas fuiſſe *herbas & olera*, ſi nullis dominis ad tempus pependiſſent earum fructus, & *jumenta* illarum neminem *juverint*? Quamvis primi homines in ſtatu innocentiæ, jumentis ſub illo formali non indiguiſſent: Satis erat primis hominibus intelligere tam latè patere terram tot inſtructam bonis, ut confiderent ſe non habitare in arcto, & ſuis liberis, ut ut in immenſum multiplicatis, nihil unquam defuturum.

23. Nec

23. Nec eſt quod putemus *immenſiſſimum ſpatium temporis* expectandum fuiſſe, quo potuerit *univerſus orbis per unam hanc proſapiam habere ſuos colonos & ſuos dominos*; Si enim potuit mundus per unicam Noæ familiam reparari poſt Diluvium & ſatis brevi ſpatio incolis repleri, quanto citiùs potuiſſet multiplicari genus humanum ex Adamo & Eva, ad incolendam totam terram, ſi ad fœcunditatem ſingularem ex Dei benedictione primęva, acceſſiſſet inſuper ex juſtitia originali immunitas à morte, à bello, à peſte, & iis calamitatibus, quibus ſolet Deus luxurians genus humanum detondere? At, inquit Vir Eruditus, non fuerit mundus ab initio *perfectè ornatus*, ſi in omnibus terris non extiterint ſui homines *propter quos ipſa creata erant* & à quibus colerentur. Imò verò ſicut ornatus & perfectio mundi non exigebat, ut citra exceptionem ſingulæ terræ portiones ex plantis ſyl-

veſcerent aut vireſcerent ex herbis, cùm proculdubio à principio etiam quibuſdam in locis deſerta extiterint inhoſpita, arenoſa & omnis culturæ impatientia; ita ex ornatu & perfectione mundi malè colligeretur, debuiſſe omnes orbis habitabilis partes eodem momento ſuos homines & cultores conſequi, cùm in illis creandis non præſentibus tantũ proſpicere voluerit, ſed etiam futuris, ut prout homines multiplicarentur, etiam ſuos fines dilatare, & colonias ſuas inſtar examinum longiùs educere poſſent. Quod ſi terræ *informes omninò* cenſendæ ſunt ſi fuerint *ſuis hominibus* deſtitutæ, quî ergo factum quod nonnullarum terrarum incolatus tam ſerò cœperit, cùm priùs nullum hominis veſtigium in illis extitiſſet? Sed, inquit, ſi Deus noluit Cananæos niſi paulatim & per partes conſumere, ne terra in ſolitudinem redigeretur & feræ multiplicarentur in ea adverſus Iſraelem

Iſraelem Exod: xxiii, 29.30. Deut: iii, 12. quanto veroſimilius eſt Deum ſtatim ab initio ſingulis terræ partibus addidiſſe ſuos homines inquilinos, tum ne terra ſolitudinis horrore & maledictione laboraret, tum ne duo ab initio homines, omnium ferarum impetui ac furori exponerentur? Verùm in hoc argumento quod operosè deducit Author *lib. 3. cap. 1.* parum veriſimilitudinis eſt & virium: Nam ea demum ſolitudo horrorem incutit, eſtque maledictionis nota, quam fecerint peſtes, bella, incendia, inundationes, ſimiles-ve calamitates publicæ; quam ſolitudinem privativam meritò dixeris; Non illa verò, quæ merè negativa dici poteſt, locorum quæ nullos dum incolas acceperunt, ſed tamen ſedes commodas & jucundas ſuis colonis, ſi quos nacturi ſint, præbere poſſunt. Tum ſolitudo horrorem incutit ſpectatoribus, poſt genus humanum ſufficienter

propagatum; Sed protoplaſti nihil horroris concepiſſent, quocunque iviſſent ſpectatum, cùm ſe ſolos & primos eſſe ſuæ ſpeciei non neſcirent. Adhæc Deus voluit præcavere ſolitudinem terræ Canaan, ne dum Iſraelitæ bello occupabantur, agri manerent inculti, & fames inde ſuis oriretur; Sed initio mundi famis periculum non fuit metuendum protoplaſtis, tum quia ipſis duobus abundè proſpectum erat in paradiſo, tum quia nondum maledicta terra propter eorum peccatum,

Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus;
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fructus montanaque fraga legebant.

Nihil quoque periculi, ſimilis ejus quod Deus voluit præcavere in terra Canaan, poterat illis imminere à beſtiarum

ſtiarum multiplicatione; ſiquidem non celeriùs erat proceſſura multiplicatio cœterorum animalium quam hominum, quos inſuper reliqua in ſtatu integritatis, ceu vicedominos ſuos, comiter venerabantur. Quin etiam in eo debuerunt primi homines poſt ſuum peccatum ſpecialem Dei providentiam agnoſcere & experiri, qualem poſtea ſenſerunt primi vitæ Hereminticæ ſectatores, inter deſerti feras commorantes, & Daniel ipſe in foſſa Leonum; ne dicam de fidelibus omnibus Chriſti qui verſantur in hoc mundo inſtar ovium in medio luporum. Cùm itaque nonniſi vel inanibus conjecturis vel ineptis commentis, ſuſtentetur ea aſſertio quæ ſtatuit formationem Adami & Evæ deſcriptam Gen: 2. alterius eſſe temporis & ordinis ab ea creatione hominis ad imaginem Dei quæ narratur Gen: 1. eam jure meritò ceu falſam, novam & abſurdam, rejiciendam eſſe concludimus.

QVÆRITVR
Tertiò, An Epocha conditi orbis & rerum ab hominibus geſtarum, multo altiùs & infinitis ſæculis quam ab Adamo ſit repetenda? Neg.

AFfirmativam multis ſatagit probare Præ-Adamita, tum *Exercit. cap. 8.* tum in *proœmio* quod Syſtemati præfixit, tum illius ejuſdem *Syſtem. lib. 3. cap. 4. & ſeqq. & lib. 4. ſparſim*, ubi etiam non obſcurè mundi Æternitatem à priori defendere conatur, quamvis eam gradu aliquo infra divinam collocet; & parum abeſt quin aſſurgat Plinio *lib. 2 Hiſt. nat. cap. 1.* ita loquenti; *Mundum & hoc quod nomine alio cœlum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur cuncta, Numen eſſe credi par eſt, æternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum unquam: Hujus extera indagare, nec intereſt*

tereſt hominum, nec capit humanæ conjectura mentis. Sacer eſt, æternus, immenſus, totus in toto, imò verò ipſe totum, finitus & infinito ſimilis, omnium rerum certus & ſimilis incerto; extrà, intrà cuncta complexus in ſe, idemque rerum naturæ opus, & rerum ipſa natura. Video quidem inter Ethnicos hanc agitatam fuiſſe Controverſiam, Mundus-ne ſemper extiterit, aut aliquando nec ita diu incœperit; Video inter Scholaſticos, nonnullos juſto vehementiùs de poſſibili æternitate mundi in Ariſtotelis gratiam diſputaſſe; Video Judæos quoſdam cenſuiſſe alios mundos ante hunc extitiſſe; Video Socinianos Angelos facere antiquiores principio Moſaico, & fingere inviſibilem quandam materiam præextitiſſe creationi rerum corporearum; Sed nullus hactenus extitit vel Judæus vel Chriſtianus, qui ortus mundi & hiſtoriæ humanæ Epocham altiùs quam ab Adamo auſus ſit repetere. At hic no-
 ſter

ſter qui Epidaurio ſerpente cernit acutiùs, putat ſe infinitas Chiliadas annorum in temporis prę̃teriti ſpatiis imaginariis, ultra Adamum metiri poſſe, & arbitratur rectam rationem non pati, *ut ſtatuamus mundum natum his initiis à quibus ſecundum Heſiodi computum vix dimidia unius corvi ætas confecta eſt Exerc. cap. 8.* Eandem crambem recoquit liberaliùs *Syſt. lib. 4. cap. 13.* Quanquam Viro prudenti non debuiſſent Heſiodi fabulæ, & quas ipſe tales poſteriori loco agnoſcit, utut eas Auſonius poſtea fuerit imitatus, de longævitate corvi, cornicum, cervorum, phœnicis & nympharum, eouſque arridere, ut eas opponeret Chronologiæ ſacrę, omnium certiſſimæ; id obliviſcendo quod hac de re obſervat Plinius *lib. 7. Hiſt. Nat. cap. 48. De ſpatio atque longinquitate vitæ hominum non locorum modo ſitus, verum exempla, ac ſua cuique ſors naſcendi, incertum fecêre. Heſiodus qui primus aliqua*

de hoc

de hoc prodidit, fabuloſé, ut reor, multa de hominum ævo referens, cornici novem noſtras attribuit ætates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis, & reliqua fabuloſiùs in phœnice ac Nymphis. Quod verò dicit Præadamita Heſiodum iſta hauſiſſe ex *retroantiquiſſima traditione quæ ætates cornicum, cervorum & corvorum de quibus non dubitavere antiqui, tam juſtis & deſinitis ſpatiis diſcluſerat*, omninò futile eſt: Cur enim id potiùs acceptum referamus traditioni, quantum ad hęc animalia, quam ea quæ addit Heſiodus, vel de phœnice (cujus durationem alii tantum quingentorum annorum fecerunt) vel de Nymphis; quæ cerebrina eſſe Poëtæ figmenta nemo ſani ſyncipitis dubitaverit unquam? Et mirum foret nihil ex Præadamitarũ traditionibus præter hanc unam fabellam ad poſt Adamitas uſque perennaſſe.

2. Evertendæ autem Præadamitæ imaginationi ſufficit non ſolum, quod

Adam primus & parens omnium omninò hominum debeat conſtitui, ut antea diſputavimus, ſed etiam quod Chronologia ſacra & θεόπνευςος, ſupra Adamum non aſcendat in condenda generis humani hiſtoria. Dilutum verò eſt effugium quo nititur *lib. 3. Syſt. cap. 2.* Moſem hiſtoriam ſuam ab Adamo auſpicari, quod cùm *Iudæus & ipſe* eſſet, ſibi propoſuerit *ſcribere originem, propaginem, leges & Chronologiam gentis ſuæ.* Nam etſi Moſes ſpecialem hunc ſibi propoſuerit ſcopum, tamen obiter aliarum gentium veras origines ex Adamo & Noæ filiis connotavit Gen: 10. & ſuæ antiquitatem à prima totius generis humani ſtirpe voluit deducere. Quam verò abſurdum ſit & à ſtylo conſtanti Scripturæ alienum, vel omnes Adamitas facere Judæos, vel ſolos Judæos Adamitas ſtatuere, illi norunt qui vel primoribus labris Sacras Scripturas deguſtarunt. Diſtinctio conſtans eſt in ſacris

in ſacris litteris Judæi & Græci, circumciſionis & præputii. At Gręcos & reliquos præputiatos populos, ab Adamo per tres Noæ filios ſuam traxiſſe originem, & Moſes docet loco quem jam dixi, & ex Moſe explicat Rev. Vir D. Samuel Bochartus in ſua *Geographia ſacra*, opere eximio & verè aureo, in ſpeciem laudato Præadamitæ *lib.* 4. *Syſt. cap.* 2. ſed tamen ejus commentis funditùs evertendis ſufficiente.

3. Nihil quoque antiquius in aliarum Gentium monumentis Moſaicâ narratione reperitur. Saturnum, vetuſtiſſimum Deorum apud Gentiles, fabulas Ethnicorum ex Adamo fabricaſſe, ſuo diximus loco; quamvis Bochartus noſter eum adhuc multo recentiorem faciat, & *Phalegi ſui lib.* 1. *cap.* 1. hiſtoriam Noæ & trium ſuorum filiorum eruditè admodum conferat cum Saturno & Saturni tribus liberis, quò probet horum fabulam ex illorum

rum hiſtoria prodiiſſe. Nec difficile eſt noſtras ſententias, vel conjecturas in eo conciliare, cùm juxta Xenophontem *de homon.* plures & Saturni & Joves & Bacchi fuerint; & fabulæ Poëtarum quædam ex Adamo quædam ex Noa potuerint mutuari, ut ſuum Saturnum exornarent. Notum quoque eſt juxta diſtributionem Varronis & ex eo Cenſorini *de die natali cap. 2.* quod & notat Scaliger *lib. 5. de emend. temp.* & ipſe Pręadamita monet *lib. 3. Syſt. cap 6.* Græcos tempus omne diviſiſſe in ἱστορικὸν, μυθικὸν ſive ἡρωικὸν, & ἄδηλον Hiſtoricum auſpicabantur à prima Olympiade, quâ ſtadium vicit Corœbus, circa regis Hoziæ tempora, anno mundi 3224. Inde fabuloſum retro uſque ad diluvium extendebatur: Quæ vero ſuprà diluvium, ἄδηλα & incerta planè remanebant. Ipſe Plutarchus diligens ruſpator Antiquitatis, fatetur *in Theſeo* ſe nihil certi ſupra Theſeum reperire

rire potuiſſe. Quod ſi tam multis ſæculis ante Adamum imò ab æterno mundus ſtetiſſet, aliqua rerum antea inter homines geſtarum memoria fuiſſet conſervata, nec vel à Nino vel à bello Trojano omnes hiſtorici Ethnici narrationes ſuas fuiſſent auſpicati. Hoc ſanè argumento, inter alia movetur ipſe Lucretius *lib. 5.* pro novitate mundi, quod nihil extaret hiſtoriarum de rebus in orbe geſtis *ſupra bellum Thebanum & funera Trojæ.*

4. Huic argumento deſumpto à defectu hiſtoriarum Moſaicâ antiquiorum, quod meritò urget Georgius Pacardus *Theol. nat. lib. 2. cap. 5.* poteſt addi aliud ex Illuſtri Mornæo *de Verit. Rel. Chr. cap. 8.* imo ipſomet Lucretio, *loco citato*, inde deſumptum quod diſciplinæ & artes ad vitam neceſſariæ, habeant pleræque originem notam inter homines eamque multo recentiorem Adami temporibus, juxta Chronologiam Moſis, Nequidem nomen

men Philoſophiæ ante Pythagoram inter Græcos notum fuit. Socrates qui prior dicitur philoſophiam de cœlo in terram deduxiſſe, fuit Eſdræ coævus, ultimo ſcriptori Canonico Veteris Teſtamenti. Hippocrates prior Medicinam in certum diſciplinæ corpus compegit; Et Varro antiquitatis omnis peritiſſimus, artes Mechanicas nonniſi mille annis ante ſe natas aſſerit: Et quæ fuerit prima omnium rerum in ſymbioſi noſtra uſurpatarum jnventio, compendio refert Plinius *lib. 7. cap. 56.* & fuſiùs notavit ex Veterum monumentis Polydorus Virgilius *in ſuo opere de Invent. Rerum.* Jam autem qui tam recens inventæ proderentur artes ſine quibus vita humana tranſigi nequit, ſi jam multis annorum chiliadibus ante illas repertas, & ſupra Adami ipſius tempora, homines in orbe floruiſſent, & eadem quæ nos hodie factitaſſent? Imò cùm primos artium quarundam inventores

ipſe

ipſe Moſes notetGen: IV,20.21.22. in Jabale, Jubale, Tubalkaino, ex quibus apudGentiles facti ſunt Paſtoritiæ Mercurius, Apollo Muſices & Vulcanus fabricæ ferrariæ authores, prout olim id moris erat cœlo adſcribere ac in Deorum cenſum referre quotquot aliquid vitæ humanæ utile reperiiſſent; vel illinc colligas, ante eorum tempora, nec tentoria & caulas habuiſſe homines in ductandis ſuis gregibus, quę reperiit Jabal; nec fuiſſe inter eos ulla organicę Muſicæ inſtrumenta reperta primùm à Jubale, unde vox *Iubilæi* Hebræa & *Iubili* Latina; nec extitiſſe eam Tubalkaini artem accuratam æs & ferrum cœteraque metalla in varias ducendi figuras, abſque quibus quantum laboret vita humana in comperto eſt.

5. Nec opus eſt ut me fatigem in evertenda hac Præadamitica aſſertione, cùm eam negaſſe, per oppoſitionem hiſtoriæ Moſaicę connectentis

Adami

Adami ceu primi parentis originem primę origini hujus magnæ machinę, ſit eam refutaſſe. Satis eſto hîc retuliſſe verba Macrobii *lib. 2. in Somn. Scip. cap. 10.* qui licet ęternitatem Mundi propugnet, illa tamen pro ejus novitate profert argumenta, quę illum ſupra Adami caput & Chronologiam Moſaicam non extitiſſe demonſtrant. *Quis facilè mundum ſemper fuiſſe conſentiat, cum & ipſa Hiſtoriarum fides, multarum rerum cultum emendationemque, vel ipſam inventionem recentem eſſe fateatur? Cumque rudes primùm homines & incuriâ ſylveſtri non multum à ferarum aſperitate diſſimiles meminerit vel fabuletur antiquitas, tradatque nec hunc eis quo nunc utimur victum fuiſſe, ſed glande priùs & baccis alitos, ſerò ſperaſſe de ſulcis alimoniam? Cumque ita exordium rerum & humanæ nationis opinemur, ut aurea primum ſecula fuiſſe credamus, & inde natura per metalla viliora degenerans, ferro poſtrema ſecula fœdaverit? Ac ne totum videa-*

mur

mur de fabulis mutuari, quis non hinc exiſtimet mundum quandoque cœpiſſe, nec longam retro ejus ætatem, cum ab hinc ultra retro duo annorum millia, de excellenti rerum geſtarum memoria ne Græca quidem extet hiſtoria? Nam ſupra Ninum à quo Semiramis ſecundum quoſdam dicitur procreata (Juſtinus *lib. 1.* eam Nini conjugem, Ninyæ matrem facit) *nihil præclarum in libros relatum eſt. Si enim ab initio, imò ante initium fuit mundus, ut Philoſophi volunt, cur per innumerabilium ſeriem ſæculorum non fuerat cultus quo nunc utimur inventus? Non literarum uſus, quo ſola memoriæ fulcitur æternitas? Cur denique multarum rerum experientia ad aliquas gentes recenti ætate pervenit? Vt ecce Galli vitem vel cultum oleæ Româ jam adoleſcente didicerunt; aliæ vero gentes multa neſciunt quæ nobis placuerunt.*

6. Igitur ſiquidem quaqua verſum reſpiciamus nihil occurrit antiquius Adamo & Epochâ Moſaicâ (cujus fidem, cùm nunc non vocetur in dubium

bium nihil attinet pluribus adſtruere) Præadamiticę aſſertioni ſufficit noſtram negationem opponere, & quò conſtet eam juſtis niti argumentis, ordine refutare argutias & cavillos potius quam argumenta, quibus ſuam affirmationem Vir Eruditus ſatagit defendere. *Syſtem.* ſui *lib. 3. cap. 4.* ex eo quod *tunicas ex pellibus occiſarum animantium* Deus dicatur feciſſe Adamo & Evæ poſt eorum peccatum, *credibile* putat talibus *indui conſueviſſe homines illius temporis*, unde vult ampliùs colligi, *fuiſſe tempore eodem coriarios, alutarios & pelliones*. Verùm hoc eſt, ut molliſſimè loquar, ludere in re ſeria: Aruſpices Romanorum exta & viſcera beſtiarum debebant conſiderare ad ſuas conjectationes: Sed hic ex ſolis earum exuviis, quibus protoplaſti fuerunt induti, conjicit jam tum coriarios, alutarios & pelliones fuiſſe. At ſi jam tum moris erat homines veſtiri, & genus noſtrum ante Adamum *pellitos ha-*

tos habuit ruſtica corda Patres, quî tam miſerè proſpectum fuit Adamo & Evę, ut nudi membra remanerent tamdiu, nec per ſuos alumnos veſtiti fuiſſent? An illi inter cœteros jam veſtitos agebant vitam Gymnoſophiſticam, qualem olim Adamitę, Priſcillianiſtæ & poſtea Anabaptiſtę Amſterodamenſes inter Chriſtianos reſtituère conati ſunt? Et quid opus fuit vel Adamo & Evę poſtquam ſuam nuditatem cognoverunt, ficulnea conſuere folia quibus eam contegerent, cùm ex vicino coriario vel pellione, veſtes illis temporibus geſtari ſolitas ſibi quiviſſent comparare; vel ipſimet Deo has tunicas illis immediatè parare, quas ex illius ęvi hominibus facilè conſequi potuiſſent? Imò ſi ante peccatum & pręvaricationem hominum, jam erat res veſtiaria nota inter ipſos, quî factum vel quod demum ſuam nuditatem intellexerint poſt peccatum, vel quod linguâ Hebraicâ omnium antiquiſſi-

antiquiſſimâ, Veſtis dicitur בגד *Beged* à בגד *Bagad*, *prævaricatus eſt*, quod ſit primum prævaricationis humanæ teſtimonium, ut etiam obſervant Eruditi?

7. Pergit deinde Vir Doctus in ſuis ratiociniis: *Adamus* (inquit) *diviſit bona ſua filiis ſuis adultis. Quod fieri ſolet inter homines civili jure utentes. Terras arandas dedit Caino, Oves paſcendas Abelo. Erat ergo tunc temporis Meum & Tuum, quale fuit & eſt in Societate hominum à longiſſimis temporibus benè & legitimè inſtituta. Patrimonia ſua & fundos habuit Cainus quos coleret; Suum peculium & ſuas oves Abelus natu minor quas paſceret & cuſtodiret. Qualis partitio uſu fit apud bonos omnes & æquos patres familias.* Sanè parum eſt quin hic homo dicat ſe familiæ herciſcundæ in Adami domo præfuiſſe. At verò deberet nobis dicere, an Adamus in hoc negotio proceſſerit per donationem inter vivos, vel condito Teſtamento; & num partem

partem ſuorum bonorum diviſerit inter ſuos filios, an omnia, contra regulam prudentiæ Oeconomicæ quæ parentibus ſuadet ne ſe exuant priuſquam eant cubitum; & quo titulo ipſe priùs hęc bona poſſederit; an emptione ex vicinis, qui Iro pauperior & pellitus ex Paradiſo prodierat, an alieni per vim uſurpatione, an priorum Dominorum liberali conceſſione? Tum ſi jam ante Adamum, jus Civile obtinebat inter homines, peto ſcriptumne illud fuerit & Athenienſe, an ἄγραφον & Laconicum? item quî potuerint dici Pręadamitę abſque omni lege (ut huic homini placet) ſiquidem jam jure Civili utebantur, & obtinebant inter eos illa duo pronomina, quę Plato ex ſua Rep. volebat exterminata, *Meum & Tuum*? Nam ſanè Bonorum diviſio *in ſocietate hominum benè & legitimè inſtituta*, exigit bonas & æquas leges, quæ ſtabiliri non poſſunt niſi derivativè ab illa lege naturali, quam Deus

Deus primitùs eorum mentibus inſcripſit: Equidem non diffiteor in Caino & Abele, proculdubio ex quo cœperunt ſuas familias ſeparatas à paterna inſtituere & reliquerunt parentes ſuis conjugibus adhæſuri, juxta eam legem quæ extat Gen: 11, 24. cœpiſſe *Meum & Tuum*, cùm alter ſuas paſceret oves, alter ſuos agros coleret; Sed eo ipſo quod primam bonorum diviſionem feciſſe deſcribuntur, inde liquet magis, primos eos poſt Adamum, & quaſi ex ipſius familia egreſſos, extitiſſe, cùm prius jure naturali, in primi parentis ſui domo, omnia illis communia fuiſſent.

8. Aliud deinde nectit argumentum ex Inſtituto fratris utriuſque, ut probet debuiſſe multos alios homines illis coextitiſſe, nec eos cum Adamo antiquiſſimos fuiſſe mortalium; Verba ejus haud pigebit integra deſcribere, quamvis non ſine quodam horrore animi, quod videam ita ſarcaſticé tra-

cè traduci à Viro Doсto hiſtoriam Moſis. *Fuit*, inquit, *Cainus agricola, Abelus paſtor ovium. Qui dicit aratoriam artem, multas alias ſupponit artes, & qui dicit agricolam innumeros ferè præſupponit artifices; At ſi nulli præter Cainum agricolam fuêre tunc temporis artifices, maximus ſane fuerit ardelio Cainus; Ergo ſibi ſolus fodit ferrarias; fornaces excitavit; ſibi incudem & malleos fabricavit, & alia ferramenta quibus vomerem cuderet & procuderet; ſecures ſibi acuit quibus caſæ arbores formas acciperent vel aratri, vel raſtri, vel plauſtri, vel ceteri id genus. Tum ſi ex farre quod meſſuerat panem, ut credibile eſt, confecit, ſibi ſolus ergo cavavit lapidicinas Cainus unde molas erueret: vel ſi tunc temporis nullus erat molendinorum uſus, eo deductus fuit ubi flent nequam homines qui polentam pinſitant & ſibi piſtrinum conſtruxit ubi panes torreret. Fuit ergo Cainus ſolus arator, meſſor & piſtor. Eas ergo Cainus artes ſolus exercuit, ad quas innumeri penè & ſervi & artifices re-*

quirebantur, quæ nonniſi longâ meditatione & longiſſimo uſu reperiri potuerunt. Parva illa ſunt; Nobiliſſimus omnium hominum qui referebat Deum avum & terram aviam, deputatus fuit ad ferrarias & lapidicinas, vel in piſtrinum ad tundendas ſegetes, quò damnati ad metalla vel ſervi pœnæ deportabantur. Veniamus ad Abelum. Scriptum eſt fuiſſe paſtorem ovium. Atqui paſtor ovium idem eſt qui cuſtos ovium; paſcebat & cuſtodiebat Abelus oves ſuas. Sed quare cuſtodiebat illas Abelus? Quos fures timere debuerat præter patrem, matrem & fratrem, ſi nulli præterea fuiſſent homines in terris? Ab lupis autem & feris rapacibus quæ gregem ſuum invaſiſſent, plus Abelo ipſi quam ovibus ſuis timendum fuiſſet; ne in illum ſcilicet neglectis ovibus inſurrexiſſent.

9. Sed heus tu dum ita protervè illudis Verbo Dei, iis ſarcaſmis quorum ſanè puduiſſet vel Theophilum Poëtam Occitanum ingenioſiſſimum ſcurram, inter pocula & ſacra Bacchi, vel

vel Lucilium Italum Toloſæ uſtulatum obAtheiſmum,inter Epoptas nefariorum ſuorum Myſteriorum; non vides eadem militatura argumenta contra eos è Præadamitis tuis vetuſtiſſimis, à quibus ſemel debuerunt & Agricultura &Paſtoritia incœpiſſe. Sanè qui prior egit vel Triptolemum, vel Cererem, vel Oſirim inter eos, *uncique puer monſtrator aratri*, & illos à glandibus ad fruges ſtuduit traducere, non jam habuit ſibi paratas omnes illas artes, quarum ſubſidio, noſtra nunc tum Agricultura tum Piſtrina faciliùs & fœliciùs procedunt; Ut hominum ſic artium omnium ſuæ ætates diſtinctæ fuerunt, nec in primo earum repertore adultam ſuam perfectionem nactæ ſunt. Vel ergo concipias has artes uti nunc ſe habent, ita fuiſſe exercitas ab æterno, quod nequidem dixerit ipſe Ariſtoteles impius æternitatis mundi aſſertor; cùm etiam quotidie aliquid perfectionis

nanciſcantur; Vel non ægrè feras ſi dicamus Agriculturæ in Adamo & Caino auſpicia adhuc rudia fuiſſe, nec ad eam deducta perfectionem, quæ hodie viſitur. Apud Romanos Pitumno, qui inde & Sterquilinus dictus fuit, (ut ex Servio refert Polydorus Virgilius *lib. 3. de Inv. rerum, cap. 2.*) debebatur inventio agrorum ſtercorandorum, & Pilumno ejus fratri ars pinſendi frumentum: & quam recens ſit molendinorum inventum, quam ſæpè urbes obſeſſę, manuariis & truſatilibus machinis eorum defectum cogantur ſupplere, omnes norunt. Dionyſio ſecundo ex Jove & Proſerpina genito, Diodorus *lib. 4. & 5.* ſed Buzygi Athenienſi Plinius *lib. 7. cap. 56.* tribuit quod Boves aratrum primus junxerit cùm terra prius manibus hominum coleretur. Imò nec opus fuit Agriculturæ Adami & Caini tot ſubſidiis quibus noſtra procedit; nam & molliori cœlo fruebantur, & necdum

exhauſta

exhauſta erat vis primęvę illius benedictionis, quam terræ eam condendo Deus recens contulerat; & cùm ſeducta nuper ab alto æthere cognati retineret ſemina cœli, culturæ proculdubio erat & facilioris & minus operoſæ. Quam nullo propè labore colatur Ægyptus, nemini ignotum eſt: attamen terræ Canaan cultura facilior & minus laborioſa dicitur Deut: x, 11. Nec diſpar planè ratio Meſopotamiæ in qua primi homines habitarunt; *Meſopotamiam*, inquit Solinus *Polyhiſt. cap.* 50. de Euphrate, *opimat annua inundationis exceſſibus ad inſtar Ægyptii amnis terris ſuperfuſus, invectâ ſoli fœcunditate.* Quin agri Babylonici & Meſopotamici juxta Plinium *lib.18.cap.17.* ea eſt fœcunditas & ſegetum luxuries ut incolæ huic caſtigandæ eam *bis ſecent & tertiò depaſcant; alioquin folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit fœlicitas ſoli; verum diligentioribus cum cen-*

 teſimo

teſimo quinquageſimo; Hinc Moſes Gen: XIII, 10. deſcribit planitiem Jordani ante Sodomæ ſubverſionem & natum ex illa mare mortuum *totam irriguam*, *ſimilem horto Iehovæ* & *ſimilem terræ Ægypti*.

10. Verùm ne videamur circa argumentum in quo ſibi plaudit impietas elabendi potius quam reſpondendi quęrere materiam, multa ad pleniorem illius ſolutionem notanda ſunt; Imprimis certum eſt Agriculturam non fuiſſe exercitam ante Adamum, non ſolum quia priuſquam conderetur Gen:II,5. *nullus dum extabat homo ad colendam terram*, ſed etiam quia poſt ſuum demum peccatum ab honeſto otio quo fruebatur in cuſtodiendo & colendo ſine moleſtia & labore Paradiſo terreſtri, damnatus fuit ad colendam cum ſudore & tędio terram ex qua deſumptus fuerat Gen: III,24. Quare debuit Cain in domo paterna poſuiſſe tyrocinia illius artis recens

recens inventæ, eodem illo cuneo duræ neceſſitatis adactus quo Adam ipſe, qui licet *Nobiliſſimus omnium hominum*, Deum non *avum* ſed patrem & terram non *aviam* ſed matrem referens, tamen à roſtris ad raſtra detruſus fuit, & coactus fieri ſimul *arator*, *meſſor & piſtor*. Id quoque extra dubium, primas in genere humano artes has duas fuiſſe, quas inter ſe diviſerunt Adami filii, Georgicam & Bucolicam: Nam prima ſollicitudo hominum damnatorum ex peccato ad comedendum panem *in ſudore vultus ſui* Gen: III, 19. ſpectavit prima & maximè neceſſaria ſuſtentacula hujus vitę, quæ potiſſimum ex utraque hac arte habentur. Aliæ artes faciunt ad melius eſſe, hæ ſimpliciter ad eſſe. Georgica verò jure primogeniture ceſſit Caino, ceu prior & facilior: utpote quæ à communi omnium matre, eaque volente, quærit alimenta; & eadem habet principia quę Mundus, Terram,

Aërem, Aquam, Solem, quorum alterum ſi deſit, fruſtra erit. Pręterea dubium non eſt, quin Adamus Sapientiſſimus à Deo conditus, adeo ut juxta Judęos ejus Sapientia adagialiter commemoretur in textu originali Eſ: XLIV, II. apud Menaſſeh Ben Iſrael *de fragil. humana, p. 1. §. 4. n. 3.* & retinuerit poſt ſuum peccatum multa adhuc rudera primęvę Sapientię, maximè quoad phyſicam rerum notitiam & τὰ βιωτικά, & memoriam conſervaverit illius operę ad quam primitùs evocatus fuerat in colendo Paradiſo, quaſi in prę exercitamentum illius durioris laboris, quem ſibi accerſivit ſuâ culpâ. Igitur illas Sapientię ſuę primęvę reliquias, conjunctas cum memoria recenti ejus quod debebat facere in Paradiſo, adhibuit in conſilium, circa rationem expeditiſſimam quâ poſſet panem ſuum terrę extorquere & inſtrumenta illi fini convenientia; quorum fabricam & uſum Cainum edocuit,

edocuit, ut Abelem Paſcuarię myſteria, & rationem regendorum aliorum animantium, quorum indolem perſpectam habebat, etiam ex nominibus quę recens illis impoſuerat.

11. Jam verò an etiam prima Adami & Caini agricultura, per inſtrumenta ferrea proceſſerit, poſſet dubitari: Nam ſicut probabile eſt prima hominum ædificia ex defractis arborum ramis, abſque ferramentis peracta fuiſſe, & multę extiterint ab ævo gentes quę diutiſſimè caruerunt ferro & aliis metallis quę effodiuntur ex viſceribus terrę, ac nihilominus potuerunt ſibi tela parare aliunde in uſum belli, & reperire rationem tum excitandi ſibi domos contra aëris injurias, tum extundendi ex terra ſuum victum, tum ſibi amictum & veſtes varii generis conficiendi; ita potuit prima Adami & Caini agricultura citra ferri uſum in ſolo facili & fœlici procedere; vices ſubminiſtrantibus

cultrorum, ſerrarum & ſecurium, ad ligna in raſtros & ligones exſcindenda & exacuanda, vel Cancrorum ſecurigerorum chelis, de quibus agit Doctiſſ. Bochartus *Phæn. lib. 1. cap. 4.* unde etiam putat poſſe derivari Adagium celebre *Tenedia ſecuris*, vel ſilicibus præacutis, quibus in uſum ſimilem plurimi populi utuntur etiam hodie; quò & referri poſſet quod plerisque Viris Doctis eſt perſuaſum, juxta Interpretes Græcos & Latinum Veterem, Sephoram in circumcidendo ſuo filio Exod: IV, 25. & Joſuam in circumcidendo univerſo populo Joſ: V, 3. petrinos cultros ſive ſilices acutos adhibuiſſe. Imò Petrus Comeſtor *in Hiſtor. Schol.* refert fabulari Judęos (ſi modò hęc ſit fabula Judaica) circumciſionem fieri ſolitam uſque ad Davidis tempora cum petra vel ſilice; Sed quia in dejiciendo Goliam ferrum loricæ & galeę ceſſit lapidi quem ex funda projecerat David, exinde vice-
verſa

verſa lapidem ceſſiſſe ferro in circumciſione. Ex Joſepho, Tacito, Plinio, aliis, conſtat fruticem balſamum ſtillantem, non ferro vel chalybe aperiri ſolitum, ne violari videretur, ſed vitro aut cultro lapideo; Et qui Cybeles fiebant Sacerdotes, genitalia ſibi *acuto ſilicè* reſecabant, ut liquet ex Catullo *de Aty*, Plutarcho *in Nicia*, & aliis. Quanquam nec opus fuerit dicere Adamum & Cainum omni ferramento caruiſſe, ſi obtineat Judęorum ſententia apud Menaſſeh Ben Iſrael *loco cit.* Adamum ipſum fuiſſe omnium artium inventorem, etiam mechanicarum, & Jabal, Jubal ac Tubalkain, primos quidem fuiſſe qui illas ſuas artes de quibus ante diximus exercuerint ex profeſſo, ſed non qui illas abſolutè invenerint.

12. Igitur nihil poteſt Pręadamita colligere ex requiſitis ad primam Agriculturam, eamque ut rudiorem noſtrâ, (cùm inventis addere ſit facil-

limum) ita faciliorem reſpectu cœli & ſoli in quo exercebatur, unde ſequatur Adamo & Caino alios homines prçextitiſſe, à quibus illius artis inſtrumenta fuerint conſequuti; maximè cùm nullâ ratione probari poſſit omnes alias artes quas advocat hic homo in ſubſidium Agriculturæ, & quibus exercendis nolit Nobiliſſimum ſuum Dominum Cain vacaſſe, priùs notas & in uſu fuiſſe inter homines quam animum ad terræ culturam appellerent. Multo minùs ex Bucolica ſive Paſcuaria Abelis habebit quippiam quod ſibi faveat: Nec enim omnis cuſtodia ovium, furibus arcendis deſtinatur; nam cuſtodiri debent maximè adverſus lupos & alias feras; nec tutiores erant Moſes aut David ab earum aſſultibus in deſerto per quod ſuos ductabant greges, procul ab aliis hominibus, quam Abel dum ſuum regit ſolus in agris, priuſquam ita genus humanum excreviſſet; Imò debent

debent cuſtodiri ne aberrent ab ovili, & bonis relictis paſcuis in noxia aut minus ſalubria delabantur. Ut perperam conetur Vir Doctus Præadamitas ſuos ex Abelis cauſa & cuſtodia ovium ſuarum deducere.

13. Neque tamen negamus jam tum plures homines extitiſſe, cùm hi duo cœperunt, pro ſuo modulo & quaſi primis initiis Societatis humanæ, has duas artes diſtinctè & ſeparatim exercere; licet illos omnes Adamitas ſtatuamus: Igitur nonnulla hîc elucidandę huic Controverſiæ veniunt ſupponenda, de quorum veritate nulla ſana ratio dubitet. Primò itaque ſupponimus Adamum & Evam liberis operam dediſſe & parentes factos fuiſſe ipſo primo anno ſuę creationis: Quod enim nonnulli Chronologi, ut Nauclerus, Genebrardus, alii, natalia Caini rejiciunt in 15. annum ab Adamo condito, fit abſque judicio & ratione; Et quamvis nolimus aſſentiri

Rab-

Rabbinis ſtatuentibus, jam in horto Edenis antequam peccarent primos noſtros parentes congreſſos fuiſſe (nam ex tali concubitu nati, fuiſſent immunes ab originali labe) tamen omninò probabiliſſimum eſt, quod ipſo primo anno ſuę creationis parentes facti ſunt, cùm creati fuerint, ut aliàs demonſtravimus, ejus ſtatus & ſtaturæ, quę in natura jam conſtituta convenit adultæ & virili ætati. Et plures pro hac ſententia poſſim proferre, ſi res in dubium quiret revocari: Satis eſto quod illicò poſt ſuum peccatum, inter quod & ſui creationem breviſſima fuit mora, dicitur Adam cognoviſſe ſuam uxorem & eam Cainum peperiſſe Gen: IV, 1. Secundò omninò probabile eſt quolibet partu gemellos ab Eva editos fuiſſe; nam id ferè ordinarium apud gentes fœcundiores; imò etiamnum hodie dicuntur Scoticæ mulieres frequenter admodum tergeminos & quatergeminos

pare-

parere; & ſpeciali benedictione concurrebat Deus concubitui primorum parentum per quos genus humanum toto terrarum orbe multiplicandum erat. Imò ſi credamus acuto ſcriptori libri qui inſcribitur *Scrutinium ingeniorum cap. 15. ſect. 3.* ex naturali conſtitutione hominis factum initio ſatis diu, ut quęque mulier geminos ſemper conciperet & pareret, marem & fœminam (prout, inquit, ex parte dextra renum & teſtium ſemen ſit calidum & ſiccum ad maris generationem, ex parte ſiniſtra humidius & frigidius ad procreationem fœmellæ,) ut vir quiſque ſuam haberet conjugem & fœmella quæque ſuum virum, quò citiùs genus hominum multiplicari & propagari poſſet. De Evæ puerperiis dicunt Judæi amplius quam ſupponimus: Nam licet in Gemara Sanhedrin *cap. 4. §. 10.* dicat R. Acha filius Chaninæ, *Horâ octavâ in lectum aſcenderunt bini, deſcenderunt quaterni*; nempe Adam

& Eva,

& Eva, Cain & ejus gemella ſoror, (quaſi nihil fuerit intervalli inter coitum & partum, quod nemo admiſerit.) tamen liberaliùs loquitur R. Joſuah Ben Carchia, citante Seldeno *de jure nat. & gent. lib. 5. cap. 4. Et aſcenderunt in thorum bini, deſcenderunt ſeptem, nempe Cain & gemella ejusſoror & Abel cum ſororibus ſuis.* Videatur Raymundus Martinus *Pug. fidei, p. 3. diſt. 2. cap. 5. §. 15.* ubi his ſimilia ex *Bereſith Rabba* habentur. Saltem opinionem hanc de gemellis quoquo partu editis ab Eva, generaliter obtinuiſſe apud Judæos, Mahumetanos & Chriſtianos, fuſé oſtendit Seldenus *lib. 5. de jure nat. & gent. cap. 8.* licet de nominibus filiarum cum Caino & Abele editarum, non conveniat Antiquitas. Sunt qui natam cum Caino Calmanam, cum Abele Delboram vel Leboram nominent; alii illam Azronem, hanc appellant Awinam. Sed ut his immoremur non eſt noſtri inſtituti.

14. Ter-

14. Tertiò id quoque extra dubium debet poni, liberos Adami ſtatim ac puberes fuerunt operam dediſſe liberis & generi ſuo propagando incubuiſſe; idque ex oraculo facto ad ſuos parentes cùm primum creati fuerunt, *Creſcite & multiplicamini.* Scio equidem diſquiri an vox illa fuerit præceptiva nec ne, & nonnullos ex amore nimio Cœlibatus & Virginitatis in negativam inclinare. Sed nec diffitetur Thomas hoc mandato ſaltem ſpeciem in communi teneri, licet non ſingulos omni tempore: & vix dubitare licet, eo fuiſſe obligatos primos homines à quibus ſpeciei toto orbe propagatio pendebat. Judæi etiamnum hodie putant quemlibet virum hoc præcepto teneri anno ætatis ſuæ 18. eoſque peccare qui ultra 20. ætatis annum ſuas nuptias diſtulerint, ut videre eſt apud Iſhac Athias *in Teſoro de preceptos, p.1. præc.212.* Plura habet author libri qui inſcribitur שלחן ערוך.

ערוך *Schulcan gnaruch*, ideſt *Menſa inſtructa*, cujus verba refert Celeberrimus Buxtorfius in erudito ſuo tractatu *de Sponſalibus & divortiis §. 13.* quorum nonnulla huc tranſcribere operæpretium eſt. *Præceptum eſt cuivis homini ducere uxorem, qui eſt 18. annorum. Quod ſi verò quis tempus antevertat, & 13. anno ducat, is longè præſtantiùs facit; ſed ante 13. annum non licet. Nullo autem prorſus modo excedet vigeſimum annum ſine uxore; Quod ſi autem quis id fecerit, nec ducere uxorem velit, domus judicii eum cogit, ut huic præcepto ſatisfaciat.* Video quidem poſſe objici contra maturas filiorum Adami nuptias, quod Moſes Gen: 5. nulli Patriacharum τεκνογονίαν tribuat niſi poſt annum ſeptuageſimum, nonageſimum, centeſimum, & ducenteſimum ætatis ſuæ; Sed huic ſcrupulo ante me occurrit B. Auguſtinus *de Civit. Dei lib. 15. cap. 15.* credibilius ſtatuens non recenſeri à Moſe eo loci primogenitos Patriarcharum,

ſed

ſed eos tantum ex quibus per rectam lineam, gentis ſuæ conditor Abraham deſcenderat.

15. Id etiam quarto loco venit notandum, non contigiſſe cędem Abelis per Cainum ante 129. annum Adami: ſiquidem Gen: IV, 3.. diſertè dicitur quod demum *poſt multos dies* ex quo facti fuerant Cain Agricola, & Abel Paſtor ovium, obtulerint ambo illa ſua Sacrificia ex quibus nata fuit occaſio rixæ; & Sethum natum anno Adami 130, juxta Moſem Gen: V, 3. Eva hoc nomine appellavit, quoniam eum ſibi videretur nacta in locum Abelis quem Cain trucidaverat Gen: IV, 25. Adhuc autem recens fuiſſe vulnus optimę matri inflictum Caini fratricidio, & natum fuiſſe Sethum illicò poſt, hæc ejus nomenclatura ſatis indicat. Et ſanè cùm Eva mater viventium nullius dum è ſuis poſteris funus vidiſſet vel luxiſſet ante Abelem recens denatum cùm Sethus natus eſt, haud

haud immeritò hunc in illius locum ſibi divinitùs reſtitutum fuiſſe judicavit. Ac proculdubio per divinam diſpenſationem ſingularem factum eſt, quod Abel vir pius & ſanctus omnium primus ſit mortuus, & quem tres alii, Adam, Eva, Cain, tunc ætate ſuperabant, idque morte non naturali ſed violentâ, quò conſtaret, 1. Nullum eſſe vitæ humanę à natura fixum terminum, cùm ſæpè carpantur fructus ſtante arbore quæ illos produxerat, & ſeniores ac parentes præcedant filii & juniores, quos dixeris haud immeritò inſtar Catonis in hoc Amphitheatrum veniſſe tantum ut abirent; 2. Mortem revera non eſſe naturalem, ſed præter ordinem naturæ invectam in orbem, ſiquidem qui prior omnium deceſſit violentiâ & nequitiâ ſui fratris obtruncatus eſt; 3. Mortem cedere piis, ſingulari Dei benedictione, in tranſitum ad vitam meliorem; aliàs ſi melius eſſet hîc

vivere

vivere quam mori, vixiſſet pius Abel, & impius Cain obiiſſet; 4. Contra mortem per peccatum introductam, & cujus ſpicula prima in Abele cruenta fuerunt, non dari remedium niſi in cruenta & violenta morte Chriſti cujus *ſanguis* dicitur *potiora loqui quam Abelis* Heb: XII, 24. Cùm igitur cædes Abelis, primum mortalitatis humanę ſpecimen & experimentum, contigerit per Cainum paullo ante Sethi natalia & circa annum Adami 129. ac nonniſi diu poſtquam alter cœpiſſet ſuos agros colere, alter ductare ſuos greges, hinc duo reſultant: Primùm non eſſe veroſimile Adamum & Evam per totos 120. annos ad minimum poſt natalia Caini & Abelis nullos genuiſſe liberos. Quare meritò ſuſpicatur Auguſtinus V.S. non *ideo conſequens videri debere ſolos* Cainum & Abelem *tunc generatos ex Adam*, quia *ſoli nominati ſunt*: Fingunt equidem Judæi toto illo tempore quod efluxit à nato

nato Abele ad genitum Sethum, Adamum non homines ſed dæmonas genuiſſe; Verba Thalmudis eò facientia retulit Raymundus Martinus *in pug. fidei, 3. p. diſt. 2. cap. 5. §. 16.* Verùm Mæmonides videns iſtius ſententiæ abſurditatem ſi literaliter ſumatur, eam explicat allegoricè *in More Nevoch. p. 1. cap. 7.* de hominibus pravis & nequam, ratione & intellectu abutentibus ad omnis generis pernicioſa conſilia. Hos inter Mahumediſtæ nominant *Abdol Hareth*, de quo quid fabulentur videre eſt apud Celeberr. Hottingerum *lib. 1. cap. 3. Hiſt. Or.* Deinde Cainum & Abelem jamdiu maritos fuiſſe & patresfamiliàs cùm Abel obiit: ſiquidem jam Cain tum erat annorum 129. Abel 128. circiter, ſuppoſito quod anno vertente poſt ſuum fratrem natus fuerit: Imo jam ambo ex Patria poteſtate & familia exceſſerant, cùm eorum quiſque ſuum haberet, ille ſuos agros, hic

hic ſuos greges, cujus curam reſpe-ctivè in uſum rei ſuæ familiaris & do-meſticæ ſuſtinebat. Hæc autem ſua non fuiſſent ſed ſui patris, ſi ad huc fuiſſent cœlibes & membra paternæ familiæ: Sed quia res ſuas ſeorſim à patre habebant, debuerat eorum quiſ-que deſeruiſſe patrem & matrem ſuæ conjugi adhæſurus, ut jam antea ob-ſervavi ex dicto Adami Gen: 1 ꝟ24.

16. Equidem non neſcio ex Sadio Patricide vel Batricide, referre Sel-denum *lib. 5. de jure nat. & gent. cap. 8.* rixam inter Cainum & Abelem & inde hujus cædem ortam fuiſſe, oc-caſione nuptiarum quas Adam vole-bat conciliare inter Cainum & gemel-lam Abelis, & Abelem & gemellam Caini, quod nequidem illo tempore cenſeret Adam nuptias licere inter geminos, ortos ex eodem concubitu: Cainum verò ſuam gemellam, quod formoſior eſſet gemellâ Abelis, fratri invidiſſe, & ſibi malluiſſe conjunctam;

Adamum

Adamum verò utrique authorem fuiſſe, ut in monte ſancto alter frugibus, alter pecorum fœtu Numini faceret, quò ſic præviis iſtis ſacris nuptias ſuas pacatis animis celebrarent; ſed peractis ſacrificiis, cùm ex monte ambo deſcenderent, Cainum Abelem interfeciſſe, & ſuam gemellam quam illi nolebat elocari ſibi in uxorem deſumpſiſſe. Verùm quominus illi narrationi, quam Seldenus arbitratur authorem hauſiſſe *ex receptis Orientalium traditionibus*, fides debeatur, non ſolùm faciunt ea quæ modò annotavi, ex quibus conſtat, ſive ætatem eorum jam grandævam ſpectemus, ſive adminiſtrationem per unumquemque rei jam non paternæ ſed ſuæ, utrumque jamdiu conjugatum & patremfamiliàs fuiſſe tempore iſtius rixæ quæ in fratricidium abiit; ſed etiam ex hiſtoria ſacra Moſis Gen: 4. quæ docet primùm Cainum livore & invidiâ adverſus Abelem exarſiſſe, quod Deo acce-

acceptius fuiſſet illius ſacrificium quam ſuum, & ex invidia illa diutiùs ſub pectore cocta, Deo necquicquam ſatagente eum ad ſaniorem mentem revocare, conſilium cædis patrandæ iniiſſe: prout non malè dictum à Baſilio ὁ φθόνος φόνου πατὴρ; *Cædis parens eſt invidia*: Ita ſcilicet,

> *Acrior admonitu eſt irritaturque retenta*
> *Et creſcit rabies, moderaminaque ipſa nocebant.*

Scio quoque Veterum plerorumque fuiſſe hanc opinionem quod Abel virgo & cœlebs deceſſerit, unde volunt ejus gemellam poſtea Setho fratri fuiſſe elocatam: Sed obſtant huic opinioni ex ſola Cœlibatus nimia admiratione inter Chriſtianos ortæ, quæ ſuperiùs dicta ſunt, & quod ex Gemara Hieroſolymitana *ad tract. Sanhedrin cap.16.* profert Seldenus V.S. *Cainus ſororem ſuam in uxorem duxit, ac Abel ſuam etiam in uxorem duxit ſororem*; *atque intelligen-*

telligendum eſt ac ſi interſertum fuiſſet, Indulgentiâ ſeu gratiâ uſus ſum erga homines primævos quoniam ex eis mundus ædificatus eſt. Nec obeſt huic ſententiæ quod non meminerit Moſes poſterorum Abelis, ut Caini; Nam ſpecialis ei fuit cauſa aliquid dicendi de poſteritate Caini, tum ut conſtaret quis fratricidæ exitus poſt ſuum crimen fuerit, tum ut artium quarundam inventionem vel primum exercitium, Polygamiæ primam originem, Gigantum natalia, obiter attingeret; quorum omnium ſuus eſt uſus ad inſtitutionem & ædificationem Eccleſiæ.

17. Cùm igitur certum ſit Adamum & Evam plures præter Cainum & Abelem ante Sethum genitum anno ætatis ſuæ 130. ſuſtuliſſe utriuſque ſexus liberos; hos omnes vividos, vivaces & longævos, maturè liberis quoque dediſſe operam; Cainum & Abelem diutiſſimè fuiſſe patresfamiliàs, prius quam hic ex illius livore tru-

trucidaretur, neque hanc cædem patratam ante annum ab orbe condito 129. non eſt, ut ad noſtrum Præadamitam redeamus, cur ſollicitè inquirat quorum vel uſui vel ſubſidio vel metu Cain ſuos coleret agros, & Abel ductaret & cuſtodiret ſuos greges; cùm ſpatio 120. annorum jam non centurias ſed myriadas hominum, quos inter erant jam plures filii Belial, ex eo genere quos dæmonas ideo vocant Thalmudiſtæ, in mundo extitiſſe, quivis facilè intelliget qui cogitaverit, quod anno mundi 30. potuerint eſſe pluſquam decem familiæ ex Adamo & Eva enatæ & conſtitutæ; quæ quantopere potuerint multiplicari ſpatio 100. annorum, in illa naturæ adoleſcentis fœcunditate, ſub qua nulla funera viſa ante cruentam Abelis cædem, is facilè aſſequetur, qui vel mente reputaverit celeritatem progreſſionum Arithmeticarum, juxta quas qui emerit equum ſub condi-

tione perſoluendi pro primo clavo quatuor ferrearum ſolearum quibus ejus pedes muniuntur unum obolum & illius pretium ſemper duplicandi per reliquos clavos, reperiret ditiſſimi etiam hominis opes vix ei rei ſuffecturas; vel animo volverit, quomodo Jacobi Patriarchæ familia, quæ non pluribus conſtabat quam 70. capitibus cùm primùm in Ægyptum delata fuit, ſpatio 210. annorum, in tantam excreverit multitudinem ut ex Ægypto prodierint ductore Moſe ſexcenta millia virorum armatorum, præter imbellem turbam infantium & mulierum: licet intra illud ſpatium 210. annorum commorationis in Ægypto, multos morbi & calamitates & inde mors tum violenta tum naturalis demeſſuerit, qui ſi omnes ſupervixiſſent uſque ad Exodi tempus, illorum armatorum numerum facilè duplicaſſent vel triplicaſſent; cùm vix ulla familia reperiatur in mundo, ex qua

ſpatio

ſpatio 40. annorum plures naſcantur quam denaſcantur.

18. Hinc autem facilè prævertimus reliquis objectionibus quas Præadamita conatur nectere ex Geneſi: Urget *eod. cap. 4. lib. 3. Syſtem.* Adamum, tempore fratricidii *degiſſe vel in pago circumſepto, vel in oppido muris cincto*, quia Cain dixerit Abeli *Egrediamur foras*, & quod timeret *apprehendi & obtorto collo rapi in carcerem ſi palam & in conſpectu vel paganorum vel civium occidiſſet fratrem ſuum*, ideo *interfecit eum cum eſſent in agro qui opponitur urbi. Quod nota*, inquit Author; & addit; *Interfecit eum cum eſſent in ſolitudine clam arbitris*: Eadem ferè ſunt quę inculcat in *Ptoœmio totius operis*, ubi ait ſe jam puerum ſuos Præadamitas fuiſſe ſuſpicatum, cum audiret vel legeret hiſtoriam Geneſeôs *ubi Cainus foras egreditur; ubi occidit fratrem ſuum cum eſſent in agro; nempe illud more latronum, cautè; ne à quopiam arbitro pro-*

 deretur

deretur; ubi timet, ubi fugit pœnam fratricidii; ubi denique longè à parentibus ſuis uxorem ducit & civitatem ædificat. Sed primò illud *Egrediamur foras*, non extat in textu originali; ſed cùm habeat *colloquutum* fuiſſe Cainum cum Abele, Interpretes Græci, quos in eo Samaritanus & Latinus ſequuti ſunt, hoc ipſum introducunt Cainum proloquentem ad Abelem. Secundò potuit Cain æquè ſuum fratrem evocare in agrum ex mapalibus aut tuguriis tumultuariis, ac ex loco aliquo ſepto aut oppido muris cincto; Nec enim verum eſt *Agrum* neceſſario *Urbi* opponi: Iſaac dicitur Gen. xxiv, 63. *egreſſus* fuiſſe *ad meditandum in agro*, cùm tamen nec in urbe nec in pago habitaret, ſed Schenitarum more in tentoriis, quod de ipſo & aliis Patriarchis in communi docet Paulus Heb. xi, 9. Unde dicitur Rebeccam tunc ſibi occurrentem introduxiſſe *in tabernaculum Saræ matris ſuæ.* Ita ex paterno

terno tabernaculo Eſau *egreditur foras & abit in agrum* ad venandum Gen: xxvii, 3. 5. Ita *egreſſa eſt Dina ut videret mulieres regionis illius* Gen: xxxviii, 1. non utique ex pago vel oppido in agrum, ſed è contrario ex tabernaculo quod in campis fixum erat in urbem. Tertiò jam tum potuerunt Adam & Eva cum ſuis filiis, non quidem urbem condidiſſe quod Caino primùm tribuitur Gen: iv, 17. ſed tamen plures pagos compleviſſe; cùm Adam anno ætatis ſuæ 129. quo fratricidium commiſſum fuit jam habuerit nepotes ſextæ ad minimum generationis, etiam dato filiorum ſuorum neminem genuiſſe ante annum 20. Ut hîc non ſit recurrendum ad Præadamitas, quorum metu fratricida Abelem in agrum ſeduxerit blandis verbis, ut eum trucidaret; cùm tot potuiſſet ex ſuo genere ſceleris ſui teſtes habere, niſi illud clam & cautè extra locum habitationis ordinariæ

peregiſſet. Nec Adam Dei filius & litans pietati cum ſua familia fuiſſet in eodem vel pago vel oppido cohabitaturus hominibus Gentilibus & profanis, generis & ſtirpis alterius, poſito etiam quod tales jam extitiſſent.

19. Et cùm jam ſufficiens fuerit numerus Adamitarum ad Remp. aliquam conſtituendam, tam facilè concesſero Prędamitæ noſtro, etiam tum quædam *præmia tempore illo benè factis decreta, & ſupplicia malè factis*, ut porrò urget *cap. 4. lib 3. Syſt.* (etenim his duobus, præmiis ſcilicet & pœnis Reſp. omnis continetur, Cicerone judice) quam facilè eſt negare id colligi ex verbis Dei ad Cainum; *Quare iratus es & concidit facies tua? Nonne ſi bené egeris recipies; Sin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Quamvis enim ex Scriptura conſtet *judicia apud Orientales exerceri ſolita in portis*, & hoc potuerit occaſionem ſuppeditare Rev. & Nob. Viro Michaeli Marollio,

rollio, Abbati Villilongano, (cui id acceptum ingenuè refert Vir Doctus) cogitandi hîc ſaltem eſſe metaphoram à judiciis Civilibus deſumptam, inde tamen non ſequetur Deum illis verbis ſignificaſſe *Caino, ſi malè ageret rapiendum ad judices, qui pœnas ſceleris ſui ab eo repoſcerent*. Nam Deus non proponit Caïno præmia & pœnas ex parte hominum, ſed ex parte ſua; atque indignationem emolliturus quam conceperat ex prelato ſibi ſuo fratre in admiſſione Sacrificii ipſius, oſtendit non eſſe quod id imputet ſuo fratri, ſed ſibi-met, cùm penes Numen repoſita ſint præmia pietati ac virtuti & ſupplicia hypocriſi & impietati, quantumlibet occultæ. Quare illud *præ foribus eſt peccatum excubans*, nihil aliud denotat quam pœnam à ſe præſtò fore in omnem operarium iniquitatis; quod etiam agnoverunt ſuo modo ipſi met Ethnici, juxta illud *Noxa caput ſequitur*: Nam ita *taciiis pœna venis*

mit pedibus, ut inde dixerit Horatius; *Rarò antecedentem ſceleſtum Deſeruit pœna pede claudo.* Et ſanè ex ſtylo etiam Scripturæ id quod prȩſtò & propè eſt, ut ut inexpectatum, dicitur eſſe *præ foribus*; ut Matth: xxiv, 33. *Cum videritis hæc omnia ſcitote illum eſſe prope ἐπὶ θύραις, ad fores*, ſive ut habet V. V. *in januis*: Ita Jac: v, 9. Apoſtolus deterriturus homines à temeraria fratrum condemnatione, *Ecce*, inquit, *Iudex ante januam adſtat*, ſive *eſt præ foribus*; nam Græcè eſt πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν. Sed etſi illud Moſaicum לַפֶּתַח *Lappetach, ad oſtium*, ſumeretur de porta Judiciaria, (cùm tamen eo ſenſu uſpiam non legatur, quod ſciam, vocabulum פֶּתַח *petach*, ſed ſæpiſſimè aliud nempe שַׁעַר *ſchagnar*,) velim nobis à Viro Docto ediſſeri, quos putet fuiſſe illos Judices, quorum metu Deus voluerit Cainum in officio continere. Nam ſi Adamum ipſum fecerit Præſidem hujus Judicii, pctam quo jure

inter

inter Præadamitas homo exterus, & illis Autochtoniis, hominibus alterius generis, meritò inviſus, id authoritatis potuerit conſequi: Si præadamitam aliquem, petam quo titulo ſubjiciat tali Juriſdictioni familiam Adami, ſuperantis tot paraſangis illos alios homines quos Terra malos atque puſillos præ illo genuerat.

20. Abſurdius eſt quod pergens in ſuo inſtituto, rogat Vir Eruditus *à quibus latronibus acceperat Cainus enſem, quo verteret ſanguinem fratris ſui; Item quos timuit Cainus, poſtquam intellexit palam eſſe quod patraverat fratricidium? cùm dixit Deo, Omnis qui invenerit me occidet me; Timuit verò judices ſuos, & leges quibus capite plectendus erat. Effugit ergo juriſdictionem in qua occiderat fratrem ſuum, atque adeo in qua ſiſtendus erat judicio. Et aufugit more reorum omnium, qui ſciunt ſe rem malam meruiſſe; & pedibus illicò perfugium pariunt. Aufugit inquam in aliam regionem, ad orientalem*

plagam Edeni, inquit Geneſis. Multa enim ſunt quæ hîc reſpondeam: Nam primò non dicitur Cain *enſe* peremiſſe ſuum fratrem; & potuit alio aliquo telo, licet non ferreo, cùm furor arma miniſtraret, ejus ſanguinem effudiſſe: Adhæc nunquam auditum, nemini eſſe *enſem* niſi quem *à latronibus* acceperit: Tum Cain potuit ſibi telum ad id paraſſe eadem arte, quâ ligones & raſtros ad agriculturam jam antea ſibi comparaverat. Deinde falſum eſt Cainum *aufugiſſe* idque metu Judicum in aliam regionem: Nam quęcunque hîc ab iſto homine dicuntur de Caini fuga, ad ipſius commenta debent referri: nihil enim tale habet Moſes; ſed potius eum ejectum & miſſum in exilium à Deo ex illa terra quam ſanguine ſui fratris polluerat, quæ deinceps ipſum ceu hominem ſacrum ſuſtinere non poſſet. Nec tam Judices vel leges metuebat, dicendo *Omnis qui invenerit me occidet me* (cùm

Judicia

Judicia capitalia multo ſeriùs inter homines incœperint, ſiquidem, ut norunt Eruditi, ſatis erat olim homicidis tanquam ſacris aquâ & igni interdixiſſe,) quam ex turbata conſcientia, cui ſolemne etiam omnia tuta metuere, & juxta Menandrum vel audaciſſimū valde meticuloſum reddere, quod & obſervatum Salomoni Prov: XXVIII, 1. juſtam talionem miniſterio vel beſtiarum vel etiam hominum: Et ſanè multi erant Adami alii liberi, multi quoque filii & nepotes ipſiusmet Abelis jam centenario majoris cùm obiit, quos tanquam fraterni & paterni ſanguinis vindices Cain metuere debebat. Si enim ſub Lege Moſaica impune licebat vindici ſanguinis ſive proximo conſanguineo hominis occiſi fortuitò ab alio, occidere homicidam involuntarium, caſu quo ei occurriſſet extra Urbem refugii, quanto magis licitum fuerit Abelis vel fratribus vel filiis

liis in Caino ſibi occurrente, ſcelus ejus vindicare? Maximè cùm jam quaſi anathemate à Deo percùlſus, cogeretur exeſſe à loco conventuum ſacrorum, & natale ſolum, quo nihil dulcius, in exilium vertere.

21. Igitur nec Judices terrenos timuit Cainus, nec tribunal hominum, cùm de his ſatis videretur ſecurus quod à mortalium nemine ſceleris iſtius convinci potuiſſet; ſed jam Dei judicio condemnatus ad exilium & obnoxius maledictioni Divinæ, metuebat ſeverioris, ſuo judicio, ſententiæ conſequentiam, adeoque pœnam ſuam juſto graviorem eſſe quiritabatur. Tota ſeries narrationis Moſaicæ id indicat Gen. IV, 9. & ſeqq. Nam poſt crimen patratum Deus ſe Quæſitorem conſtituit & Judicem: Primò enim reum ipſum ad ſe citat & interrogat his verbis, *Vbi eſt Abel frater tuus?* Et cùm hic proterviùs reſponſaret ex communi rubrica, Si

feciſti nega, convincitur ſui ſceleris teſtimonio omni exceptione majori, & cui ſuffragante conſcientiâ nihil opponere potuit: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ita ſcilicet non patitur Deus crimina ſæviora ignota vel impunita manere; vel ipſæ hirundines Beſſum reum peragunt parricidii, ut monet Plutarchus *de ſera num. vindicta.* Convictionem ſequitur Iudiciaria Sententia ipſius met Dei ore prolata, *Nunc itaque maledictus eſto* (ut reddunt Tremellius & Junius,) *exſul ab illa terra, qua aperuit os ſuum ad excipiendum ſanguinem fratris tui é manu tua; Quùm humum ipſam colueris, ne pergito edere viam ſuam tibi; vagus & infeſtus agitationibus eſto in terra.* Quibus verbis Deus mortem naturalem, quam aliàs meritus fuiſſet ex lege poſt lata: Gen: ix, 6. commutavit in civilem, tum ut conſuleretur generis humani propagationi, tum ut in ipſo diutiùs duraturum vindictę Divinæ mo-

ne monumentum excitaretur ad alios deterrendos: nam quamdiu vixit, videbatur illud Phlegyæ ingeminare, *Diſcite juſtitiam moniti & non temnere divos*; nec non iſtud Regis cujuſdam Ægygtii, quod nonnulli referunt ad Sennacheribum, εἰς ἐμὲ θεορῶν εὐσεβὴς ἔςω. Cùm autem homo nequam pœnæ hujus ſibi Divinitùs impoſitæ gravitatem expenderet, erupit in hæc verba, *Major eſt pœna mea quam ut ſuſtinere poſſim*; Ita melius vox עון *Gnavon* in textu originali, intelligitur de pœna quam de culpa, cujus confeſſionem & deprecationem perperam putarunt Magiſtri Judæorum ſe hîc videre, *in Bereſith Kethanna*, apud Galatinum *lib 10. de Arcan. verit. Cath. cap. 3.* ac ſi Cain dixiſſet, *Domine totius ſæculi, magnum eſt peccatum meum, adeo ut ferri aut tolerari non poſſit, magnum inquam eſt peccatum meum magis quam ſexcentorum millium qui peccaturi ſunt coram te*: Tum illi ſuæ expoſtulationi, adjicit

adjicit quid metuat; *En expellis me hodie à ſuperficie iſtius terræ*, cujus adeo Judices timere amplius non poterat ejectus authoritate Divina ex illo diſtrictu, *ut à facie tua abſcondam me*, ideſt deſeram locum conventibus ſacris deſtinatum in quo ſoles familiariùs nobiſcum agere; *cumque vagus & infeſtus ſim agitationibus in terra*, extorris & homo ſacer, cujuſmodi Latinis dicitur qui *triſte bidental moverit*, *ſi ullus fuerit qui me inveniat interficiet me*; ut olim proſcripti aut perduelles declarati impune à quolibet occidi poterant; quod & de bannitis hodiè vulgo ſtatuitur, ſi deprehendantur ſuum bannum non ſeruare.

22. Non itaque propriè *aufugit* Cain, ut vult Præadamita, *in aliam regionem*, *ad Orientalem plagam Edenis*, ſed eam ſibi delegit in exilii ſui ſedem. Ridiculè verò hæc terra ex qua fuit ejectus dicitur huic homini fuiſſe *terra ſancta*, ex qua abierit in terram pere-

peregrinam & gentilitiam: Nam in Palęſtina Adamum habitaſſe gratis fingitur: Sunt qui putent cædem Abelis patratam in agro Damaſceno, quos inter Hieronymus *in 28. Ezech.* Damaſcum, Hebraicè דמשק *Dammeſſech*, interpretatur *ſanguinem bibens. Et tradunt*, inquit, *Hebræi campum in quo interfectus fuit Abel fuiſſe in Damaſco & inde locum hunc appellatum.* Utut ſit, & ſecundum Præadamitam jam Cain cum Adamo & Abele habitabat in terra *peregrina & Gentilitia*, ideſt inter Præadamitas; & terram ſui exilii non ut *gentilitiam* aut gentilibus plenam averſabatur, ſed ut remotam à ſolo ſuo natali, quod ægrè relinquebat; prout ſolent homines tum demum ſua æſtimare bona ubi iis carendum eſt. Nec ſibi timebat ab accolis illius regionis, cùm dicebat, *Omnis qui invenerit me, occidet me*, ſed juxta Joſephum *lib. 1. Ant. cap. 3. ne oberrans in feras incideret atque ita periret*, vel potiùs à ſuis pro-

pinquis,

pinquis, quos ceu vindices ſanguinis innocentis, in ſe irruituros ex zelo juſtitiæ, ſi uſpiam in illos incideret, metuebat: Nec enim tam remotus fuit illius ſeceſſus, quin eò quidam ex nepotibus, fratribus aut filiis Abelis, illum inſequi & ad necem perquirere potuiſſent. Contra hos ergo quos non incaſſum metuebat, munitus fuit Cain etiam ſpeciali ſigno, ne à quoquam interficeretur, non verò contra alterius generis homines, qui jam terras exilii ſui priùs habitaſſent. Nec urgemur, ut ſuſpicatur Vir Doctus, authoritate Joſephi dicentis *lib. 1. Antiq. cap. 3.* tantum abfuiſſe ut Cain *hac caſtigatione vitam in melius mutarit, ut pejor etiam ſit factus, ſuis voluptatibus vel cum aliorum injuria indulgens, & facultates domeſticas per vim & rapinas accumulans, accitis undecunque latrociniorum & nequitiæ ſociis, magiſter illis ad facinoroſam vitam eſt effectus.* Nam hæc ut multa alia ſimilia luxurianti calamo Joſephi poſſent

poſſent adſcribi, quem imitatus fuerat author Manuſcripti illius, de quo Authori à Buillaldo ex Bibliotheca Regia aliquid referri potuit. Deinde dicit quoque Joſephus *ibid.* Cainum excogitaſſe *menſuras & pondera*, & primum *agrorum terminos* fixiſſe; quod nec Moſes dicit, & evertit Præadamitæ cauſam; cùm ſi Præadamitæ tot ſæculis ante Cainum extitiſſent, jam proculdubio aſſueti fuiſſent & terminis agros ſignare, & cum ponderibus atque menſuris ſymbiotica ſua negotia expedire. Adhæc haud difficile eſt cogitare ſocios & comites aſſumpſiſſe Cainum, in novo genere vitæ, non Præadamitas, qui non erant, ſed partim filios & nepotes ſuos, quos jam plures habebat, mali corvi mala ova, partim plures ex ſuis illis fratribus & eorum filiis, quos genitos ab Adamo poſt Abelem, & ob morum corruptionem inſigniorem, *dæmonas* dictos à Judæis, jam ante monuimus.

Hos

Hos itaque ſucceſſu temporis armavit Cain, cum ex timente & tremente, cœpit fieri aliis timendus & tremendus (nam quærit Vir Doctus, *contra quos accivit manum illam facinoroſorum hominum Cainus?*) tum in Abelis poſteros, tum in eos ſuos alios fratres & conſanguineos quos intelligebat ſuum facinus improbare, tum maximè & potiſſimum in Sethum poſtquam natus fuit & ejus filios, qui cum ſpeciatim ſe filios Dei dicerent, ſeorſim etiam habitarent à poſteris Caini & illius aſſeclis, nihilque cum illis vellent habere commune, facilè illius infeſtationes & excurſiones ſibi attraxerunt. Huc facit maximè quod ex Patricide, Scriptore ἀνεκδότῳ, refert Seldenus *Proleg. de diis Syris, cap. 3.* nempe Sethi familias & poſteros montis occupaſſe cacumen, & ſubjectam vallem Cainum cum ſuis inſediſſe, atque illos huic ejuſque nepotibus ob cæſum Abelem adeo inſenſos fuiſſe

fuiſſe ut ſolemni ſe juramento obſtrinxerint *per ſanguinem Abelis*, nihil ſe commercii cum Cainitis habituros. Quin Keſſæus ſcriptor Mahumetanus, apud Rev. & Clar. Hottingerum *Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 3.* Setho tribuit primum gladii uſum cœlitùs conceſſum contra Cainum ejuſque poſteros, quibuſcum *ἄσπονδον* geſſit bellum.

23. Habet igitur Vir Doctus, & quos citra Præadamitarum commentum, ſibi Cain tandem adſciverit in violentię, latrociniorum, ac tyrannidis ſocios, & in quos hæc arma expediverit tum Dominii ſui extendendi gratiâ, & animo cœteros qui erant in orbe homines ſibi ſubjiciendi, (cùm aliàs ſi in ſedes vacuas venire voluiſſet, reliquus orbis ei pateret;) tùm etiam ſtudio vindicandi illam à ſe ſuiſque abalienationem quam Sethiani prę ſe ferebant, poſtquam majorem in numerum excreviſſent; ſi modò

modò bella & arma quæ Caino tribuit Joſephus vera fuerunt. At, inquit *ibid.* Præadamita, *hoc loco Geneſeôs quæ propria hiſtoria eſt Iudæorum, nulli alii memorantur vel formati vel nati homines Iudæi, præter Adamum, Evam & Cainum, illoſque Iudæos, de quo non ambigitur: Neque dum enim fœminam ullam genuiſſe Adamum legimus, ex qua & fratre ſuo Caino prognatos conjiceremus homines illos quos quærimus.* Verum enimuerò in hoc ſermone multa ſunt quæ egent pumice, imò ob quæ totus in ſpongiam incumbere deberet. Nam primùm cùm hic homo alibi, *ſc. Syſt. lib. 4. cap. 2.* nolit ſibi objici argumentum negativum à Moſe deſumptum contra ſuos Præadamitas, infirmitatem prodit hujuſce ſuæ argutiæ, & ſimul oſtendit ſomnia merè cerebrina eſſe, non conjecturas doctas & probabiles, quæ ex Geneſi conatur exſculpere pro ſua ſententia. Verba illius quo dixi loco hæc ſunt; *Vulgo argumentantur; nulli*

homines

homines nominatim leguntur ante Adamum in Geneſi; Ergo nulli fuerunt ante Adamum: Atqui negatur ſequi illud, nullos fuiſſe ante Adamum homines, quia nulli ante Adamum nominatim leguntur in Geneſi; conſtat enim neque omnia ſcripſiſſe Geneſim, neque omnia negari debuiſſe quæ ſuppreſſit Geneſis. His autem verbis non tantum fatetur nihil ex Moſe haberi de Præadamitis, adeoque frivola eſſe argumenta quæ hactenus ex Moſe protulit pro hac ſententia, ſed etiam pro nobis reſpondet huic ſuo argumento; Nulli alii nominantur Adami & Evæ liberi præter Cainum & Abelem ante Sethum natum; Ergo nulli fuerunt. Præterea licet non nominentur alii à Moſe, ſatis tamen ſubindicantur & colligendi relinquuntur iis rationibus quas ſuprà retulimus.

24. Adhæc etſi mens Moſis fuerit ſpeciatim ſuæ gentis hiſtoriam pertexere, rem tamen voluit ab ovo, quod ajunt, repetere, & ſuorum Genealogiam

giam ab ipſis mundi incunabulis arceſſere; unde meritò colligit Joſephus *lib. 1. contra App.* de genere ſuo Judaico, ὅτι καὶ παλαιότατον τε καὶ τὴν πρώτην ὑπόςασιν ἔχεν ἰδίαν; quod utique falſum foret, ſi Gentiles ex Præadamitis orti, multo antiquiores fuiſſent. Id verò eſt inſulſiſſimum quod Adamum, Evam Cainum & eorum filios Judæos facit; Nam nec Pater primus Judæorum Judæus fuit, & eâ ratione nulli nunc alii forent homines quam Judæi: ſiquidem ex tribus Noæ filiis, ab Adamo ortum ſuum trahentibus, omnes gentes toto terrarum orbe derivari teſtis eſt omni exceptione major Moſes Gen: x, 42. Quod & in ſuo *Phaleg* aureo, Rev. Bochartus abundè demonſtravit. Tu, mi homo, qui in *Allocutione ad Iudæos* optas unus ex illis eſſe, voti tui damnas es ex tua hypotheſi, debeſque citra moram arreptâ novaculâ teipſum circumcidere: Si enim omnes Adamitæ

 Judęi,

Judæi, tu pro certo Judæus es, (utinam & non Sadducæus) eo ipſo quod homo es Adamita, aliàs ad ſocios non Caini ſed Nebucadnetzaris in ſuo exilio relegandus. Sed amabo te quo argumento vel ex Scripturis, vel ex uſu loquendi, vel ex ratione, vel ex ipſorum-met Populorum confeſſione, pertendes Judæos dici debere Moabitas, Hammonitas, Iſmaelitas, Jebuſæos, Amorrhæos, Cananæos, Sidonios, Aſſyrios, Babylonios, Romanos, Græcos, Germanos &c? Hos tamen omnes ex filiis Noæ & Adamo deſcendiſſe in comperto eſt; licet nullus Judæorum pro fratribus ſuis eos unquam ſit agniturus, niſi ratione generalis illius cognationis, quæ ob communem ſtirpem intercedit inter omnes homines. Nec ſi Idumæus frater Iſraelis dicitur Deut. xxIII, 7. Num:xx, 14. (quo argumento vult pugnare Præadamita *lib.2.Syſt.cap.11.*) quod Edom, ſive Eſau & Jacob gemini

mini fratres fuiſſent, ideo vel Agareni, ex ancilla Abrahami nati, vel cœteri quos jam nominavi, Judæis ſunt accenſendi, magis quam ſi Gallos Germanis annumeres, quia utrique ex Japheto prodierunt: Multo ineptiùs ſtatuas Caini nepotes Judæos eſſe dicendos, cùm tota gens Cainitica, aliique Adamitæ, ſolis Noâ & tribus ſuis filiis exceptis, Diluvio perierint.

25. Pergit tamen Vir Doctus *eod. cap. 4. lib. 3. Syſt.* & falſò ſupponens, uti ante viſum, necdum ullam fœminam Adamum genuiſſe fratricidii tempore, pertendit ergo Cainum *duxiſſe uxorem ex filiabus gentium, oriundam ex prima creatione hominum quæ enarratur cap. 1. Geneſeos.* Uxorem ſanè duxiſſe eum oriundam ex prima creatione hominum quæ deſcribitur Gen: 1. lubens concedo; ſed vel hinc liquet, quod aliàs probatum dedi, primam illam creationem fuiſſe Adami & Evæ; ſiquidem Cain ſororem ſuam

germanam, univerſâ Antiquitate hac in parte evidenti rationi adſtipulante, habuit in conjugio: Nec aliunde natum quam ex primorum hominum conjugiis cum ſuis ſororibus; quod obſervavit Pœta,

— Dii nempe ſuas habuere ſorores,
Sic Saturnus Opim junctam ſibi ſanguine junxit,
Oceanus Thetim, Iunonem victor Olympi.

Ita Iſis fratri ſuo Oſiridi apud Ægyptios nupſiſſe perhibebatur; Et quam ſæpè Juno, Jovis & *ſoror & conjux* dicatur ab Ethnicis, commemorare foret hîc ſuperfluum, niſi, quod aliàs monui, vetuſtiſſimus Ethnicorum Jupiter ab ipſis ad ideam Caini efformatus fuiſſet; De quo conſuli poteſt Author libelli *Obſervationum* additarum Mythologiæ Natalis Comitis, in voce *Iupiter.* Sanè ideo quod Cainus primus Deo ſacrificaſſe commemoratur, & fratrem ſuum Abelem propte-

rea

rea occidiſſe, finxerunt fabulones Jovem Cœlo primum Sacrificium feciſſe, & ideo iratum Prometheo ſuo germano, quod ejus partes in illo ſacro potiores fuiſſent, & quod ignem cœlitùs deduxiſſet, (quo proculdubio ſymbolo Deus teſtatum fecit Sacrificium Abelis, ſibi acceptius fuiſſe) eum Caucaſo clavis affixiſſe, & feris dilaniandum expoſuiſſe. Minùs autem mirum Ethnicos ſuum antiquiſſimum Jovem ex Caino fabricatos fuiſſe, licet infame nomen in Eccleſia Dei ſemper obtinuerit, cùm etiam olim extiterint hæretici *Cajani* dicti, de quibus Epiphanius *hær. 38.* & Auguſtinus *ad Quod vult Deum cap. 18.* qui Cainum in ſummo habuerunt pretio, & Abelem ceu virtutis imbecillioris, jure ab ipſo trucidatum aſſeruerunt. Non eſt autem quod quis ſuſpicetur ſororum conjugia ideo fuiſſe inceſta & illicita in natura conſtituenda, quod nunc talia ſint ex Lege Dei in natura con-

ſtituta, de quo poteſt conſuli Grotius *lib. 2. de jure belli & pacis, cap. 5. §. 13.* Quin Præadamita pertendit, quod magis eſt, debuiſſe Adami & Evę filios, ſuas ſorores germanas ducere, licet ita tum, ex ſua falſa hypotheſi, multiplicato genere humano; ſiquidem vitio vertit Caino quod gentilem uxorem duxerit, & ita *degeneraverit à ſancta ſua origine & profanis ſe gentibus immiſcuerit.*

26. At inquit iterum Vir Doctus, Cain *ædificavit civitatem* quam ex nomine filii ſunt *Enoch* vocavit; *nimirum ut diſtingueret illam ab aliis civitatibus Orientalis plagæ Edeni, quæ ſua utique habebant nomina.* Ridiculè: Quaſi Eva Cainum ita appellaverit quo eum diſtingueret ab aliis ſuis filiis quos jam habebat. De aliis urbibus præter hanc poſtea ædificandis forte cogitabat Cain, & forte ſua mapalia ſuis nominibus jam ante diſtinxerant alii Adami filii; atque hinc occaſio ipſi data,

ſui fi-

ſui filii nomine primam Urbium à ſe ædificandarum inſigniendi. Quod ſi jam in illo tractu aliæ erant Civitates, à quibus hæc ſua iſto nomine veniret diſtinguenda, quî pati potuerunt indigenæ ut homo exul, profugus, inuſtus etiam publico quodam ſtigmate, in ſuo territorio Urbem novam ædificaret in arcem tyrannidis porrò occupandæ & exercendæ? *Sed quibus*, inquit, *architectis & fabris urbem illam poſuit Cainus? Quibus civibus illam compoſuit, ſi non accerſiti operarii, ſi non aliunde quam ex familia Patris ſui Adami deducta Colonia, quæ urbem ſuam habitaret?* Reſpondeo non ſolum hanc urbem diu poſt Abelem cæſum, cœptam excitari, ſed etiam ita jam multiplicatam fuiſſe Adami & Caini ipſius progeniem, ut multo plures inde & architectos & incolas potuerit conſequi, quam Romulus & Remus, cùm primum Paſtoritiâ manu freti Romam condere inſtituerunt. Si enim

Chanocus fuit natus Caino jam exſulanti, & quod magis eſt hanc urbem molienti, non fuit ejus primogenitus: & certum eſt Moſem non recenſere Gen: IV, 17. ſeqq. liberos omnes Caini, cùm unius hujus faciat mentionem; Si verò fuit illius primogenitus, utique jamdiu ante Abelis cædem natum eum oportuit, ſiquidem conſtans fama eſt apud Judæos & Mahumetanos Cainum tandem à Lemecho ſuo nepote ex quinta generatione, & jam valde ſene, occiſum fuiſſe; Dicunt enim Lemechum, licet jam caligantibus oculis, addictum valde venationi, eo fine in ſylvam vicinam fuiſſe profectum, cum ſuo vel armigero vel puero, quem volunt fuiſſe Tubalkain ſuum-met filium adhuc juvenem: In eandem ſylvam forte fortunâ conceſſiſſe Cainum, ſive ambulandi captandi-ve frigoris causâ, ſive quod ſubinde furiis malæ ſuæ conſcientiæ exagitatus, avia cum Bellerophonte quæreret,

reret, *Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans*; Factum ergo ut comes vel armiger Lemechi, obſervato ſtrepitu & motu foliorum quem Cain excitabat, indicarit Lemecho ibi latere feram; quo jaculatus Lemech, non feram, ſed malam beſtiam, tritavum ſuum Cainum, occidit; re verò deprehenſâ, irâ excandeſcens in ſuum comitem ob indicium malè factum, ita eum vel arcu vel fuſte contudit, ut & hic paullò poſt obierit. Et ſanè poſt Judęos Hieronymus, Rabanus, Lyranus, Toſtatus, alii multi Chriſtiani eò volunt ſpectare thraſonicam vocem Lemechi ad ſuas conjuges, quæ extat Gen: IV,23. Videſis de hoc Judæorum & Mahumetanorum ſententiam, apud Eruditiſſimum & Diligentiſſimum Hottingerum *lib.1. Hiſtor. Orient. cap. 3.* Quamvis autem hanc narrationem nolim pro authentica obtrudere, ſaltem dubitari nequit quin Cain ſecum traheret numeroſam

poſteritatem, quæ ad diſtinctionem Sethianorum, quos Scriptura docet filios Dei vocatos fuiſſe, filiorum hominum nomine exprimitur.

27. Id igitur non fuit peccatum Caini, ut ſuſpicatur Præadamita, quod uxorem duxerit alterius ſtirpis quam Adamicæ, cùm ex ſorore ſua germana ſibi legitimè deſponſata, numeroſam cœpiſſet erigere familiam diu ante Abelem cęſum; nam vel Chanoch, uti dixi, non fuit illius primogenitus, ſi natus fuerit demum ſub tempore ædificatę novæ urbis, cujus auſpicia cæde Abelis ſæculo integro recentiora fuêre; vel jamdiu natus erat cùm hanc urbem pater cœpit ædificare, quam & illius nomine appellavit; licet demum occaſione hujus ſtructuræ ad ejus natalia & poſteros verbo tranſeat Moſes; notum enim illud Judæorum, *Non eſſe in Scriptura prius & poſterius*, ideſt non ſemper ex narrationis ordine ordinem rerum geſta-

geſtarum eſſe æſtimandum. Sed hoc fuit peccatum poſterorum Sethi, quod filias Cainitarum ſibi copulaverint, cùm tamen διακριτικῶς ab impiis Cainitis filii Dei dicerentur, quoniam publica ſacra ab Adamo primùm inſtituta, & à Caino deſtituta, penes eos ſolos ſtabant, cùm Cain profanus Providentiam Dei ac pœnas malorum & præmia bonorum apud Deum repoſita eſſe negaret, ut obſervat Thargum Gen: 4. adeo ut captatâ, uti refert, ea de re colloquii cum Abele occaſione, eum pro veritate cordatiùs loquentem quam optaſſet, nequiter occiderit. Certè locus Gen: VI, 2. 4. ubi agitur de congreſſu filiorum Dei cum filiabus hominũ ex quo Gigantes ſunt procreati & geniti, licet à multis Veteribus & Rabbinis nonnullis citatis Raymundo Martino *Pug. fidei p. 3. diſt. 3. cap. 22. §. 26.* ſumatur de Angelis incubis, mulieres depereuntibus, (quam ſententiam, utut abſurdiſſi-

mam Paulus Brugenſis propugnat contra Lyranum) & à Judęis plerumque de filiis Procerum & Magnatum cum plebeiis ſe jungentibus, ut factum à Męmonide *More Nevoch. p. 1. cap. 14.* & R. Salomone Jarki apud Lyranum, & ante eos ab Aquila & Symmacho apud Hieronymum (unde id ſequeretur abſurdi, cauſam potiorem Diluvii, non ex generali corruptione omnis carnis, ſed ex Potentiorum duntaxat crimine arceſſi,) non alium quam quem propono ſenſum admittere poteſt. Nam cùm Gen: v, 26. dicatur tempore Enoſi nati cœptum eſſe vocari nomine Jehovę in Sethi familia, id ſignificat aliquid tunc novi acceſſiſſe circa Dei cultum quod prius non obtinuerat; Id verò nihil aliud poteſt eſſe quam quod tunc cœperunt pii populus & filii Jehovæ appellari, & tales ſe publico & ſolemni cultu ſegreges à Cainitis profieri. Nam quod Theodoretus & Suidas ex Symmacho

putant

putant ipſum Sethum ob excellentiam ſuam Deum fuiſſe vocatum, ut inde ejus filii *Filii Dei* dicti ſint, tam eſt alienum à modeſtia Sethi & Enoſi pietate, ex qua nec pater id nomen fuiſſet admiſſurus, nec filius impoſiturus patri, quam parum firmo ſtat talo Salomonis Jarki & aliorum ex Judæis opinio tunc cœptum profanari nomen Jehovæ in cultu Idolorum. Nam quamvis forte non poſſit tanquam irrefragabilis defendi ſententia Thomæ *2. 2. q. 94. art. 4. ad 2.* Idololatriam non extitiſſe ante Diluvium, cui ſe opponunt Torniellus, Genebrardus, Cornelius à Lapide & alii, ſaltem non poteſt commodè ex verbis Moſis, omninò in bonam partem ſumendis Gen. iv, 26. extundi Idololatriæ initium.

28. Sed ut tandem concludam argumenta quæ hic Scriptor promere conatur ex Geneſi pro ſua ſententia, ex iis quę huc uſque diſputata ſunt, liquet

liquet falſum eſſe quod ait *orbum tunc temporis* quo vel Abel occiſus, vel nova urbs extructa à Caino, Adamum fuiſſe: Nam cùm Abel non fuerit occiſus à Caino, vel hic in exilium pulſus à Deo, ante annum Adami 129. longè veroſimilius eſt multo plures tunc extitiſſe Adami liberos quam Cainum fratricidam; ſiquidem non ſit probabile Adamum & Evam toto ſpatio 130. annorum nonniſi tres filios genuiſſe, & multis rationibus contrarium jam ſuprà evicimus. Et quod Eva dixit in Sethi nativitate, *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abelo quem occidit Cainus*, non ſignificat abſolutè nullos tunc alios fuiſſe Evæ filios, ſed tantum nullos extitiſſe pietate & virtute ſimiles Abeli recens tum cæſo, quem in Setho pia mater quadantenus revicturum ſperabat & optabat. Tum falſum eſt quod anno 130. Adami Cainus *jam tum urbem ædificaverat*: Nam cædem Abelis ſequuta eſt brevi nati-

vitas

vitas Sethi anno Adami 130. protoplaſtis nati in ſolamen Abelis recens mortui; Sed Chanochiæ urbis ędificatio, non videtur incœpta fuiſſe niſi diu poſtquam Cain in ſuo vixiſſet exilio. Sanè ille ipſe Joſephus, ad quem Præadamita ſuperiùs provocabat, diſertè teſtatur *lib. 1. Ant. cap. 3.* Cainum à Deo ejectum *multas regiones cùm ſua uxore emenſum* (nec enim putavit Joſephus eum adhuc cœlibem extitiſſe cùm expulſus eſt à Deo,) *tandem Najada condidiſſe*, ubi & *liberos procreavit.* Quod *addit Geneſis*, *Et facti ſunt dies Adami poſtquam genuit Sethum octingenti anni, genuitque filios & filias*, non ſignificat, ut præſumit Vir Doctus, Adamum ante illud tempus filios & filias non genuiſſe; contrarium evidenter liquet ex textu ſacro; ſed tantum eum in Sethi generatione à procreandis liberis non deſtitiſſe. Unde enim conjicias illum minus fœcundum fuiſse per totos 130. priores ſuæ

vitæ

vitæ, quam per 800. reſiduos? Fateor equidem, Adamum nec filios nec filias genuiſſe *toto tempore illo quod interelapſum erat ab Abelo ad Sethum*, ut loquitur Vir Doctus, ſi de Abele occiſo ſermo fuerit. Nam intra annum vertentem ab illa cæde natus fuit Sethus, & quaſi loco Abelis, quoad ſpem & amorem parentum, repoſitus; At ſi dicere velis ab Abele nato ad Sethum uſque per longius ſpatium quam 120. annorum, primos noſtros parentes liberis operam non dediſſe, facile poteris refutari ex iis quæ ſuprà diſputavimus.

29. Nunc videamus quid homo iſte depulſus ex Geneſi, aliunde quat proferre pro ſua ſententia. *Syſtem. lib. 3. cap. 5.* ampullatis verbis referre vult quid Philoſophi & Hiſtorici *melioris notæ* ſenſerint de Mundo, quem *ab æterno vel à ſæculis poſuêre innumerabilibus*; ſic ut ipſe priori in ſpeciem non admiſſo, videatur ſaltem in poſterius pro-

propendere. Sed etſi Ethnicorum nonnulli lampade Verbi Divini deſtituti in hos errores incidiſſent, tamen certum eſt & plures & Sapientiores eorum mundi aliquod exiſtendi initium ſtatuiſſe, quod multis Veterum documentis jam olim comprobavit Illuſtris Pleſſæus, *de Verit. Relig. Chriſt. cap. 9.* Videantur inſuper Georgius Pacardus *Theol. nat. lib. 2. cap. 2. & 3.* & Conimbricenſes *in 8. Phyſ. cap. 2. q. 3. art. 1.* qni ſic loquuntur; *Omnes penè Philoſophi qui ante Ariſtotelis tempora fuêre, in eam ſententiam conſpirarunt, ut crederent mundum, ſub ea ſaltem facie, rerum contextu & abſolutione quam nunc habet, non ex æternitate, ſed initio temporis conſtitiſſe: Ita nimirum ſenſit Triſmegiſtus, è cujus fontibus univerſa Græcia bibiſſe dicitur; Ita Muſæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Heſiodus & Homerus, qui res divinas poëticè ſcripſerunt; Ita Anaxagoras, Zoroaſtres, Meliſſus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus, & Zaleta-*

Chaldæus: Poſſent addi Plato, Zeno, Epicurus, alii. Actum itaque ab aliis egero, ſi demonſtravero, omnes Philoſophos Veteres, uno forte Ariſtotele excepto, de quo etiam dubitatur à nonnullis, mundi initium aliquod exiſtendi, pleroſque & illius novitatem conceptis verbis, aſſeruiſſe. Id ſufficiat de noſtro Præadamita monuiſſe, primùm abuti illum authore *Poemandri*, quiſquis ille ſit, (Mercurius Triſmegiſtus vulgò dicitur) ut probet æternitatem mundi: Nam Author ille Moſe ſanè recentior, ac ut placet multis Criticis doctioribus, Platonico-Chriſtianus, in prima rerum origine deſcribenda nihil aliud quam Moſem interpolare & ſtyloPlatonico exſcribere viſus eſt; quod etiam Pleſſæus *l. c.* particulatim demonſtravit. Secundò perperam eum inclamare Sanchonationem *qui ante Trojanam cladem*, inquit, vixerat. Nam eum recentiorem fuiſſe clade Trojanâ oſten-

oſtenſum à Scaligero contra Porphyrium in *fragmentis* additis aureo operi *de Emendat. temp.pag.40.* cùm ipſe Sanchoniato, apud Philonem Byblium, conditum Tyri, ceu rem antiquiſſimam referat, qui tamen non integro ſæculo præceſſit Troję excidium; & tantum abeſt ut *Principia mundi infinita fuiſſe* abſolutè dixerit, (commodiùs loquutus fuiſſet Præadamita ſi dixiſſet potiùs *principia mundi ab infinito tempore extitiſſe*) ut è contrario, Grotius *lib. 1. de Rel. Chriſt. §. 16.* ex Philone Byblio Sanchoniatonis interprete, demonſtret conſpirare cum iis quæ Moſes de mundi origine ſcripta reliquit, antiquiſſimas Phœnicum hiſtorias, *quas à Sanchuniatone collectas vertit Philo Byblius*, apud quem hominum πρωλόγονος Adam eſt. Vide etiam quę de Sanchoniatone & illius in multis conſenſu cum hiſtoria Moſaica, retulit Rev. Bochartus *Phœn. lib. 2. cap. 17.*

30. Sunt quoq; hic ἀπροσδιόνυσα,

quæ

quę de anno magno, *qui ad motum octavæ ſphæræ componitur*, ediſſerit: nam ſanè illius anni magni incerta admodum eſt menſura apud Eruditos. Macrobius *lib. 2. in Som. Scipionis, cap. 11.* eum annum *vertentem mundanum* appellat, *quem* videlicet *Stellarum omnium in quocunque cœlo ſunt ad eundem locum reditus ſub eadem cœli totius deſcriptione concludit*, ſtatuitque peragi ſpatio quindecim millium annorum; At octavæ ſphæræ motus, qui juxta Præadamitam, *maximam omnium periodorum* determinat, ſecundum vulgarem Aſtronomorum ſententiam eſt tantum ſeptem millium annorum (quamvis & id Clavius *ad cap. 1. Sph. Sacrob. valde incertum* ſtatuat;) unde colligunt nonnulli ſeptimo mundi millenario, magnum Sabbathum extiturum. Joſephus verò *Antiquit. lib. 1. cap. 4.* annum magnum ſexcentorum annorum ſpatio abſoluit, & monet ideo tam longævos fuiſſe primos homines ut illam

illam revolutionem poſſent obſervare. Sed & quamvis magnus Veterum annus eſſet idem cum Platonico, ſcilicet quadraginta novem millium annorum, quæ tribuunt revolutioni nonæ ſphæræ, id nihil faceret pro æternitate mundi: Nam potuerunt Aſtronomi in ſuis ſupputationibus colligere tantum temporis requiri ad illos motus peragendos, ſed eos motus jamdiu proceſſiſſe ante Adami tempora & per infinita retro ſæcula, nemo ſanus inde ſtatuerit. Ipſe Cicero, ad quem Præ-adamita provocat, *in ſomno Scip.* quod vix dicere audeat *quam multa hominum ſæcula teneantur* illo anno, profitetur *ibid.* quod ſuo tempore illius anni *nondum vigeſima pars* eſſet converſa. Et quod apud Pomponium Melam *lib.1. cap 5.* Ægyptii, de quibus poſtea amplius erit dicendum, gloriabantur mandatum apud ſe literis *dum Ægyptii ſunt quater curſus ſuos vertiſſe ſydera*, ejuſdem eſt furfuris cum

eo quod addit Mela, nec referre unà auſus eſt Præ-adamita, *ſolem bis jam occidiſſe ubi nunc oritur.* Quanquam nihil hiſtoriç ſacræ contrarium jactaſſent Ægyptii de quaterna Syderum converſione, ſi annus eorum vertens fuerit tantum ſexcentorum annorum, ut ſtatuit Joſephus, aut ſi eum metiti fuerint ex maximis conjunctionibus Planetarum ſupremorum, quæ ſingulis octingentis annis circiter peraguntur. Huic menſuræ non abſimile foret quod Vir Doctus habet de Mexicanis & Peruanis (cujus fides eſto penes ipſum, nam contrarium videtur poſſe colligi ex Joſepho à Coſta, *loco infra aptiùs citando*) eos in *digerendo Ætatis Mundi computo*, ſtruem annorum 860. *Solem* appellaſſe. Et quamvis *Sol ultimus*] *apud eoſdem numerari debuerit ab anno Chriſti milleſimo quadrageſimo tertio*, ut refert ex Garcillaſſoà Vega, inde tamen non ſequeretur infinitos tales Soles àntea Mexicanis occidiſſe.

31. Nul-

31. Multo alienius eſt ab hac cauſa Poeticum ſchema Claudiani *de laudib. Stilic. lib. 2.* quo antrum temporis & ſæculorum deſcribit : Nam cùm omne ævum, cujus ſedes & arcana ibi collocat, in quatuor ętates aliorum Poetarum diſtribuat, ut auream per Stiliconem revocandam adulatoriè auguretur, eo ipſo ſupra Adamum & narrationem Moſaicam non protenditur ipſius

— annorum ſquallida mater
Immenſi ſpelunca ævi quæ tempora vaſto,
Suppeditat revocatque ſinu;

Siquidem aurea ætas, omnium prima & nobiliſſima, non aliunde quam ab Innocentiæ ſtatu, quo Protoplaſti fruebantur ante ſuum peccatum, arceſſi debet. Igitur miſſis iſtis παρέργοις, minus convenientibus *Syſtemati Theologico* quod Vir iſte ex ſua hypotheſi molitus eſt, videamus an probaturus ſit *ævum à principio fluens & in*

ſinem

finem uſque ſæculorum deducendum, nullâ certâ & cognitâ periodo contineri, & *à principio pendere non intellecto,* pro ut *quamvis ad finem ſuum irrequietâ volutione properet, nunquam tamen illum* eſt aſſequuturum: ut *ævo propterea illi non ſerpens Claudiani conveniat caudam ſuam vorans, ſed verè magis urſa illa Lucani, quæ dentes in caudam retorquens ut infixum tergo ferrum morſu extrahat, ſecum fugientem circuit neque apprehendit cuſpidem.* Quibus ſanè verbis, ſatis apertè profitetur nullum ſe initium magis quam finē temporis ac mundi agnoſcere, & ita ſedere in ſcamno illorum irriſorum quos carpit Apoſtolus 2 Pet: 111, 3. 4. Scio quidem *ævum illud quo ſæcula præterita & futura omnia in unam congeriem revocantur*, eſſe quadantenus homini imperceptibile; Scio quoque mundum eſſe nobis quodammodo ut extenſione indefinitæ magnitudinis, ita exiſtentiâ, niſi colluſtremur ſuperiori luce, indefinitæ dura-

tionis;

tionis; Quo ſenſu potuerit obtinere quod ſuprà tetigimus ex Sanchoniathone de principiis mundi *ab infinito*, ideſt indefinito neque ſibi percepto tempore exiſtentibus. Interea tamen ut hîc conſideramus ævum, ſive tempus fluens, ratione tantum primi illius momenti quo cœpit fluere, & ut loquimur in Scholis non à parte poſt, ſed tantum à parte ante, ita etiam non magis debet abire in infinitam indefinita nobis duratio mundi, quã in extenſionem infinitam indefinita illius magnitudo. Sed præterea quamvis ſolo lumine naturali, non poſſimus certò aſſequi primam mundi originem, quod fidei tribuitur Heb:x1,3. attamen multæ ſunt rationes quæ viro prudenti & cordato, perſuadent novitatem mundi, qualem Moſes deſcribit & ab Adamo repetimus; quas etiam Conimbricenſes *l. ante citato, art.*3. breviter propoſuerunt & multis Veterum authoritatibus muniverunt.

32. Sed paullò preſſiùs expendamus quæ porro Præadamita audaciùs urget, partim ex aliis Scripturis, partim ex ratione, pro illa infinita duratione Mundi à parte ante, quam *Syſt. lib.4. cap.10.* per evidentem contradictionem in adjecto appellat creationem illius *ab æterno*: Nam ſi admittimus diſtinctionem inter Creatorem & Creaturam, non minus neceſſe eſt hanc incœpiſſe in tempore, quam illum extitiſſe ab æterno. *Syſt. lib.3. cap. 5.* profert locum Eccleſiaſtis 1, 9: 10. 11. Sed perperam. Nam etſi nihil novi fiat ſub Sole & mutatis perſonis eadem plerumque fabula in ſcena mundi agatur, nec minus qui ſequentur præſentium ſint oblituri, quam nos facilè obliviſcimur præteritorum, hoc tamen non dicitur niſi reſpectu eorum quæ facta ſunt à tempore Solis in cœlo conſtituti, adeoque nihil facit ad hanc Controverſiam. Adfert & Syracidem Eccleſiaſtici 1, 1. 2. Sed ne quid dicam

dicam de Scriptoris authoritate, infra Canonicorum authoritatem ſubſidente, cùm ait, *Arenam maris & pluviæ guttas & dies ſæculi quis dinumeraverit?* loquitur de ipſa Dei æternitate, quæ nobis eſt immenſa & incomprehenſibilis; nam dixerat priùs, *Sapientia à Domino atque apud ipſum eſt in ſeculum.* Eodem pertinet quod habet idem author cap: XVIII, 11. *Qualis gutta aquæ maris, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni mille anni in die ævi*, quia videlicet mille anni ſunt apud Dominum ut dies unus, imo tanquam dies heſterna quæ præteriit Pſal:XC,4.2. Pet:III, 8. Inſulſè ſanè fecerit qui dies ævi divini, ideſt æternitatis, confuderit cum diebus quibus hactenus mundus duravit. Plus eſt diſcriminis inter æternitatem & tempus, quam inter gnomonem in ſcioterico, & umbram illius. Quod verò nugatur Præ-adamita *lib. 4. Syſt. cap. 12.* ut pertendat non agere Syracidem de æternitate

Domini, refutatione indignum eſt, nec ferit ſcopum; quia licet hîc intelligeretur ea æternitas ſucceſſiva quæ nunquam finietur, id nihil faceret pro mundi duratione infinita à priori, de quà diſputamus. Igitur licet *Furioſos* pronunciaverit *Socrates illos qui de mundi origine curioſiùs diſputabant*, ut notat Vir iſte, quia nihil determinati de illa ſepoſitis Scripturis poteſt haberi, inde tamen non ſequitur nos non poſſe ad facem Scripturarum & revelationis divinæ *tempora & faſtos mundi evoluere*, ſaltem ὡς ἐν πλάτει, quod nobis ſufficit. At, inquit, *ſi filius Dei quà homo fuit finem mundi neſciit, qui poſſumus homunciones mundi indagare exordia? Eadem enim eſt præteriti quæ futuri ratio. Ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora Iob. 20. neque eſt noſtrum noviſſe illa, Actorum ultimo* (voluit dicere primo) *Ea propter ſcriptum eſt Eccleſiaſtæ 1. Priorum non eſt memoria. Fuere fortes ajebat Lyricus ante Agamemnonem, ſed omnes illachrymabiles,*

quia

quia ignoti longiſſimâ oblivii nocte urgentur. Verùm in profano hoc diſcurſu nihil eſt ſani. Neſcivit Chriſtus quà homo quando ſit futurum judicium extremum, quia hoc inter arcana Dei referendum; Neque noſtrum eſt quantum ad futurum, *noviſſe tempora & opportunitates quas Pater in ſua ipſius authoritate ſtatuit* Act: 1, 7. Sed inde non ſequitur, ergo tempus præteritum conditi mundi nos latet, ita ut nequidem ex Scripturis illud colligere queamus. Si par tibi *præteriti qua futuri ratio*, cur non ſaltem ex revelatione Dei, à quo *non ſunt abſcondita tempora*, poſſimus æquè noſſe quid præterierit temporis ab Orbe condito, ac Prophetæ potuerunt eminus proſpicere certò, quid multis poſt ſe ſæculis erat eventurum? Sed & ſi tibi *eadem præteriti qua futuri ratio*, cur non ergo æquè ignoras quid anno ſuperiori contigerit, ac neſcis quid *ſerus vehat veſper*, & quæ ſunt eventura annis proximis?

Imò ſi par omninò præteriti quæ futuri ratio, tam neceſſe eſt ævum, tempus & mundum à priori nunquam incepiſſe, quam à poſteriori nunquam finietur. Id autem dicere quid aliud eſt quam mundi Creationem negare & Atheiſmum inducere? Et quamvis homines facile prædeceſſorum ſuorum obliviſcantur, juxta illud Eccl: 1, 11, *non eſt memoria de prioribus*, nec perennent Hiſtoriæ omnium eorum quę eveniunt, unde etiam multi fortes ante & poſt Agamemnonem trans Lethum ſunt ablegati; attamen Deus primam originem mundi tot characteribus eximiis deſcripſit in Templo memoriæ per Scripturas ſacras, ut qui has conſulunt & illis feriò credunt illam tradere oblivioni nequeant.

33. At, etſi dicatur Deus creaſſe Cœlum & terram in PRINCIPIO, inquit iterum hic homo *Syſt. lib. 4. cap. 10. illud audacter aſſeveraverim nos non noviſſe Principium illud. Suus eſt fateor determina-*

determinatus numerus ſæculorum quæ computantur ab illo principio, ſed ſoli Deo notus, ut *numerus ſtellarum in firmamento*, & *calculorum arena in littoribus*. Verùm ſi *tempora illa duo præteritum & futurum* ſunt tibi *æterna*, non magis poteſt eſſe *determinatus* numerus, vel ipſi Deo, ſæculorum præteritorum, quam eorum quę in æternum, adeoque interminatè, ſunt ſibi ſucceſſura. Nec ex Scriptura ſed ex tuo cerebro depromptum eſt duplex quod fingis principium, utrumque *æternum*, *alterum* tamen *ante ſecula*, *alterum à ſeculis*, ita ut ſit *antiquius primum ſecundo*: Nam ſomniare aliquid *antiquius* eo quod eſt æternum, ſive ut etiam loqueris *æternum ante æternum*, quid eſt niſi ſuaviter inſanire? Et nemo tecum duo illa principia durationis colliget ex Prov: VIII, 22.23. niſi qui poſt prandium duos Soles viderit. Sanè quod futurum eſt, æternum revera ſtatui debet, non tantum *reſpectu noſtri*, quia

nunquam finietur: Sed tale non debet dici id quod præteriit ex mundi duratione, cùm revera aliquando inceperit: Poſſum quidem concipere lineam quæ fluat & protendatur in infinitum, ſive quæ non finiatur; ſed non poſſum eam concipere quę à primo aliquo puncto fluere non cœperit. Poſſum concipere numerum qui ſemper augeatur & excreſcat novarum unitatum additione; ſed non poſſum concipere numerum, qui non cœperit à prima unitate conſtitui & numerari. Apageſis ergo, cum inepta tua diſtinctione *æterni ante æternum*, cùm æterno à priori nihil ſit prius, & *æterni ab æterno*, cùm careat initio quicquid ab æterno eſt, ut fine quicquid eſt in æternum. Id ſolum eſto æternum *ſimpliciter*, quod nec initium habet, nec finem: quo ſenſu Æternitas, quæ rectè definitur Boethio *lib. 5. de Conſ. Phil. proſâ 6. interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*, ſoli Deo com-

competit; Id verò ſtatuatur æternum *ſecundum quid*, quod cùm aliquando incœperit eſſe, nunquam tamen ſit deſiturum.

34. Nec juvant hanc impietatem tuam (cur enim aliter eam appellem?) loca quę profers ex Apoſtolis. Rom: XVI, 25, dicitur Myſterium Evangelii tacitum fuiſſe inter homines χρόνοις αἰωνίοις, ideſt *temporibus ſecularibus*, ut reddit Beza; non verò *à temporibus æternis*, ut minùs commodè expreſſit Vulgatus interpres: nam tempus æternum dicere à priori, ut volunt Sociniani, eſt oppoſitum in appoſito ſtatuere; Cùm enim tempus ſit numerus motus per prius & poſterius, debet concipi & dari primum inſtans quo cœperit & motus in natura & numeratio illius. Sed cùm mundus ipſe ſæpè *hujus ſeculi* nomine Latinè, & αἰῶνος τούτου Grecè, exprimatur in ſacris literis, prout etiam Hebraicè עולם *Gnolam* & *mundum* & *ſeculum* ſignificat, ideſt

& res creatas omnes & tempus quod earum metitur durationem; quid aliud denotabunt χρόνοι αἰώνιοι, in pręterito, quam tempus quod jam pręterlapſum fuit à Sęculi ſive Mundi creatione, ſive à jactis mundi fundamentis, ut alibi frequenter loquitur Scriptura? Matt: XIII,35.XXV,34.Luc:XI,5.Heb:IV,3. IX,26. Apoc:XIII,8.XVII,8. Et ſanè ut Romani Ludos ſuos Sæculares ab Urbe condita ſic denominabant, ita *tempora ſæcularia* Paulus arceſſit ab orbe condito, quod dicitur Marci XIII, 19: ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως; eo potiori jure quod Judæi tempora præterita per annos Jubilæos & generationes, Græci & Latini per Sęcula numerabant: Quam autem variè apud Veteres ſæcula æſtimarentur, videſis apud Cenſorinum *de die natali cap. 17.* Igitur non alio ſenſu dixit Paulus Myſterium Evangelii tacitum fuiſſe *à temporibus ſæcularibus* (quæ ſane *æterna* dici non poſſent niſi per reſpectum partis poſterio-

ſterioris, quatenus in illis incœpit is ſæculorum fluxus qui nunquam eſt deſiturus;) quam quo monet Eph. 11, 4. idem myſterium aliis *ætatibus* vel *generationibus non patefactum fuiſſe filiis hominum, ut nunc retectum eſt ſanctis ejus Apoſtolis & Prophetis per Spiritum.* Ut autem in illis generationibus præteritis non poteſt dari progreſſus in infinitum, ſed in prima ſiſtendum à qua reliquę proceſſerint, ita & in temporibus ſęcularibus à priori cenſendis, primum item debet dari ſæculum à quo cætera ad nos uſque fluere perrexerint. Eodem planè ſenſu intelligendus eſt locus alter citatus quoque Præadamitę ex Col. 1, 26. ubi duo hæc vocabula, *ſæculorum* & *generationum*, conjunguntur; omnes porrò γενέαι hominum ab Adamo incipiunt; Quæ igitur amplius paratragœdiat Author de his dictis *lib. 4. cap. 12.* ſunt abſurda; nempe quod cum ab Adamo uſque ad Apoſtolum, vix ultra 4000.

anni interceſſerint, non videatur Paulus tam breve tempus per χρόνυς αἰωνίυς voluiſſe indigitare; quaſi vero temporibus ſæcularibus condendis non ſufficiat Epocha Orbis conditi, cùm teſte etiam Cenſorino, initia ſæculorum ab Urbibus conditis ex Etruſcorum diſciplina poni deberent. Alia verò eſt mens loci Eph: III, 9. quem etiam citat Præadamita pro æternitate temporis: Nam cùm hoc idem myſterium, dicitur fuiſſe *abſconditum* ἀπὸ τῶν αἰώνων, *à ſæculis in Deo*, denotatur ſimpliciter æternum & arcanum Dei conſilium de noſtra ſalute, quod etiam dicitur ibid. com. 11. *propoſitum æternum*, Græcè πρόθεσις τῶν αἰώνων, à Vulgato Interprete *Præfinitio ſæculorum*. Ut ſic illud ἀπὸ τῶν αἰώνων reſpondeat illi alteri phraſi Scripturæ quâ aliquid dicitur factum, vel fuiſſe, πρὸ καταβολῆς κόσμυ *ante jacta mundi fundamenta*, ut Joh: XVII, 24. Eph: I, 4. I Pet: I, 20. Ita etiam, ne uſ-

ne ullum omittam locorum ab iſto homine citatorum pro æternitate temporis à priori, cùm dicit Apoſtolus 1 Cor: 11, 7. ſe eam loqui ſapientiam quam Deus προώριστεν πρὸ τῶν αἰώνων, *præfinivit*, ſive *prædeſtinavit ante ſæcula*, perinde eſt ac ſi diceret eam Deum præfiniviſſe ante jacta mundi fundamenta: prout τῶν αἰώνων nomine, etiam in plurali, mundus quandoque ſignificatur, ut Heb: 1, 2. xi, 3, non ſola ſucceſſio temporum vel ſæculorum quibus ejus duratio menſuratur. Eodem ſenſu commemoratur Paulo 2 Tim: 1, 9. *gratia nobis data* in Dei conſilio, πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ante tempora ſecularia*, ut etiam rèddit V. V. ideſt priuſquam incœpiſſet mundus & ſucceſſiva ejus duratio, adeoque ſimpliciter ab æterno: Similiter planè Tit: 1, 4. commemoratur *ſpes vitæ æternæ quam promiſerat*, ideſt promittere decreverat, *Deus mentiri neſcius* πρὸ χρόνων αἰωνίων, & *manifeſtata* καιροῖς ἰδίοις

ἰδίοις. Fateor quod ex his omnibus locis inter ſe collatis, varia colligatur ſignificatio vocis αἰῶνος & αἰώνων, quæ per conſequens debeat explicari pro ſubjectâ materia; Sed abſurdè ex iſtis colligit Præadamita duplicem æternitatem; aliam *ante ſæcula, & ante tempora æterna*, aliam *à ſæculis & à temporibus æternis*: illamque eſſe quam vocat Petrus 1 Pet: 1, 10. *ante jacta mundi fundamenta*, hanc per conſequens dicendam *à jactis mundi fundamentis*, unde ſequatur *Ergo fundamenta mundi jacta fuiſſe temporibus æternis vel ab æterno reſpectu noſtri.* Nam 1. oſtendimus tempora *ſecularia* non eſſe dicenda tempora æterna; 2. æterno opponi quod factum eſt à jactis mundi fundamentis; 3. etiam illam phraſim ἀπὸ αἰώνων, cùm de Deo dicitur ut Eph: 111, 9. abſolutè æternum denotare: Velle autem ab indefinito nobis numero præteritorum ab Orbe condito ſæculorum (quem *certitudinaliter* &

præ-

præciſè Lyranus haberi non poſſe, ne quidem ex hiſtoria ſacra concederet,) inferre eorum infinitatem & æternitatem, perinde foret ac infinitum aſſerere mundum, ut ante monui, quia nobis magnitudo ejus indeterminata & indefinita eſt.

35. At, inquit porrò Vir iſte *Syſt. lib. 4. cap. 11.* cur non hęc mea æterni obtinebit diſtinctio, ſiquidem viceverſâ, datur æternum ultra ęternum, & ęternum uſque in ęternum? Sed hæc altera diſtinctio æterni, ejuſdem furfuris cum pręcedenti, nunquam probabitur ex Scripturis: Equidem Exod:xv,11. juxta V. V. dicitur Dominus regnaturus *in æternum & ultrà*; Sed cum ultra ęternum non detur extenſio, quia tunc daretur infinito majus & interminati terminus, non deſſet huic homini occaſionem errandi Verſio minus accurata, & quę hîc nonniſi per hyperbolem poteſt excuſari, ſi ad textum originalem attendere

dere vel voluiſſet vel potuiſſet, qui habet לעולם ועד *Legnolam vegned*, quaſi dicas, *in ſæculum & perpetuum*, ut reddit Pagninus: Nam obſervant Eruditi quod poſterius accedente priori intendit illius ſignificationem & æternam durationem denotat. Ideo Thargum hic habet *in ſæculum & in ſæcula ſæculorum*: Aliâs prius ſolitariè poſitum plerumque multo reſtrictioris eſſe ſignificationis, mille exemplis comprobari poſſet, nec diffitente ipſo Præ-adamitâ *lib.4. cap.12.* licet abſurdè id vocet *æternum indeterminatum*, cùm è contrario tempus ſatis certum, breve & determinatum connotet. Pariliter fœdus Dei cum Iſraele vero, ex Dei æterna Electione, eſt verè æternum, ſive *ſempiternum*, quia illius fœderis fructus & beneficia durant abſolutè in æternum: quò faciunt loca citata huic Authori ex Gen: XVII, 11. Eſ: LV, 3. Jer: XXXI, 35. 36. XXXII, 40. Ezech: XXXVII, 26. Et

cùm

cùm illius duratio exprimitur *per æternitatem ſolis*, ſupponitur, vel ex hominum opinione, vel ex rei veritate, cœlos & ſydera debere quidem renovari, nunquam tamen penitùs aboleri; quo ſenſu dictum quoque à Salomone Eccl:1,4. *Terra ſtat* ſive *permanet*, ut reddit Junius, *in æternum.* Nec dubitari poteſt quin duratio ſimpliciter & abſolutè æterna intelligatur cùm Chriſtus dicitur Rom:ix,5. *benedictus in ſæcula ſuper omnia*, & Deus ipſe Pſal: xc, 2. eſſe Deus fortis *à ſæculo uſque in ſæculum*; item 1 Par:xvi,36. *benedictus ab æterno uſque in æternum*; quæ loca tamen profert hic Author ut ſuam diſtinctionem novam inter æternum uſque in æternum, & æternum ultra æternum conſtabiliat: Quis enim neget, ſi commodè diceretur, Deum eſſe Deum fortem & benedictum *in æternum & ultra?*

36. At cùm *revera finis* debeat eſſe regni Meſſiæ ex 1 Cor:xv,24.25. tamen

men dicitur *in æternum duraturum*, multis locis Sacræ Scripturæ, Jer: XXXIII,25.26. Pſalm: X, 16. LXXII,7. LXXXIX,29.30.37. I Paral: XVII,12. Dan: VII,14. Luc: I,33. Joan. XII,34. Sed quâ fronte ut Socinianiſmum tuũ de abſolutè deſituro Chriſti regno nobis propines, audes aſſerere quod *revera finis erit regno Meſſiæ*, etſi dictum ſit ab Angelo *Et regni ejus non erit finis?* Quis niſi Angelus tenebrarum neget, quod affirmat Angelus lucis? Paulus verò non dicit deſiturum regnum Chriſti, ſed Chriſtum exhibiturum Deo Patri regnum ſuum planè conſummatum, pacatum, ab omnibus ſuis hoſtibus liberatum; Nec ſi Chriſtus regnare debet *donec* omnes ſuos hoſtes habeat ſub pedibus ſuis, inde ſequitur quod poſtea *ceſſabit* regnare, cùm è contrario tunc pleniſſimè & citra oppoſitionem regnaturus ſit: & mediocriter exercitatis in Scriptúris notius eſt quam ut hîc debeam
fuſiùs

fuſiùs explicare, particulam *donec* ſæpè indefinitè poni, ita ut non notet affirmationem poſt tempus quod ſignatur, etſi negatio præceſſerit; quomodo dicitur Matt: 1, 25. quod Joſephus non cognovit B. Virginem *donec* peperit primogenitum ſuum: & 2 Sam: VI, 26. *Michol non natus eſt filius uſque in diem mortis ſuæ.*: neque negationem, etſi præceſſerit affirmatio; ut Gen: XXVII,15. *Non deſeram te donec fecero quod loquutus ſum tibi*, & Matth: XXVIII,20. *Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: Illis igitur verbis Apoſtoli, *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus*, affirmatur quidem quid eſſet futurum de regno Chriſti uſque ad conſummationem ſæculi, ſed nihil tamen de illo poſtea negatur. Verùm hæc obiter dicta ſunto de regno Chriſti quoad illius durationem; Lubens enim prætervehor quæ alia de eodem congerit Præadamita *Syſt. lib. 4. cap. 11.* in quibus

bus plus eſt obſcuræ & affectatæ ſubtilitatis, quam ſoliditatis Theologicæ: Certè evidens eſt Arianiſmus in his illius verbis; *Regnabat Deus Pater ante ſæcula, ante tempora æterna, antequam ordinaviſſet Sapientiam & principatum illi dediſſet ſuper omnia; Regnabit Deus Pater idem poſt ſæcula, poſtquam Sapientia quæ & Chriſtus Filius eſt regnum Patri tradiderit in fine ſeculorum; Regnabat Deus Pater ante æternum & regnabit ultra æternum; Regnavit Deus Filius ab æterno, & regnabit uſque in æternum.* Quî ſic? Quia *regnum Meſſiæ incepit à creatione, à jactis mundi fundamentis & à temporibus æternis; A principio illo fuit, quod ſine principio eſt. Deſinet regnum idem fine illo æterno qui ſine fine erit: quo mundus qui principium habuit à ſeculis & temporibus æternis, in temporibus iiidem æternis & ſeculorum fine haurietur.*

37. Pergit tamen in iiſdem affaniis *Syſt. lib. 4. cap. 12.* Nam quia *æternum ſignificari ſolet in ſacris literis per duratio-*

nem

nem Solis & Lunæ & mundi, videtur inde colligere Ergo Solem, Lunam & mundum fuiſſe ab æterno: Sed in hac concluſione plus eſt quam in præmiſſis: Nam nonniſi ęternum à parte poſt, per durationem illarum rerum ſignificant ſacræ literę; Quare perperam inde colligis illas à parte ante æternas debere ſtatui: Animæ tuę duratio eam conſequetur æviternitatem quę per durationem Solis & Lunę & mundi ſignificatur in Scripturis; non tamen extitit antequam genitus eſſes à patre tuo. Quin nequidem harum creaturarum ęternitas à poſteriori, neceſſariò hinc videtur exurgere; Satis enim eſſet ad pacti divini ęternam durationem, quod non deficiet quamdiu vigebunt *leges Solis & Lunæ & Stellarum*. Quia ſi pactum illud deberet abrogari, utique id contingeret ante finem mundi, cùm poſt ſęculorum conſummationem fieri nequeat. Attamen cùm novi cœli & nova terra in qui-

quibus juſtitia habitet, quę expectamus 2 Pet. III, 13. non tam Solis & Syderum abolitionem portendant quã eorum innovationem & liberationem ab ea vanitate & ſervitute corruptionis cui nunc ſubjacent creaturę Rom: VIII, 20. 21. vix opus eſt ut ad hanc ultimam ſolutionem recurramus. At *vulgare eſt apud authores ſacros numerari annorum hebdomadas, dari annorum menſes, annorum annos & faſciculos; Cumulantur & apud eoſdem creberrimè ſaculorum ſacula, quæ innumeras annorum myriadas ampleċtuntur, quibus ævum conſtat, ævum inquam, idem æviternum & æternum; quem magnum annum & annum mundi verò vocaveris. Cujus tempora & ſæcula innumerabilia putata ſunt.* Concedo *ſæcula ſæculorum* innumeras annorum myriadas denotare ſibi in futurum ſuccedentes, & quibus uſque & uſque novæ ſunt acceſſuræ, quò nunquam finiantur; Sed nego vel unquam *ſæcula ſæculorum* tribui mundo aut creaturis

aturis in præterito, vel tempus omne quod eſt excurſurum ab orbe condito ad conſummationem ſæculi, uſpiam eo nomine appellari; cùm è contrario ſæpè ea dicantur futura in ſæcula ſæculorum quę nonniſi poſt ſęculorum conſummationem evenient; Ita fumus tormenti impiorum conjiciendorum in ſtagnum ignis & ſulphuris poſt conſummationem ſæculi dicitur aſcenſurus *in ſæcula ſæculorum* Apoc:XIV, 11: XIX, 3. ipſique torquendi deſcribuntur poſt judicium ultimum *in ſæcula ſæculorum* Apoc:XX, 10. & fideles è contrario, quorum completa fœlicitas incipiet in conſummatione ſæculi poſt reſurrectionem è mortuis, dicuntur regnatûri *in ſæcula ſæculorum* Apoc: XXII, 5.

38. At Pſalm: LXXVII, 6.7. ita loquitur David; *Cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui; ſupputavi dies qui fuerunt à principio.* Cogitavit & ſupputavit dies illos, ſed illorum computum

aſſequi

aſſequi nequivit Propheta Rex: Nulla enim eſt priorum memoria, Eccl. 1. Et verè: Memoria enim hominum finita & caduca, extendi nullo modo poteſt ad cognitionem priorum illorum, quæ infinito conſtant & ab annis æternis derivantur. De loco Salomonis ſuprà dixi: Perit priorum memoria, niſi beneficio Hiſtoriæ fidelis & ἀνυπευθύνε conſervetur: Quod ſi duratio mundi eſſet infinita à parte ante, ut hic impiè ſtatuitur, daretur infinito majus, quia poſt ſæculum diuturnior cenſebitur fuiſſe duratio mundi quam fuit huc uſque; & mundus erit infinitus, ac duratione Deo coæternus; cùm æternitas Dei ſit infinita duratio & permanentia ejus in ſuo eſſe. Davidem quod attinet, ut nihil minus cogitavit quam de Chronologicis rationibus ſubducendis, ſic non dicit ſe non aſſequutum fuiſſe computum dierum qui fuerunt à principio: Imò ſi diceret ſe eos ſupputaſſe, potiùs relinqueret cogitandum poſſe eorum computum iniri,

iniri. Nemo enim dixerit ſe ſupputaſſe ſtellas cœli vel arenam maris. Et tantum abeſt ut ſibi omnem priorum memoriam abroget, ut è contrario dicat ibid. com. 12. *Recordabor inde ab antiquitate* vel *à principio mirabilium tuorum.* Tum neſcio quo in Pſalterio legerit Præadamita hanc pericopam, *Supputavi dies qui fuerunt à principio*, cùm nec in V. V. extet, nec in Græcis interpretibus, nec in textu originali. An forte reſpexit ad Chaldæum paraphraſtem, qui verba illa *com.4. Memor ſum Dei & tumultuor*, ita expreſſit, *Supputavi dies bonos qui pridem fuerunt, annos bonos qui olim præceſſerunt?* Et quantum ad priorem partem, Junius eam ita reddit; *Reputo tempora inde ab antiquitate, annos ſuperiorum ſæculorum*; Simeon de Muis ita, *Cogito dies antiquos, annos ſæculorum*; Et nemo interpretum annos ęternos hîc ſomniavit præter Vulgatum Latinum, qui ἔτη αἰώνια, ideſt *annos ſæculares*, minus commodè

M reddidit

reddidit *annos æternos*. Et certum eſt Prophetam hîc in ſua calamitate non de duratione mundi ad ſua tempora cogitaſſe, ſed præſentis temporis miſerias, quibuſcum luctabatur, contuliſſe cum priſcorum & jamdiu prætéritorum temporum fœlicitate; *exempli gratia*, inquit Doctiſſ. Muiſius, *quùm Iſraelitas Deus ex miſerrima Ægyptiorum ſervitute eduxit in terram fluentem lacte & melle*. Eodem ſenſu dicebat Moſes Iſraeli Deut. XXXII, 7. *Recordare dierum ſaculi, animadverte annos cujuſque generationis; interroga patrem tuum ut annunciet tibi, ſeniores tuos ut dicant tibi*. Et ſanè parum prudens fuiſset David ſi voluiſset cogitare & ſupputare dies illos priores Præadamitarum, quorum juxta hunc hominem *nulla datur neque memoria neque notitia*.

39. Illa ſunt omnia quę ex Scripturis hinc inde corraſit Præadamita pro ſua ſententia; Supereſt ut videamus quibus rationum tibicinibus, eam labantem

bantem inſtentare conetur. Prima ratio occurrit in lemmate *cap. 6. lib. 3. Ignorant homines primas ſuas hiſtorias & origines*, & *lib. 4. cap. 13. ignorata hiſtoriæ primorum hominum* cauſas varias ſtudet adferre, inter quas ponit quoque *longinquam Ævi vetuſtatem quæ omnia mutat & conſumit*. Sed primò dum *ibid.* fatetur quod *terrarum nulla ſuis ſe Aboriginibus veris jactare poſſit*, tacitè agnoſcit omnes terras cœpiſſe coli per homines aliunde venientes, & ſic nullo indicio poſſe comprobari quod fingit Deum ab initio omnes terras ſuis incolis repleviſſe ſexto Hexaemeri die, à quibus Gentiles diſtinctè ab Adamitis propagati fuerint. Deinde quod nullæ ferè gentes ſuæ primævę originis ſint memores, non arguit majorem earum Antiquitatem eâ quę ab Adamo arceſſitur: nam id ferè ſolemne hominibus præteritum oblivioni, futurum ſecuritati, præſens neceſſitati aut voluptati indulgere. Is fundus
 cenſe-

cenſebitur à tempore immemoriali poſſeſſus, qui per centum annos in ejuſdem familiæ dominio perſeveraverit. Etiam inter politiſſimos vix centeſimus reperietur qui tritavum ſuum poſſit nominare: Nobiliſſimi vulgò illi habentur qui ſua ſtemmata per lineam paternam & maternam à quarta generatione deducere queant. Nec abſurdè Grammaticus ille à Ptolomæo Lago rogatus ecquis Pelei pater fuiſſet, ſalsè ei reſpondebat ſe tum id indicaturum ſi priùs ipſe nominaret Lagi parentem. Tertiò cùm ſic apud omnes Gentes aliqua ſubobſcura remanſerit Diluvii memoria, (quod norunt eruditi, ac Veterum teſtimonia quędam eo apprimè facientia poſt alios corrogavit Grotius *cap. 16. lib. 1. de Relig. Chriſt. & notis ad illud*, quibus addo quod etiam hæc eadem memoria perſeveraverit apud ipſoſmet Indiæ Occidentalis Barbaros incolas, ut notant Joſephus à Coſta *Hiſt. Ind.*

lib. 1.

lib.1.cap.25. & Antonius Verderius in ſuis *variis lectionibus* additis ad lectiones Petri Meſſiæ, *lib. 4. cap.31.*) ut tamen omne antediluvianum tempus apud omnes populos, ſolis Hebręis exceptis, manſerit ἄδηλον, ut Gręci loquuntur, & *ignotum* ut dicunt Latini, id non ſolum argumento eſt omnes populos poſtdiluvianos à Noachidis eſſe propagatos, & Diluvium illud fuiſſe univerſale, quorum utrumque negat Pręadamita, & de quo aliàs ex profeſſo erit diſputandum; ſed etiam veram & primam iſtius ignorantiæ & oblivionis, de qua agimus, cauſam in cœtęris gentibus nobis aperit.

40. Etenim dubitari nequit quin Deus ſæculo altero à Diluvio immittens Babylonicæ turris ædificatoribus horrendam illam linguarum confuſionem quæ deſcribitur Gen: XI,7.8. unà cum linguæ prioris ignorantia, omnium præteritorum obli-

vionem induxerit; eamque tantam, juxta nonnullos, ut nemo eorum alterius rei memor fuerit quam ſui ſacci recolligendi; unde volunt nomen illud, quod quiſque tunc ſuum ſaccum in ſuis rebus convaſandis occupatus ſollicitè appellaſſet, ferè apud omnes populos eodem ſignificatu remanſiſſe. Nemo autem mirabitur hanc θαύμαστον oblivionem, qui reputabit non ſolum ſæpè integram memoriam periiſſe ex morbo alio-ve caſu, ut contigit in Meſſala Corvino oratore celebri apud Romanos, nec non ut dicitur in Georgio Trapezuntio, quorum utrique ex morbo periit omnis memoria, etiam ſui nominis; item in iis quos Plinius non ſiluit, quorum alter lapide ictus literarum tantum oblitus eſt, memor cœterorum, alterum ex alto tecto delapſum cœpit oblivio matris, affinium & propinquorum; ſed inſuper ea exempla in quibus ira Numinis & juſta Nemeſis, ad præterito-

teritorum omnium memoriam inducendam liquidò apparuit; quale nominatim illud eſt quod refert ex Matthæo Pariſienſi & Polydoro Virgilio, Spondanus continuator Baronii *ad ann. 1201. §. 3.* nec ſilentio prætereri debet. Summa eſt, *Schola Pariſienſis Theologum* quendam, *Simonem nomine, cognomento* Chiirnai, *ingenio capaciſſimum & memoriâ tenaciſſimum, cùm per decennium Scholas Artium nobiliſſimè rexiſſet, indeque ſe ad* Theologiam *conferens adeo intra paucos annos profeciſſet, ut quaſtiones ſubtiliſſimas & inauditas facillimè ſolueret; quadam die cùm frequentiſſimâ auditorum coronâ difficillimas de Trinitate propoſitas quaſtiones perquam dilucidè, eleganter & catholicè ingenti omnium ſtupore enodaſſet, hortarenturque publicè familiares ut eam diſputationem literis commendaret; his inſolentiori faſtu abreptum, oculis in cœlum elatis in hæc verba temerè prorupiſſe,* O Ieſule, Ieſule, *quantum in hac quaſtione confirmavi legem tuam & exaltavi; profectò ſi*

malignando & adverſando vellem, fortioribus rationibus & argumentis ſcirem illam infirmare & deprimendo improbare: hocque dicto elinguem penitus obmutuiſſe, adeoque ſapientiam ejus infatuatam eſſe, ut quamvis ultione divinâ aliquantum mitigatâ lingua uſus utcumque redditus fuerit, vix tamen poſtea intra biennium filio ejus magna ſollicitudine edocente, prima literarum elementa cognoſcere & Orationem Dominicam Symbolumque Apoſtolorum memoriâ diſcere ac balbutiendo pronunciare potuerit. Quoad me vix dubito ſimile quidpiam accidiſſe in turris Babylonicæ architectis, qui hinc inde dilapſi, non aliam ſuæ originis & ſæculo ante præterlapſi Diluvii retinuerint memoriam, quam admodum obſcuram & confuſam, qualis eſt eorum qui tremeto obruti, vix ſciunt quâ portâ in locum convivii ingreſſi fuerint. Cùm itaque hæc ſit tam evidens cauſa illius ignorantiæ quâ laborant omnes gentes primæ ſuæ originis, præter conditionem

ditionem naturalem hominum quä facile obliviſcuntur præteritorum, ex qua dantur populi eo uſque habetis memoriæ, ut ultra quatuor numerare nequeant, quod eis exciderent priora ſi plura commemoranda forent, ut infantibus evenit; nam id ex Ariſtotele de Thracenſibus, robuſtis interea corpore, commemorat Petrus Crinitus *lib. 1. de hon. diſc. cap. 6.* fruſtra hanc ignorantiam quis velit arceſſere ab æternitate mundi: Nec ſanè de aliis, quam de primis hominibus poſt illam diſſipationem ac primitivæ linguæ & omnium præteritorum oblivionem, debet intelligi illud quod habet Diodorus *lib. 1. cap. 8.* primos homines nondum inventis rebus ad vitam neceſſariis, ærumnoſam vitam ægrè tranſegiſſe, nudos, ſine tecto, ſine foco, ſine cibo paullò lautiore, multos eorum victus penuriâ, multos frigore periiſſe; & inde paulatim experientiâ edoctos ad luſtra confu-

 giſſe;

giſſe, & cætera quæ ibi fuſiùs legi poſſunt.

41. Alteram rationem deſumit Præadamita, tùm *Exerc. cap. 8.* tùm fuſiùs *lib. 3. Syſt. cap. 6. & 7.* à monumentis Chaldæorum, Ægyptiorum, Scytharum, Sinenſium, & ſimilium, quæ hiſtoriâ Moſaicâ, in quantum ab Adamo auſpicatur, multo antiquiora ſunt. Dicamus & nos de ſingulis, quantum iſtius hominis vani loquentiæ & grandiloquentiæ ad oculum confutandæ ſufficiet. De Chaldæis citat Diodorum Siculum *Bibl. lib. 2. cap. 29. 30. 31. & 32.* Sed non ſatis bonâ fide, & quantum probabile eſt alienâ: nam nec verba retinet Authoris, neque res illius refert. Dicit Diodorus *Chaldæos eſſe Babylonicorum vetuſtiſſimos, & eum in Rep. ordinem tenere quem Ægyptii ſacerdotes ſibi vendicant;* Illos deſcribit *Aſtrologiæ* & *Divinationis* maximè ſtudioſos, & qui *ex longa ſiderum obſervatione & exacta motuum atque virium*

cujuſque

cujusque cognitione quâ univerſos præſtant mortales, multa hominibus eventura prædicant. Iiſdem tribuit quod *mundi naturam ſempiternam eſſe perhibent, quæ neque certum principium habeat, neque corruptionem ullo deinceps tempore admittat*; Et quamvis ipſis tribuat quod *rei Aſtrologicæ ſcientiâ mortalibus univerſis præcellerent,* ſic tamen porrò loquitur; *Numerum annorum quibus mundi ſe conſiderationi vacaſſe collegium Chaldæorum aſſeverat, haud facilè credideris: Nam ad expeditionem Alexandri in Aſiam quadringenta & ſeptuaginta duo millia numerant ex quo ſidera obſervari cœptum ſit.* Quam autem ex Chaldæis nihil poſſit habere Præadamita quod ſibi faveat, multa oſtendunt. Nam primò, cùm æternitatem mundi abſolutam defenderent, eo ipſo vanitatis arguuntur, tum ex Scripturis noſtris, tum iis omnibus rationibus quæ evidenter demonſtrant mundum nec eſſe nec potuiſſe eſſe ab æterno; nec mirum ſi ex fal-

ſiſſima hypotheſi, tam multas annorum myriadas ponerent à quibus cœperint vacare Aſtrologię ſtudio. Secundò Diodorus ipſe ſatis apertè declarat non eſſe credibilem illum annorum numerum, à quo jactabant ſe Aſtrorum contemplationi incubuiſſe. Nec ergo magis credibilia, quæ de ſuorum regum temporibus nugabantur, in quibus computandis, non tam annos numerabant, quam diverſas ſummas ex multis annis conſtantes, quarum dicta σάρος ſex millia annorum continebat, νεῦρος ſexcentos, & σῶσος ſexaginta, ut obſervat Præadamita *lib. 3. cap. 5.* ex Salmaſio *præfat. de Annis Climact.* Imò magnus Salmaſius, ex quo uno hic noſter ſapit, hanc Chaldaicam vanitatem ibi multis carpit & refutat, tum ab impietate adjuncta, ex qua non alia Numina quam ſydera crederent æquè ac Zabii Mæmonidis; tum ex eo quod non aliùs annorum ψηφοφορίας ducerent

quam

quam à Nabonaſſaro, à quo ad mortem Alexandri ſunt tantum anni quadringenti viginti quatuor; tum quod licet tantum temporis jactaſſent ſe impendiſſe Aſtrologiæ ſtudio, nihil præter mera mendaciorum monſtra peperiſſent, & à Græcis aliiſque Aſtrologis, tanquam certiora tradituris, deſerti fuiſſent. Et cùm ipſemet Cicero *lib. 2. de divinat.* fatente Præadamitâ, refutet tanquam falſum, quod jactabant Chaldæi, ſe poſuiſſe quadringenta & ſeptuaginta millia annorum, in omnium puerorum apud ſe natorum Geneſibus digerendis, *Si enim eſſet factum*, inquit Cicero, *non eſſet deſitum*, *neminem autem habemus authorem qui aut fieri dicat*, *aut factum ſciat*: inde patet Ciceronem ęquè ac Diodorum pro vero non habuiſſe, quod Aſtrologicę vanitati vacaſſent per illa 470000. ann. ante Alexandri expeditionem. Et ſanè ſi tamdiu in Syderum ſpeculatione fuiſſent occupati,

ſaltem habuiſſent certò perſpectas Ecclypſes Solis, & potuiſſent eas prædicere æquè ac noſtri gregarii Mathematici; At verò *de Solis defectionibus*, inquit Diodorus, *infirmiſſimas afferunt demonſtrationes, quas nec prædicere, nec ad certum redigere tempus audent.*

42. Sed urgeo amplius: Nam ut conſtet nihil antiquius apud Chaldæos fuiſſe hiſtoriâ Moſaicâ, quicquid de ſua Antiquitate jactarint vaniſſimi Nebulones, quorum nomen etiam fuit execrationi Romanis, obſervo primò eos juxta Diodorum *Babylonios* fuiſſe, prout Plinius *lib. 6. cap. 20.* ſtatuit illos initium habuiſſe à Belo Jove, Nini Aſſyriorum regis patre, eo quod huic primam ſyderalis ſcientiæ inventionem tribuat. At juxta Scripturam Babylonii fuerunt Adamitæ; Ipſa Babel ædificari cœpit per filios Noæ ſæculo integro poſt Diluvium; Jupiter Belus idem eſt qui Nimrod, ut notant Eruditi & fuſè demon-

monſtrat Bochartus *Phalegi lib. 3. cap. 14.* Babylonici & Aſſyrii imperii conditor, Noæ nepos; unde Chaldęa tota, terra Nimbrodi dicta Mich: v, 6. Et cùm à Nimbrodo ad captam per Alexandrum Babylonem anni ſint 1903. tot annorum obſervationes cœleſtes, inde in Græciam Ariſtotele procurante, à Calliſthene fuiſſe miſſas, teſtis eſt Porphyrius apud Simplicium *in lib. 2. de Cœlo*, obſervante Reverendiſſimo Uſſerio Annalium ſuorum *tom. 1. pag. 5.* Quod valde diſtat ab ingenti illo numero annorum quem jactabant Diodori & Ciceronis tempore. Si tamen apud Diodorum & Ciceronem, cui nihilominus hæc *monſtra* Chaldæorum dicuntur, cum Otthone Heurnio *in Chaldaico*, quæ prima pars eſt *Philoſophiæ ſuæ Barbaræ pag. 22.* legas tantum 43000. annorum, & hos annos lunares ſive menſtruos intelligas, computi ratio conveniet cum Epocha Moſaica: vix enim plures

plures menſes reperies ab Adamo, qui cœpit proculdubio vacare Siderum contemplationi, ad Alexandrum. Cùm autem tam liquidò conſtet Chaldęos cum Babylone cœpiſſe, & hanc ab hominibus Adamitis conditam fuiſſe poſt Diluvium, idque nominis obtinuiſſe à linguarum confuſione divinitùs immiſſâ turris Babylonicæ ſubſtructoribus inſanis, quod non ſolum expreſſè habet Moſes, ſed apud Joſephum *lib. 1. contra App.* & Euſebium *lib. 9. præp. Eu.* Sibylla quędam Vetus, Eupolemus, Beroſus Chaldæus, Abydenus Aſſyrius, nec poſſunt Chaldæi Præadamitis accenſeri, qui tot Chiliadibus annorum ante Adamum ſtudio ſiderali vacaverint; nec potuit eorum ſtulta jactantia ſumi à noſtro Pręadamita pro argumento Apodictico, niſi vellet ultrò & decipi & decipere. Imò cum ipſemet *lib. 4. Syſt. cap. 13.* referat Nabonaſſarum Chaldæum, *à quo* (inquit) *uſque ad*
mortem

mortem Alexandri anni fuere 424. omnium ante ſe Regum facta, curaſſe abolenda, ut à ſe novum principium rerum & regnantium duceretur, hoc potuiſſet illi ſufficere ad ſuos Chaldæos & Genethliacos convincendos mendacii, cùm Diodori & Ciceronis tempore quadringenta & ſeptuaginta millia annorum aſſignabant ſuis ſpeculationibus Aſtrologicis ad tempora uſque Alexandri, & per σαρὸς ſuorum regum tempora computabant; Nam unde potuiſſent illi fumivenduli hæc ſua computa deprompſiſſe, cùm nulla amplius extarent Acta rerum apud ſe geſtarum ante regnum Nabonaſſari? Imò cùm totum Babylonicum & Aſſyrium imperium, quo Chaldęiſmum antiquiorem fuiſſe nemo dixerit, non duraverit ultra mille & trecentos annos, juxta calculos Juſtini & Velleii Paterculi *Hiſt. ſuarum lib. 1.* non potuerunt Chaldęi tam grandes temporum acervos ſibi & ſuis regibus aſſignare.

His

Hiſ adde Chaldaicæ linguæ affinitatem cum Hebraica, quæ cùm fuerit omnium Adamitarum uſque ad linguarum confuſionem, ſatis oſtendit Chaldæos ejus quaſi dialectum quandam retinentes, Adamiticæ quoque propaginis fuiſſe. Denique cùm nemo perhibeatur in Chaldaicis diſciplinis antiquior Zoroaſtre, quem revera & Adamitam fuiſſe, & demum poſt Diluvium vixiſſe, ſatis inſinuat Juſtinus *lib.* 1. qui eum cum Ninò bello contendiſſe refert, non eſt cur ſuſpicemur Chaldęos Adamo vetuſtiores fuiſſe: Quapropter nec in Abydeno de rebus Aſſyriis, nec in Beroſo de rebus Chaldaicis, nec in Sanchoniathone de rebus Phœnicum, quantum liquet ex eorum fragmentis quæ debemus Joſepho, Euſebio, Clementi Alexandrino, quippiam eſt reperire non apertè fabuloſum, quod vetuſtius ſtatui poſſit Epochâ Adamicâ & Moſaicâ.

43. In

43. In Ægyptiis nihilo plus eſt præſidii pro cauſa Præadamitica. Nam Ægyptios quoque fuiſſe Adamitas & Noę per Chamum propaginem, diſertè habetur Gen: x, 6. unde & Ægyptus non ſemel in Scripturis *terra Cham* appellatur; nec aliunde quam à Chamo gentis conditore, Jovis Hammonis cultum celebrem in Ægypto & oraculum ei vicinum, de quo videatur Curtius *lib.4.cap.*7. derivant Eruditi. Ægyptios proximè ad vanitatem Chaldaicam acceſſiſſe non diffitemur, tum Aſtrologiæ divinatricis ſtudiô, tum profundæ ſuę Antiquitatis jactantiâ. Huc faciunt quę tanto cum ſtrepitu urget Pręadamita ex Diodorō Siculo *Bib. lib.* 1. *§.* 2. Sed pręterea quod ipſomet agnoſcente, Diodorus pro fabuloſis, portentis narrationum, & ſubleſtę fidei, habet ac ſuggillat apertè illa Ægyptiaca commenta, etſi à Sacerdotibus Ægyptiis vehementer affirmata, operæ pretium

eſt

eſt annotare verba Diodori ad quæ hic homo reſpicit ut Ægyptios Præadamitas faciat, ex quibus facilè detegitur nullitas iſtius argumenti. Ita igitur habet Diodorus *lib. 1. cap. 44. Imperarunt (ut quidam ex ipſis fabulantur) initio in Ægypto dii & heroes, annos paullo minus octies & decies mille; ultimuſque rex fuit Horus Iſide natus. Ab hominibus autem regnum per quindecim ferè millia annorum gubernatum ad centeſimam octogeſimam uſque olympiadem, quâ nos Ægyptum acceſſimus regnante Ptolemæo, qui novi Dionyſii, ideſt Bacchi, nomen uſurpavit* : & poſt enarrata illius ſummæ interregna, Æthiopum, Perſarum, Macedonum, ſubjicit, *Cæteroquin principes indigenæ regno præfuere ſeptuaginta ſupra quadringentos viri, & fœminæ interim quinque.* Sed noſter Præadamita, ex 470. facit malâ fide, ut omnia in majus augeat, *ultra quatuor mille & ſeptingentos*, quo poſſit inde colligere, Regum Ægyptiorum *tempora,*

pora, quę etiam cum interregnis Diodorus tantum facit 15000. annorum, juxta Rhodomani verſionem, *ſexaginta annnorum millia ſuperaviſſe*: adeo iſti homini per læſæ ſuæ imaginationis denſam nebulam, omnia grandiora apparent. At, inquies, ipſemet Diodorus *ibid. cap. 69.* hoc ipſum videtur dicere, quod ultra *quater mille & ſeptingenti reges Ægyptum gubernarint*; Verùm id non dicit author, ſed Ægyptios profeſſos fuiſſe hoc eſſe *maximum optimæ adminiſtrationis argumentum* quod plerique reges indigenæ fuerint πλείω τῶν ἑπτακοσίον καὶ τετρακισχιλίων ἐτῶν *pluſquam quatuor millibus & ſeptingentis annis*. Et ſanè magna fuit ἀβλεψία hujus hominis, qui cùm reges Ægyptios indigenas obtruderet nobis quater mille & ſeptingentos, tanquam ex Diodoro, poſtea ex Herodoto *in Euterpe* non plures facit trecentis quadraginta, juxta totidem Coloſſos ligneos ſibi in grandi cœnaculo à Sacerdoti-

cerdotibus Ægyptiis oſtenſos, quibus ipſi aſſignabant annos decem mille trecentos & quadraginta.

44. Præterea autem quod Herodotum & Diodorum, iſtius duos Viri teſtes de ſumma Ægyptiorum antiquitate, inter ſe committere, æquè ac duos ſeniores Suſannæ accuſatores, non foret difficile, potuerunt utrique illudere Memphitici agyrtæ bifariàm: Primò omnia in majus extollendo; cùm dynaſtiæ Deorum quas jactabant, meræ fabulæ fuerint, quas Præadamita non proferret in ſubſidium ſuæ cauſæ, ſi Chriſtianiſmi quem profitetur meminiſſe dignaretur. Nec enim quod refert ex Salmaſii *præf. ad annos Climact.* vetuſtiſſimum quendam authorem aſſeruiſſe *triginta dynaſtias Ægyptiorum comprehenſâ & Vulcani dominatione per annorum* μυριάδας τρεῖς *duraſſe*, & demptâ Vulcani δυναστείᾳ *viginti novem reliquas* viguiſſe per triginta ſex millia ſexcentos vigintique

ann.

ann. Salmaſius propoſuit tanquam verum & probabile, multo minus quod addit Præadamita, de regno Vulcani Dei in Ægypto per infinita ſæcula, necnon de Solis filii ipſius imperio ibidem *per annos ſexcenta millia ſexcentos ſeptuaginta ſex*, ſed tanquam futile & perabſurdum, & quod ſua fabuloſitate ſeipſum refutat. Et multa poſſent proferri quibus tot Dynaſtiæ Ægyptiorum falſi convincerentur; Jacobus Cappellus *in Hiſt. Sacra & Exotica ad an. mundi 3308.* inchoat eo anno cum Euſebio Dynaſtiam vigeſimam ſextam: octo præcedentibus tribuit cum Manethone annos mille triginta; ſed hunc impoſturæ arguit quod ſeptemdecim prioribus tribuat quatuor circiter annorum millia, *perinde*, inquit, *ac ſi quis Hiſpanus glorietur in India de Dynaſtiarum ſuarum antiquitate, ac tribuat Comitibus Barcinonæ annos 337. Regibus Arragoniæ 498. Luſitaniæ 418. Leonis 545. Caſtellæ 800. &c.*

quot conficiet annorum Chiliadas? Et tamen omnes illæ Dynaſtiæ exortæ ſunt poſt annum Domini 717. quo Saraceni ex Africa in Hiſpaniam trajecerunt. Vera Chronologia Dynaſtiarum Ægyptiacarum poteſt videri apud Alſtedium *in Theſauro Chronologiæ cap. 22.* Secundò illuſum Herodoto & Diodoro ab Ægyptiis Sacerdotibus, ambiguitate vocis *Anni*, ut partim annos menſtruos triginta dierum, partim quadrimeſtres dierum 120. impoſtores intelligerent, quos hi putarent annos eſſe ſolares dierum 365. Quare ut Judæi interdum computo majori, interdum minori & abbreviato utuntur in annis enumerandis, ita Ægyptii, modò annis ordinariis, modò longè minoribus in temporibus ſuis ſupputandis utebantur.

45. Et ſanè cùm de facto Ægyptii ab Adamo prognati ſint; Cùm nihil antiquius fuerit apud eos Epochâ Adamicâ; Cùm eorum ſacratiſſima Numina

Numina Iſidis & Oſiridis, Hammonis, Hori, Apidis, Serapidis &c. originem ſuam debeant iis quæ extant in Moſaica Hiſtoria, uti jam ante nos Eruditi obſervarunt; Cùm ab Hebraico תבה *Theva*, quo nomine Arca Noë exprimitur Gen: VI, 14. Thebæ, Urbs eorum antiquiſſima, nomen ſuum conſecutæ ſint; Cùm ordinem literas pingendi à dextro in ſiniſtrum, notatum ipſimet Herodoto *lib.* 2. ab Hebræis fuerint mutuati; Cùm in confeſſo ſit Circumciſionem non fuiſſe in mundo ante tempora Abrahami, cui primum divinitùs fuit demandata Gen: XVII, 10. & tamen hanc Ægyptii dicantur Herodoto *ibid.* exercuiſſe ἀπ' ἀρχῆς, & aliis populis communicaſſe: (licet Herodotus neſciat Ægyptii ne ab Æthiopibus, an hi ab illis hunc ritum acceperint; *nam*, inquit, *videtur eſſe perantiquum*) ſaltem cùm penitiſſimæ antiquitatis fuerit apud Ægyptios, & quo nihil prius nihil

antiquius habuerunt, uſus Circumciſionis, qui tamen antiquior Abrahamo nequivit eſſe, quamvis illi jactarent falſò ſe eam Syriis & Phœnicibus Palęſtinam incolentibus, ideſt Judæis ipſis, communicaſſe; nemo non videt magnas illas antiquitates de quibus apud Herodotum & Diodorum gloriabantur, eo ipſo in fumum evaneſcere: Aut ſi quæ ſit ratio quærenda conciliandi narrationes Ægyptiacas, apud Diodorum Siculum & Herodotum cum hiſtoria ſacra, debet arceſſi ab illa diverſitate anni, quam modò tetigi. Sic enim accuratiſſimus Cappellus *ad ann. mundi 1682.* id quod ſuprà notavimus ex Diodoro de Deorum & Heroum regno in Ægypto per octodecim annorum millia, & hominum per quindecim millia, pro quo ipſe legit in Græco textu ἀπὸ μυριάδος βραχὺ λείποντα τῶν πεντακοσίων, ideſt annorum decem millia minus quingentis, conciliat cum hiſtoria Sacra, hos

hos annos menſtruos triginta dierum aſſerendo; ita ut Diis ac Heroibus annos Julianos tribuat 1478. & mortalibus annos 780. juxta quem calculum ab initio regni Deorum in Ægypto ad tempora Diodori, qui venit in Ægyptum anno mundi 3940. fluxiſſent tantum anni 2258. unde ſequeretur ipſum Heroum & Deorum tempus, Diluvio quod incidit in annum mundi 1652. recentius eſſe pluſquam triginta annis; prout de facto *Miſraim*, quem Oſirim multi volunt eſſe, Ægyptiorum primus parens, potuit naſci circa annum mundi 1682. Orus verò anno 1778. Pariliter Capellus conciliat eundem Diodorum annos 4700. aſſignantem regibus indigenis uſque ad Cambyſem, ut ipſe quidem cenſet, cum hiſtoria ſacra, hos annos faciendo quadrimeſtres; ſic enim fieri annos Julianos 1544. qui deducti ex annis 3475. qui jam fluxerant ab orbe condito cùm Cambyſes

Ægyptum occupavit, darent annum mundi 1931. quo vel Miſraim vel Orus, ultimus Deorum in Ægypto, diem ſuum obierit, hominibus commendatâ in poſterum Reip. curâ.

46. Vidit Præadamita ſibi hanc ſolutionem poſſe objici, & propterea vehementer tumultuatur; Nam ex Herodoto refert *Ægyptios primos hominum omnium annos comperiſſe & diſtinxiſſe in duodecim menſes*, & ex Diodoro, quod apud Chaldæos, Sol anni, Luna menſis ſpatio, orbis ſui iter emetirentur; ac vult Ægyptios benè intellexiſſe quod extat Gen. 1, 14. de luminaribus poſitis *in ſigna & tempora & dies & annos*, juxta quod Lunæ menſium diviſio ceſſerit, Soli majori luminari annorum: Sed quamvis ex rei natura Sol ad idem punctum redeundo, annum diſtinctum à menſe metiatur, nec velim negare illam anni ſolaris rationem obtinuiſſe quoque apud Chadæos & Ægyptios; attamen nemo

ſanus

ſanus dubitaverit & menſes ex Lunæ curſu cognitos fuiſſe hominibus ante annos, ſic vulgo dictos, & menſtruum Lunæ decurſum per Zodiacum, annum ejus ſtatui poſſe atque debere. Quare Macrobius *in ſomn. Scip. lib. 2. cap. 11.* monet Virgilium *Æneide 3. magnum annum* vocaſſe, eum qui *curſu Solis efficitur ad diſcretionem Lunaris anni qui brevis eſt*, nempe menſtruus; nam *menſis*, inquit, *Lunæ annus eſt intra quem cœli ambitum luſtrat*. Pudentiæ quoque limites ſuperat Præadamita, dum negat ullos alios annos fuiſſe Ægyptiis quam Solares: Nam tota Antiquitas teſtatur contrarium, nequidem ipſo ſuo Diodoro excepto *lib. 1.* Ita Varro apud Lactantium *lib. 2. Inſt. cap. 13.* & Plinius *lib. 7. cap. 48.* Ita Proclus in *Timæum*, Αἰγύπτιοι τὸν μῆνα ἐνιαυτὸν ἐκαλοῦν, *Ægyptii menſem annum vocarunt*. Sed præſertim verba Plutarchi *in Numa* ſunt ad hanc rem notatu digniſſima; nam apud Romanos, inquit,

inquit, *ab exordio conſtitit decem menſibus annus, ut apud nonnullos barbaros tribus, & in Græcia apud Arcadas quatuor; ſex in Acarnania; Ægyptiis menſtruus annus fuit, mox quadrimeſtris, ut ferunt: Qui quamvis regionem colant maximè novitiam, habentur vetuſtiſſimi, & numerum annorum in annalibus ſuis in infinitum ſupputant, menſibus inter annos annumeratis.* Haud planè diſſimilia extant apud Cenſorinum *de die nat. cap. 19.* Sic plerorumque Indorum annos eſſe tantum menſtruos, & eos tempora per Lunas numerare, Laetius indicavit, & ex illius indicio confirmat Menaſſeh Ben Iſrael *in Spe Iſr. pag. 110.* Denique licet annos ſolares in ſuis ſupputationibus intellexiſſent Ægyptii apud Diodorum & Herodotum, & in ſtatuis ligneis priſcorum ſuorum regum nomina & ſeriem oſtentaſſent, non ſtatim ſequeretur illa pro veris ac indubitatis, etiam oppoſitè ad Sacram Scripturam, eſſe habenda: Quidni

enim

enim id factitatum in Ægypto, ab hominibus Idololatris, ac ſummoperè ſuperbis, & circa res à ſuis temporibus remotiores, quod proh dolor obſervamus quotidie in noſtra Europa & inter Chriſtianos, apud quos frequentiſſimo uſu venit ut tanquam vetuſtiſſima Antiquitatis monumenta venditentur, quę tamen heri & nudius tertiùs non tam facta quā ficta ſunt? Sanè quoties mihi objiciuntur 341. Coloſſi lignei totidem Regum apud Ægyptios ſimulachra exhibentes Herodoto, toties recurrit quod in *vita Peireskii* Viri Illuſtris, à Celeberrimo Gaſſendo conſcripta, *lib. 2.* legitur, eum videlicet anno 1605. poſt examinatos tumulos regum Galliæ, qui ad ſanctum Dionyſium oſtenduntur, in hæc verba erupiſſe; *Nihil potuit comperire quod ante Divi Ludovici tempora ſatisfecerit, exiſtimoque omnes illos antiquiſſimos tumulos, tempore eodem, nec multo ante D. Ludovicum conſtructos.* Quis au-

 tem

tem multo potiori jure non ſuſpicetur illos Ægyptiorum Coloſſos eadem manu poſitos fuiſſe, prout *Pictoribus atque Poetis, quidlibet audendi ſemper fuit aqua poteſtas?* Annon verò ludibrium debet Eruditis Præadamita, qui ut nugas Ægyptiacas propinet ſuis Lectoribus, nititur illis verbis Herodoti, *Et hæc Ægyptii pro compertis aſſeverant, ſeque ſcire aſſiduè ſupputando ſemperque annos deſcribendo?* Non dubitem Sacerdotes idolorum talia jactaſſe apud Herodotum, & hunc illa pro talibus admiſiſſe. Sed an inde melioris fidei ſtatues Ægyptios, quod id dicerent eſſe verum, Jovem lapidem jurare parati, in ſuorum Regum hominum annis putandis, quam in aliis ſuis fabulis de Diis per tot myriadas olim in forma humana Remp. ſuam adminiſtrantibus?

47. His non contentus Præadamita, Atlantidis fabulam ex *Timæo* Platonis, profert in ſcenam, & ingeni-
oſum

oſum commentum vult haberi pro hiſtoria; Solonem ſcilicet ab Ægyptiis comperiiſſe quod decem retro mille annis ante Deucalionis diluvium, ex Inſula Atlantica magna vis bellatorum prodierit, quæ Ægyptum & Græciam uſque ad columnas Herculis ſubegerit, & contra quam priſcorum Athenienſium præcipuè virtus enituerit, quorum ideo laudes carmine proſequi Solon in patriam redux inſtituerat, licet morte præventus abſoluere nequiverit. At verò lucem Soli fœnerare videbor, ſi pluribus oſtendero, hanc narrationem ſemper habitam pro fabuloſa, quo loco eam habet ipſe Plutarchus *in Solone*, ut ut ſectę Academicæ & Platoni addictiſſimus. Hinc Doctiſſ. Verulamius ad imitationem Platonis occaſionem arripuit novam Atlantidem conſcribendi. Aliàs debuerit illa Inſula Atlantica, quæ dicitur Platoni Aſiam & Africam magnitudine ſuperaſſe, & tot

Bellatorum quondam ferax, poſtea evanuiſſe, cùm ejus nec vola nec veſtigium hactenus reperiri potuerit: Et vir cordatus faciliùs admiſerit Judæorum deliramenta *de Iudæis clauſis*, quorum Hiſtoriam deſcripſit Eldad Danius Judæus à Genebrardo *ad calem ſuæ Chronologiæ* editus, & quæcunque ſomnia pronuper Menaſſeh Ben Iſrael protruſit in lucem in ſuo libello qui inſcribitur *Spes Iſraelis*, ex relatione alterius recutiti, quem Antonium Montezinum nominat, quam Platonicam fabellam Atlanticam pro vera hiſtoria ſuſceperit, cujus abſurda accuratè detexit Joſephus Acoſta *Hiſt. nat. Ind. lib. 1. cap. 22*, Quin Marſilius Ficinus *in Timæum*, poſt Porphyrium, Proclum, Origenem, pertendit hanc omnem Platonis narrationem allegoricè eſſe intelligendam. Nec ſi eam de facto Pſenophes Heliopolita & Sonches Saita Sacerdotes Ægyptii, obtruſerunt Soloni quo tempore populi

puli de antiquitate inter ſe certabant, ut Græcos tanquam *ſemper pueros* traducerent, & ſe ſolos Viros aſſererent, pari ſtultitiâ quâ Sinenſes omnes alios populos oculis captos, noſtros Europæos unoculos, ſe verò ſolos binis oculis inſtructos ſolent aſſerere, eo ipſo plus fidei mereretur: cùm è contrario idipſum debeat nobis reddere ſuſpectum quicquid aliàs Ægyptii de ſuis antiquitatibus portentoſis apud exteros jactitarint. Si enim homini Græco & Athenienſi, qui in patria ſua non erat peregrinus, nec ignorabat Athenarum ſuarum exordia, tam crudum mendacium quod Græcos & Athenienſes ſpectaret, & de ea inſula quæ toto orbe nuſquam eſt, audebant propinare, quo tanquam Polyhiſtores ad miraculum ſuſpicerentur; quid mirum ſi tam grandia de ſuis negotiis, de quibus illis erat credendum, non tam eloqui, quam mentiri ſoliti fuerint; quale ſanè il-

lud eſt quod ſuo loco ex Pomponio Mela retuli, jam bis ab Ægypti natalibus naturæ ordinem & ſitum converſum fuiſſe, & bis Soles occidiſſe quâ parte nunc oriuntur? Annon juſto Dei judicio excœcatus noſter Præadamita, qui dum Titanio conatu Scripturarum Sacrarum fidem & Authoritatem labefactare ſtudet, eo devenit ſtultæ credulitatis, ut fabuloſiſſima Ægyptiorum commenta pro ἀνυπευθύνοις veritatibus exoſculetur?

48. At, inquit, Solon vir prudens, omninò fuit *perſuaſus de illis quæ in Ægypto audierat & didicerat*, ac *verſus meditatus eſt in honorem Heroum illorum Athenienſium qui tam præclara peregiſſent facinora decem retrò mille annis ante vetuſtiſſimum Deucalionis diluvium.* Tranſeat cum reliquis erroribus quod Deucalionis diluvium *vetuſtiſſimum* fuerit; Id enim eſſe falſum, licet illud confundant plerumque Poetæ cum cataclyſmo Noachico, qui fuit univerſa-

lis,

ſis, norunt Eruditi. Sed ex eo quod Solon carmine exſequi & ornare deſtinaſſet hanc fabulam, nemo prudens collegerit, minus ei pro fabula illam fuiſſe: Notum enim eſt Poetas ſæpè ea ſumere pertractanda, & ſuis veſtienda coloribus, quæ tamen fabuloſa eſſe minimè neſciunt; An habebis Hiſtoriam Æthiopicam Heliodori pro vera, eo quod hic illius Author vir prudens & ſapiens fuerit? Cogites præſertim tunc Solonem de hac ſcriptione cogitaſſe, quo tempore otio abundans, juxta Plutarchum, & abhorrens à ſeriis, uni recreationi vacabat, dicendo

Ἔργα δ' Κυπρογενοῦς νῦν μοὶ φίλα
καὶ Διονύσου,
Καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν
εὐφροσύνας.

Sunt Veneris Bacchique mihi nunc
munera cordi,
Muſarumque, viros quæ recreare
ſolent.

49. At

49. At, inquis, *Solon ille ſapientum ſui temporis ſapientiſſimus, ignoraviſſet ne principium mundi, ſi fuiſſet ab Adamo, à quo uſque ad ſe tria nondum exacta erant annorum millia? Nonne refutaviſſet argumento illo inviĉtiſſimo Ægyptiorum nugas & fabulas, quæ tempora memoriæ Solonis vetuſtiſſima decem retro mille annis tranſcendebant?* Qui factum quod nec Græci nec alii populi extra fœdus Dei collocati & face verbi divini deſtituti, veram mundi Epocham ſciverint, ut ut ratione ſuâ uſi palpare potuerint eum ab æterno non fuiſſe; quod de rebus antediluvianis nihil penitùs cognoverint; quod nonniſi obſcuram memoriam ipſius Diluvii retinuerint, qualis ſolet eſſe rerum nuper factarum in febricitantibus vel ebriis; ſuo locum dictum eſt. Nec eſt quod magis miremur in Solone hanc ignorantiam quam veri Numinis, aut rerum phyſicarum, in quibus dicitur Plutarcho ἁπλᾶς λίαν καὶ ἀρχαῖος, *mirè ſimplex*

ſimplex & antiquarius, aut ſcientię Geographicę, ex qua noviſſet Atlanticam inſulam ad Utopiam pertinere: Et quamvis argumenta non habuerit quibus *Ægyptiorum nugas & fabulas* ſolidè refutaret, non tamen illicò eas pro hiſtoriis indubitatę fidei amplexus eſt; ſed potius id apud ſe cogitavit *Admiranda canunt ſed non credenda Poetæ*; prout & Diodoro Siculo, imò ipſi Herodoto, etſi omnia extera ex malignitate in Græcos, quam illi Plutarchus exprobrat tractatu expreſſo, maximi faceret, ſuſpecta videmus fuiſſe, quę ſibi narrarunt Flamines Ægyptii.

50. At, inquit iterum Præadamita, *Sacerdotes Ægyptios judicio vel ipſo D. Stephani ſapientes ſancitos, adeo ne rerum imperitos fuiſſe putabimus ut tam recens mundi principium ignoraviſſent, vel adeo ſycophantas ut quas pro compertis habuiſſent fabulas, pro compertis hiſtoriis obtrudere voluiſſent.*

voluiſſent, ſi quid tale de principio illo vel noviſſent vel dubitaviſſent? Quid præterea dicam, de tot viris egregiis & tanti nominis Philoſophis non minus prudentiâ quam eruditione præſtantibus, qui ad Sacerdotes illos confluebant, ut Ægyptiorum mores doctrinæque genus cognoſcerent, cum tanta opinione religionis & ſapientiæ Ægyptiacæ? Philoſophos-ne illos exiſtimabimus fuiſſe adeo lapides, ut non perſenſiſſent ſibi tam inepta & abſurda dari verba de hiſtoriis ab annorum myriadibus petitis, ſi illis vel tantiſper ſuboluiſſet mundum ab Adami temporibus uſque adeo noviter conditum? Sed ad populum phaleræ: Sapientia Ægyptiorum, partim Civilis, partim Phyſica & Aſtronomica, in qua liberaliter educatum fuiſſe Moſem teſtatur S. Stephanus Act. VII, 22. non debuit eos feciſſe omniſcios, aut tot ſæculis poſt tempora Abrahami & Joſephi, à quibus liberales diſciplinas acceperant, adhuc memores eorum quæ unà tradiderant de origine mun-

di &

di & gentium: Nec ſi commendat S. Stephanus Sapientiam Ægyptiorum, quo tempore Moſes natus fuit, inde ſequitur nihil corruptionis & depravationis ei acceſſiſſe ſequioribus temporibus, quibus Magiâ, Aſtrologiâ judiciariâ, Superſtitione & Idololatriâ multiplici infecta fuit. Et quî miremur iſtos μωροσόφυς neſciviſſe verum mundi principium ut ut ſatis recens, cùm neſciverint ipſius Numinis unitatem & naturam, & κοινὰς de Divinitate ἐννοίας omnium inſitas mentibus, mille horrendis ſuperſtitionibus extinguere ſategerint? Quî miremur itidem, illos veritatis neſcios, ex philautia & inſita vanitate, ad majorem Sapientię ſuę commendationem, ejuſmodi fabulas arte compoſitas & σεσοφισμένυς, ut loquitur Apoſtolus 2. Pet: 1, 16. obtruſiſſe exteris; cùm proh dolor mundus ſit plenus fabularum, iſtis haud omninò diſſimilium, ab iis excogitatarum qui-

bus

bus quæſtui ſolent eſſe mentes ſuperſtione captæ; & aliàs Ægyptii præ cœteris gentibus ab inſita vanitate & mendacitate ſemper fuerint notati, unde etiam natum Adagium, in verſutos & conſutorum dolorum fabros jactari ſolitum, Δεινοὶ πλέκειν τὰς μηχανὰς αἰγύπτιοι, *Nectunt ſtupendas machinas Ægyptii?* Quî denique miremur Græcos, fabulis ſemper addictiſſimos & æquè ignaros ſuæ originis ac alios, fabulas Ægyptiacas cum ſtupore excepiſſe, coecos coecis ſe ducendos præbuiſſe, & rerum Aſtronomicarum & Phyſicarum ſtudio, quod in illis Ægyptii præcellerent, in Ægyptum ex innata curioſitate navigaſſe, gemmas in ſterquilinio quæſituri?

51. Imò totum hoc Præadamitæ argumentum in ipſum poteſt retorqueri. Nam quo jure quo ve titulo Ægyptiis Idololatris licuiſſet certiora & magis comperta habere de origine & duratione mundi, quam cœteris terræ

popu-

populis, ac præſertim Iſraelitis, quibus potiùs ſolis conſtabant ex revelatione divina, quæ ad originem Univerſi & res antediluvianas ſpectare certò poterant? Nec mihi oggannias Gentiles quidem *in cognitione veri Dei* cœcos fuiſſe, ſed *argutos & lynceos* in rebus mundi, & quæ *originem & creationem ſuam ſpectabant*, juxta dictum Chriſti Lux: xvi, 8. Nam licet comparativè loquendo filii hujus ſæculi ſint prodentiores in terrenis & ſymbioticis rebus quam in divinis filii lucis, inde tamen non ſequitur certiora & veriora eſſe tribuenda illis quam his in iis quę originem & creationem ſpectant generis humani; cùm hæc non tam ſpectent terrena filiorum hujus ſæculi, quam cœleſtia & divina filiorum lucis Heb: xi, 3. Tum ex eo quod filii hujus ſæculi ſunt magis expediti in rebus ſoli, quam filii lucis in rebus poli, perperam colligas hos quam illos minus pollere in iis quę
ſunt

ſunt ſoli; cùm certum ſit, & lucu-lenter ab aliis comprobatum, nec alibi negatum Præadamitæ, ipſosmet Ægyptios, quicquid habuerunt verę ſapientię, primum Abrahamo, deinde Joſepho illius abnepoti, debuiſſe. At inquies tandem, ut Præadamita, Arnobius *lib. 1. ad verſus Gentes* videtur Atlanticæ narrationis veritatem admittere cùm ait, *Vt ante annorum millia decem, ab Inſula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, ſicut Plato demonſtrat, magna erumperet vis hominum & innumeras funditùs deleret atque extingueret nationes, nos fuimus cauſa?* Verùm ibi loqui tantum Arnobium ex Gentilium hypotheſi profana, quâ mundum ab æterno extitiſſe ſibi fingebant, & fabulam Platonicam de inſula Atlantica pro hiſtoria adoptabant; evidentius eſt quam ut multis debeat demonſtrari: Nam ſequentia Arnobii verba id ſatis indicant; *Vt inter Aſſyrios & Bactrianos, Nino quondam*

dam Zoroaſtreque ductoribus, non tantum ferro dimicaretur & viribus, verum etiam magicis & Chaldaeorum ex reconditis diſciplinis, invidia noſtra haec fuit? Vt Helena Diis ducibus atque impulſoribus rapta & ſuis eſſet dirum & venturis temporibus fatum, religionis noſtrae attributum eſt crimini? An quæſo hinc colligas vera fuiſſe Arnobio quæ vetuſtas fabulata eſt de præliis etiam Magicis inter Ninum & Zoroaſtrem, aut quę finxerant Pœtę de raptu Helenę *Diis ducibus*, cùm in illos ipſos Deos ex profeſſo ſcriberet? Et cùm Arnobium Præadamita nequeat divellere ab illis aliis Chriſtianis Patribus quos *Syſt. lib. 4. cap. 13.* queritur in *Adamo ſolo moratos eumque primum omnium hominum parentem cenſuiſſe, eo ſolo quod Adamum primum hominum legerent apud Moſem*, Arnobium non poteſt in cauſę Præadamiticę ſubſidium advocare. Ac ut verbo finiam, cùm *ibid.* profiteatur ſe *nullam fidem adhibere, vel Ægyptiis, vel Æthiopibus, vel*

Scythis,

Scythis, ubi ſe vel Aberigines vel populorum antiquiſſimos gloriantur; cur vult me credere fabulis illis Ægyptiis, quibus id ipſum quod credere non vult, aliis probatum & perſuaſum volebant?

52. Ab Ægyptiis tamen *lib. 3. cap. 6.* tranſit ad Scythas, quod *antiquiſſima ſemper credita* quæ de illis ſcripta ſunt, & diu contenderint *de generis vetuſtate* cum Ægyptiis. Sed neque ex contentione inutili & vana, ut ipſe agnoſcit, quicquam veri colligi poteſt, & ſuo loco oſtenſum in hac contentione ſuppoſuiſſe Scythas Diluvium præcedens univerſale, poſt quod ſuæ terræ ceu Ægypto editiores ante hanc incoli debuerint, apud Juſtinum *lib. 2. cap. 1.* & Scythas originis fuiſſe Adamiticæ, non tantum quod Ponti accolæ in communi dicti videntur ἄξενοι ab Aſckenas Japheti nepote eorum conditore Gen. x, 3. ut cenſet Bochartus *Phalegi lib. 3. cap. 9.* ſed quod re-

vera

vera ex *Magogo* filio Japheti Gen: x, 2. Scythæ fuerint propagati, ut idem Vir Reverendus *ibid.* docet *cap. 13.* poſt Euſtathium, Hieronymum & Theodoretum; & jam ante Bochartum monuerat VictorStrigelius *comm. ad lib. 2. Iuſtini.* Quantum ad Gallos, quos etiam huc trahit Præadamita, quod ſe *à Dite patre prognatos prædicant idque ab Druidibus proditum dicunt*, apud Cæſarem *lib. 6. de bello Gall.* & *ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum ſed noctium finiunt, & dies natales & menſium & annorum initia ſic obſervant ut noctem dies ſubſequatur*, primò non facit eos Præadamitas; cùm omnes Europæos, adeoque Gallos, *audax Iapeti genus* eſſe, ut eos vocat Horatius, ex Adamo per Japhetum Noæ filium prognatos, ſit certum; de Gallis ex Japheto ortis videatur iterum Bochartus *lib. 3. Phalegi cap. 6.* Deinde potiùs adſtruit narrationem Moſaicam, tum quia ex terra cujus Dis pater impe-

imperium habet, juxta Ethnicos, Adam eductus fuit, tum quia juxta Moſem & Judæos dies civilis incipit à nocte; unde *Nox* ipſis Poëtis antiquiſſima credita, & tanquam omnium hominum divûmque parens Orpheo celebrata; tantum abeſt, ut Galli ea ratione *tantâ ſeculorum caligine obductam ſuam originem* reputarint, ut inde ſe ab æterno extitiſſe arbitrarentur: quanquam & id verum, eos non ſatis de vera ratione ſuæ originis edoctos fuiſſe. Hîc verò operæpretium eſt referre quid Vir Doctiſſ. Blaſius Vigenerius, ad eum locum Cæſaris de quo agimus annotavit. *Cæterum,* inquit, *quantum ad hoc vocabulum Ditis, Beroſus qui diu ante Cæſarem ſcripſerat, neque id nominis ita ut ille uſurpabat, ita loquitur. Samothes qui & Dis, Celtis colonias fundavit; nequequiſquam illâ ætate iſto ſapientior fuit, ac propterea Samothes dictus eſt. Creditur autem,* pergit Blaſius, *fuiſſe eum quartum Iapheti filium, &*

veniſſe

veniſſe in Gallias regnatum circiter 130. annis poſt diluvium; eumque primum docuiſſe immortalitatem animorum cum Philoſophia & Aſtrologia, & ſecum attuliſſe ſcripturæ characteres Phœnicios, ut idem Beroſus ait, imò illos ipſos quos Cadmus diu poſt cum Græcis communicavit. Sed de eo tamen fides eſto penes authorem, cui forte Annii Viterbenſis Pſeudo-Beroſus imponere potuit.

53. De Sinenſibus quoque dicendum, quos etiam Præadamita in ſuę cauſę defenſionem profert, eo quod juxta Sinarum periodum, apud Scaligerum *de emend. temp. lib. 1.* annus Chriſti 1594. *erat à conditu rerum octingenties octies quater milleſimus ſeptingenteſimus ſeptuageſimus tertius*; Verum meminiſſe debuiſſet Præadamita horum duorum; Primùm, tempore quo ſcribebat Scaliger valde adhuc incertam noſtris hominibus fuiſſe Sinarum conditionem, de qua primò in Europa aliquid fando acceptum fuiſſe anno

1575. per quoſdam Auguſtinianos Monachos, ipſe Scaliger obſervat *de Emend. lib. 2.* Unde juxta eundem *ejuſdem operis lib. 5.* Sinæ à priſco rege ſuo Vitey, ad regem Honog, qui anno Chriſti 1572. vivebat, nonniſi annos 4282. putabant; Imò juxta ipſummet Præadamitam vix quicquam poteſt haberi certi de Chronologia Sinenſium; nam *lib. 4. Syſt. cap. 13.* refert ex Aluarezio à Semedo Luſitano in hiſtoria ſua Sinenſi, *Regem quendam nomine Tein juſſiſſe edicto comburi Sinenſium libros omnes, ſolis medicorum libris exceptis; imò & tantam calamitatem tam anxiè procuraviſſe per quadraginta annos quibus regnavit, ut & literas & literatos ſui ſaculi omnes penitùs everterit.* Quo argumento vult probare etiam malignis hominum mentibus fieri, ut populi veras ſuas origines & hiſtorias neſciant. Secundò, illam jactatam priùs prodigioſam longævitatem Sinenſium poſtea tenues evanuiſſe in

auras

auras ex quo licuit noſtris hominibus certiora de illis explorare; nihilque ab his compertum quod ultra Adami & Moſis Epocham extendatur; etſi mirum non foret in gente gloriæ cupidiſſima & deſtituta Scripturarum face prodigioſam illam Scaligeri periodum excitaſſe *tam temporum inſcitiam quam vetuſtatis affectationem*, ut cum eodem Scaligero loquar. Nuper admodum Martinus Martinius Jeſuita, à Societate Sinenſi Romam miſſus Procurator, edidit in hoc Belgio libellum *de Bello Tartarico*, in cujus *præfat. pag. 10.* dicit ſecum comportaſſe Sinenſis Hiſtorię *peruetuſta exemplaria deductoſque incredibili diligentiâ ab ipſo Noemi*, (voluit dicere *Noa* vel *Noachi*) *diluvio faſtos*; & *pag. 14.* promittit ſe *Sinenſem Chronologiam, cum ea quam ſacræ literæ nobis tradunt* compoſiturum: & *pag. 11.* refert P. Trigautium ejuſdem ſecum ordinis jam anno 1615. promiſiſſe ſe reducturum *in*

compendium & evulgaturum *Annales Sinenſium à quatuor ferè annorum millibus per continuos ſæculorum gradus deductos:* Unde patet revera apud illos nihil Moſaicâ & Adami Epochâ vetuſtius reperiri.

54. Denique ſollicitat Præadamita Americanos & Auſtrales homines nobis incognitos; *In ſæcula*, inquit, *itidem innumera, recurrit Americanorum de origine mundi computum; Atque innumera dubio procul deprehenderemus tempora de eadem origine apud Auſtrales homines, ſi terra eorum nobis eſſet cognita.* Sed quam abſurdè ariolatur, quid Auſtrales homines, ſi in eorum notitiam deveniremus, eſſent dicturi de ſua crigine, tam caret fundamento quod narrat de Americanis; Nam licet de eorum origine nondum conveniat inter Eruditos, tamen nondum vidi ullam relationem in qua dicerentur innumera ſæcula ponere ab origine mundi. Joſephus A Coſta

Hiſt.

Hiſt. nat. Ind. lib. 1. cap. 25. ait Indos aliquid de magno quodam diluvio quo omnes homines fuerint ſubmerſi, narraſſe, ſed variis deliriis & fabulis implicitum, nec quicquam ex ipſis de eorum origine conſtare potuiſſe, eo quod libris & literis deſtituti, nihil queant commemorare quod ſit antiquius quadringentis annis; Quare putant ſe eſſe Autochtones & Aborigines; quod tamen non magis illis quam Scythis aut Ægyptiis noſter Præadamita conceſſerit. Quod ſi bonis ſuis amicis Judęis credat, credet una eò magis Americanos Adamitas eſſe quod juxta illos propagati ſint ab Iſraelitis, ſive decem tribubus, ut multis argumentis ſtudet adſtruere Menaſſeh Ben Iſrael in libello qui inſcribitur *Spes Iſraelis*; cujus ſententiam vel adoptare vel refutare, non eſt mei hîc inſtituti.

55. Supereſt ultima ratio Præadamitę, in qua ventoſé ſtudet ſuam

πολυμάθειαν oſtentare, *lib. 3. Syſt. cap. 8. 9. 10. 11.* Deſumitur ea *ex progreſſu Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, Theologiæ & Magiæ Gentilium.* Pertendit enim non potuiſſe Chaldæos *diſciplinarum illarum exactam, qualem habuerunt tempore Abrahami,* vel Ægyptios qualem habuerunt *Moſis ſæculo, peritiam aſſequi per illud tempus quod ab Adamo formato ad natum Abrahamum intercipitur,* vel *ad exodum à Moſe procuratum numeratur.* Id verò probaturus ampullatis verbis differit *de conſtructione Sphæræ cap. 8. de antiquitate Aſtronomiæ cap. 9. de antiquitate Aſtrologiæ cap. 10.* & *cap. 11. de antiquitate Theologiæ & Magiæ Gentilium.* Verùm huic argumento, multa poſſunt reſponderi. Nam cùm ipſemet Novator ſive potiùs Veterator, qui tam vetera hîc ruſpatur, ſtatuat conceptis verbis *Abrahamum* has diſciplinas omnes *Ægyptios docuiſſe*, non video quâ cerebri ſanitate putet, non ſuffecturum fuiſſe Ægyptiis illis diſcipli-

ciplinis addiſcendis totum tempus quod fluxit ab Adamo ad Moſem, qui in illis fuit apud eos ſedulò inſtitutus, cùm eas didicerint multo minori ſpatio ſub inſtitutione Abrahami, inter quem ad Moſem natum non toti anni 400. interceſſerunt. Deinde hîc conjunguntur, quę meritò ſunt diſtinguenda: Nam perperam Aſtronomiæ conjungitur Aſtrologia judiciaria & divinatoria, quæ cum tota mendax ſit & falſa; tota nixa cerebrinis hominum commentis, Poeticis fabulis & falſæ illi hypotheſi quæ Aſtra Numina eſſe ſtatuit; tota ex Idololatria gentili deſumpta & conſuta; ut fuſè oſtenſum à Salmaſio in libro ſuo *de Annis Climactericis*, ex quo tamen uno omnia ſua hauſit homo noſter; multis ſæculis non eguit ad ſui inventionem: quippe quæ ipſomet fatente niteretur *principiis vagis & arbitrariis*, nec ullis certis & conſtantibus experimentis, quæ longo temporum de-

curſu fuerint acquirenda. Nec ullo argumento probatum dabit vel jam tempore Abrahami hanc artem vaniſſimam apud Chaldæos viguiſſe, vel virum Sanctiſſimum illam apud Ægyptios profeſſum fuiſſe. Quamvis enim Abrahami tempore, Chaldæi eſſent *Cœlicolæ*, nec alia numina admitterent quam ſydera, ut notat Mæmonides in *More Nevoch. p. 3. cap. 29.* in quorum honorem *Ignem* ſummopere venerabantur, ex cujus medio miraculoſè Patriarcham ereptum fuiſſe narrant; tamen cùm illi Idololatriæ ſtatuminandæ ſola Aſtronomia ſufficeret, nullâ ratione probabili evinci poteſt jam tum eos Judiciariæ vacaſſe, illi ſaltem quam ex Græcorum maximè monumentis deſcripſit Salmaſius; multo minus Abrahamum ex Vre vel igne Chaldæorum evocatum & abductum divinitùs, futiliſſimam & vaniſſimam illam artem Dei verbo expreſſè damnatam, aut excoluiſſe, aut

Ægyptiis

Ægyptiis tradidiſſe. Expendat præterea quilibet quod cùm intra ſic ſatis breve tempus, Thalmudicæ fabulæ & næniæ apud ipſoſmet Judęos in unum corpus potuerint coaleſcere, non opus fuerit plurimis ſæculis ad integrum Syſtema conflandum Aſtrologiæ divinatricis. Adde quod cùm pauciſſimis ſæculis tota Aſtrologia judiciaria Chaldæorum à Græcis potuerit immutari, non eſt quod illi excogitandæ multo plura indulgeantur. Quid quod Satan, qui operatur cum efficacia in filiis rebellionis Eph: 11,2. ſe immiſcens gentium illarum præpoſteræ curioſitati, potuit brevi tempore has omnes falſas hypotheſes illis jam in Aſtronomia edoctis ſuggerere, ex quibus futiliſſimæ & mendaciſſimę artis Theoremata conflantur, prout revera à Satana omnes artes divinatoriæ in mundum invectę ſunt. Et mira eſt ἀκαταστασία Præadamitæ, qui cùm *lib.3. cap.6.* admittat Ciceronem

refutaſſe *lib. 2. de Divinit. nugas divinationis Babylonicæ, pericula & experimenta illa, uſque adeo anxia & per tot millia annorum continuâ ſerie tradita, in digerendis puerorum genituris, quæ non probabilia Ciceroni viſa ſunt*, tamen ſui immemor & illius quod vulgò ajunt, Mendacem oportet eſſe memorem, ita loquitur *cap. 10. Nulla me amplius tenet admiratio tot millium annorum quæ poſuiſſe Chaldæos tradidit Cicero in periclitandis experiundiſque pueris.* Quaſi verò non debuerint hæc experimenta plurium ſæculorum jactare, utut falſiſſima, quo fidem aliquam apud credulam plebem vaniſſimæ ſuæ profeſſioni conciliarent.

56. Multo minus opus fuit tot ſeculis, qualia hic homo fingit Adami tempora præceſſiſſe, ad Theologiæ Gentilis & Magiæ inventionem. Nam ſanè omnis Theologia Gentilium nihil fuit aliud quam corruptio, depravatio & alteratio veræ Theologię, quam

quam adeo pręceſſiſſe oportuit; juxta illud Tertulliani, *Primum quodque veriſſimum.* Cùm autem vera & ſalutaris Theologia, antiquior Adamo non ſtatuatur à noſtro Præadamita, tam neceſſe eſt vanam & falſam Adamo eſſe poſteriorem, quam oportet mendacium eſſe recentius veritate, & morbum eſſe poſteriorem ſanitate. Et ille ipſe Mercurius Triſmegiſtus, vetuſtiſſimus Ægyptiorum Theologus, qui ex Firmico & Jamblicho commemoratur Præadamitę, fuit multo recentior Moſe, ut oſtenſum à Genebrardo *Chron.lib.2.pag.157.* Nec deſunt è Judęis qui primam Idololatrię originem velint notatam à Moſe Gen: IV, 26. Ac ſicut Atheologa Theologia Gentilium, non debet accenſeri partibus illius ſapientię Ægyptiacæ quam Abraham intulit in Ægyptum & in qua Moſes fuit ſedulò educatus, ita multo minus id cogitandum de Magia tum Operatrice tum Divi-

natrice, de qua tam multa hic noſter deblaterat. Abſit ut ſuſpicemur vel Abrahamum docuiſſe, vel Moſem didiciſſe unquam, vel Protomartyrem *Sapientiæ* nomine cohoneſtaſſe Act: 7. artem illam nefariam, non terrenam modò, ſed dęmoniacam, ut loquar cũ Apoſtolo Jac: III, 15. cui vacare crimen erat capitale legibus Moſaicis; & quę cum omnis à Diabolo patre mendacii orta fuerit, nulliſque experimentis aut rationibus naturalibus nixa, longo ſęculorũ tractu non eguit ad ſui perfectionem. Qui præceptore, imò deceptore, Satanâ vult uti, abſque diuturna mora τα' βάθη illius aſſequetur. Hetruſci Veteres, omnes ſuas diſciplinas iſtius furfuris ab uno puero in arantis ſulco reperto, ideſt malo aliquo genio hanc formam induente, didicerunt. An Magicæ artes ante Diluvium exercitæ fuerint, non eſt compertum; Antiquiſſimus earum author à Juſtino, Plinio & aliis ſtatuitur Zoroaſtres,

roaſtres, quem certum eſt poſt Diluvium extitiſſe. Et quam indignum eſt homine Chriſtianum nomen retinente haud occultum teterrimæ artis encomium quod hîc habet Præadamita, tam dignum eſt viro ſapiente illius vituperium, quod extat apud Plinium *lib. 30. Hiſt. nat. cap. 2.*

57. Miſſas igitur facimus Theologiam Gentilem, Aſtrologiam judiciariam, & Magiam Diabolicam ac ſuperſtitioſam, in quibus nollem Pręadamitam videri voluiſſe tam verſatum, & quas certum eſt vel eo ipſo eſſe poſtadamiticas, quod à Satana ſunt profectæ; cui, etiam ex hypotheſi hujus hominis, nihil imperii potuit obtingere in homines ad eos ita ſeducendos, ante peccatum Adami: Nam ante legem Adamo latam, ut ipſe cenſet, peccatum non imputabatur; ſi non imputabatur, non etiam puniebatur: ſi non puniebatur, nulla efficacia potuiſſet eſſe Satanæ ad hominum

minum ſeductionem; cùm vix gravior pœnitio queat eâ concipi, quâ juſto Dei judicio laxantur ipſi habenę ad homines ſeducendos; vide Apoc: xx, 3. Sed quominus ex Aſtronomia & confectione Sphæræ poſſit colligi multo plura ſæcula concipienda eſſe in mundo, quam quæ numerantur ab Adamo, multa evincunt. Nam primò Adam conditus ad imaginem Dei & ſapientiſſimus habebat ſibi congenitam omnium rerum naturalium, adeoque & motuum cœleſtium, accuratiſſimam notitiam: unde omnibus animalibus ſua indidit nomina propria & eorum naturæ optimè convenientia. Et quamvis per ipſius peccatum multum de primæva illa ſapientia perierit, tamen dubitari non poteſt quin multas adhuc quoad phyſica retinuerit προλήψεις; quas ei facile fuit longo & diuturno exercitio per 930. annos ita ἀναζωπυρεῖν ut ex illis integrum Syſtema Phyſicum & Aſtro-

Aſtronomicum excitaretur ad Inſtitutionem ſuæ poſteritatis. Huic quidem veritati vehementer repugnat Præadamita *Syſt. lib. 4. cap. 1.* ſed ſine ulla ratione. Fatetur Adamum perfectum formatum fuiſſe, & ut loquitur *perfecti humani nihil à ſe alienum habuiſſe*; ſed pertendit illum exceſſurum fuiſſe *perfectum humanum & ſuum ſi momento illo quo formatus eſt, ſcientias, artes & diſciplinas omnes calluiſſet*; adeoque nonniſi *ſemina* illarum accepiſſe, quæ poſtea *cogitatione & ratiocinio, cultura & tempore ex* illius *potentia educi potuerunt.* At hæc ſunt fruſtranea. Nam ut non dixerim omnes omninò artes ac diſciplinas Adamum actu noviſſe; cùm earum multas invexerit & invenerit illa dia paupertas & dira neceſſitas, cui ex peccato homines facti ſunt obnoxii; ita negari nequit ad perfectionem ipſi debitam pertinuiſſe cum Juſtitia originali Sapientiam eximiam, quæ abſolveretur cognitione Dei & ope-

operum divinorum, qualis & quanta cadere poteſt in hominem perfectum, & cui tale Dominium in hæc omnia inferiora obtigerat quod abſque ſublimi ſapientia exerceri non potuiſſet. Neque video quo jure neges tantum ſaltem lucis in mente ejus accenſum à Deo momento quo conditus eſt, quantum quis poſſit conſequi adjutus omnibus illis ſubſidiis, quæ hodie dantur ad humanas ſcientias comparandas. Tu potuiſti ope Præceptorum & librorum tibi comparare notitiam Theoriæ Planetarum, conſtructionis Sphæræ, Aſtronomiæ totius, multo accuratioris quam fuit *Chaldaica*, quæ de Ecclypſibus Solis nihil poterat ſtatuere; An ergo nequiverit Deus, præceptor longè perfectior, tantundem Adamum momento quo eum condidit docuiſſe? Quod ſi nihil à Deo fuiſſet conſecutus præter *ſemina* ſapientię naturalis, quę *culturâ & tempore* ex potentia in actum poſſet educe-

educere,tum ſanè non fuiſſet conditus perfectior unoquoque noſtrûm, cùm etiam poſt peccatum omnium mentibus inſita ſuperſint ſemina ſapientiæ naturalis & humanę, ex quorum cultura cum tempore, multi homines comparatè ad alios ſapientes evaſêre. Non eſt etiam talis conditus Adam qui ſolum poſſet cum tempore ſapiens & juſtus fieri ſi animum intenderet, ſed revera & actu *rectus* Eccl:VII,29. ſapiens & juſtus prodiit ex Conditoris ſui manu; ut id negare Pręadamita nequeat niſi palam ad Socinianos, apud Socinum ipſum de *ſtatu primi hominis cap. 4.* transfugiendo, & hanc eorum hæreſim cum multis aliis quibus confutus eſt adoptando.

58. At,inquit, *Dei fuit non hominis rerum quæ nondum extiterant cauſas cognoviſſe*; Id verum eſt, ſi nequidem ipſæ exiſtant cauſę, aut tales non ſint quæ ad ſuos effectus neceſſariò & naturaliter ordinentur; ſed hominis fuit Dei bene-

beneficio intelligere ad quos effectus producendos, creatæ fuiſſent illę cauſę naturales & neceſſariæ, quarum, ut pote jam exiſtentium, notitiam obtinebat: Verbi gratiâ, cùm non neſciret luminaria cœli & ſydera à Deo condita ut eſſent in ſigna cùm tempeſtatibus, tùm diebus & annis Gen: 1, 14. non potuit neſcire quibus motibus & revolutionibus ſtatis, annos, menſes, tempeſtates varias, ſignare & efficere deberent. At, inquit iterum, cùm *nihil potuerit eſſe in intellectu* Adami *quod prius non fuiſſet in illius ſenſu*; nihil de *prioribus* vel *futuris* potuit intelligere aut præſumere, *niſi cognitione aut potius conjecturâ illâ, quæ potuit elici ex conſideratione rerum præſentium.* Quare *non potuit* *Cœli regiones, quæ Sphæræ cognitio eſt, animo deſcribere quin terrarum regiones prius deprehendiſſet, neque rurſus terrarum regiones deprehendere potuit, quin terras prius omnes peragraviſſet & undequaque luſtraviſſet. Illa autem nonniſi dietim peterran-*

terrando, videndo & meditando, perfici potuêre; juxta illud Pſalmi 19. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam; Quo loci dies rerum notat apprehenſionem quæ ſit per viſum ſenſuum nobiliſſimum; nox verò ratiocinium quod ex rebus apprehenſis conſultando & meditando colligitur. Verùm in hoc diſcurſu plura ſunt abſurda quam verba: Abſurda eſt & violenta ſententię Davidicæ interpretatio; cùm Propheta ad literam nihil ſibi aliud velit quam dies & noctes ſibi mutuo ſuccedentes per jugem motuum cœleſtium revolutionem, jugem quoque nobis ſuppeditare materiam Potentiæ & Glorię Divinæ celebrandæ; Et præpoſterè diſcurſus nocti, ſenſatio diei tribueretur, cùm tantum dignitate ſenſationem ſuperet diſcurſus, quantum dies noctem. Abſurdum eſt axioma quo nititur. Nihil eſſe in intellectu quod prius non fuerit in ſenſu: Intelligimus enim Deum & Angelos, qui

qui tamen ſenſibiles non ſunt. Intelligunt quoque Deus & Angeli perfectiſſimè abſque ſenſuum adminiculo; & dari communes προλήψεις ac notiones omnium hominum mentibus naturaliter inſitas, de exiſtentia Dei, de diſcrimine turpis & honeſti, &c. non ſolum agnoſcit ſanior Philoſophia, ſed luculenter teſtatur Paulus Rom: 11, 14. 15. Nec dubium quin Deus menti humanę æquè ut Angelicę eam creando, multas ingenuerit ſpecies intelligibiles, quarum adhuc reliquias in natura noſtra corrupta obſervamus: Et huic aſſertioni refutandæ ſufficere poteſt vel unius Didymi Alexandrini exemplum, de quo ita loquitur Hieronymus *in Catal. Didymus Alexandrinus captus à parva ætate oculis & ob id Elementorum quoque ignarus, tantum miraculum ſui omnibus præbuit, ut Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maximè viſu indiget, uſque ad perfectum didicerit.* Abſurdum

eſt

eſt Sphæram non potuiſſe confici niſi ab eo qui omnes terræ regiones peragraſſet & oculis ſuis perluſtraſſet: Nam id ſtatui nequit de ullo eorum in quos ſolet rejici primæSphærę conſtructio; ſive is fuerit Anaximander Mileſius, ſive Archytas Tarentinus, ſive Archimedes Syracuſanus, cui Cicero & Maternus id tribuunt, ſive AthlasRex illorum Maurorum ac Phœnicum qui ſe fugatos à Joſua profitebantur in illa Mauritaniæ columnà cujus meminit Procopius, ut cenſet ex Heurnio Gaffarellus, vehemens Aſtrologiæ aſſertor, *Curioſit. inaud. cap. 9. §. 1.* Proculdubio multo plus ad hanc fabricam contulit diligens & attenta conſideratio motuum cœleſtium quam ocularis terrarum inſpectio; ut ex ſola perceptione hypotheſêon Copernici, potuit nonita pridem Guilelmus Blaeu, Amſterodamenſis, abſque ulla peregrinatione ad exteros, Sphæram Copernicianam accuratiſſi-

ratiſſimè fabricari ; Sed etſi hæc omnia Præadamitæ tam vera eſſent quam falſa, non obeſſent tamen noſtrę ſententię ; Spectarent enim ſolummodo ſcientiam rerum Aſtronomicarum acquiſitam & experimentalem, quę nonniſi tractu longo temporis & varia locorum conſideratione potuerit obtineri; Non verò illam earùndem ſcientiam innatam, quam oſtendimus in Adamo ex ſua creatione ad imaginem Dei eſſe omninò agnoſcendam.

59. Igitur ut falſum eſt quod aſſerit Præadamita, nequiviſſe Adamum in ſtatu integritatis *niſi paulatim & ſucceſſione temporis*, rerum naturalium ſcientias adipiſci, ita nobis non obeſt alia ipſius ἔνϛασις, quam videtur deſumptam velle ex eorum hypotheſi *qui volunt animum Adami poſt peccatum tenebris fuiſſe obductum & rerum ignorantiâ hebetatum.* Hanc ſanè hypotheſin, ſi ipſe non admittat, ut eam non videtur admittere, debuerit Adam eo fa-

cilliùs

ciliùs poſt peccatum propagare omnem ſuam ſapientiam naturalem ad ſuos poſteros, quod nihil ex illa perierit per peccatum; Sed nobis ſatis eſt, quod licet mens Adami multum obtenebrata fuerit per peccatum, primævæ tamen illius ſapientiæ, ſaltem in phyſicis, multę adhuc notiones & principia multa remanſerint, ex quibus accedente meditatione & experientiâ tot ſæculorum quibus vixit, potuit diſciplinarum naturalium Syſtemata multò accuratiora ſuis poſteris tradidiſſe, quam illa ſunt omnia quæ hodie ex Veterum monumentis conſarcinantur. Nec enim videmus, cur illa hypotheſis de obtenebratâ mente Adami per peccatum, ſuggillari poſſit ab hoc homine, niſi ex conſtanti ſtudio omnes veritates Chriſtianæ Religionis evertendi, juxta quas ignorantia & tenebrę mentis humanæ, quam ipſe Ariſtoteles agnoſcit ſe habere ad veritatem ut oculum

lum veſpertilionis ad lucem, inter *pœnalitates*, ut Scholæ loquuntur, iſtius peccati veniunt accenſendæ, quod & ſacræ literæ docent Eph:iv, 18. & ipſimet Judæi agnoſcunt, nominatim Menaſſeh Ben Iſrael *de fragilit. humana, p. 1. §. 5.*

60. Sed etſi largitus fuero nihil Sapientiæ eximiæ Adamum fuiſſe conſecutum ſui creatione ad imaginem Dei, ex quo poſteros ſuos erudiret, dico tamen ipſius & filiorum ſuorum longævitatem ſuffeciſſe adinveniendis illis diſciplinis de quibus nunc agitur, ſaltem quoad earum fundamenta, quibus alii poſtea ſuperſtruxerunt, ut addere inventis facile eſt. Novimus quam brevi temporis ſpatio ex rudioribus principiis, ars typographica & tormentaria, hæc belli, illa pacis, ad eam perfectionem quâ nunc viſuntur ambæ, perductæ fuerint. Et cum Joſephus tradat *lib. 1. Ant. cap. 3.* Sethum Adami filium diligenter incubuiſſe

cubuiſſe Aſtronomię ſtudio, & Aſtronomicas Inſtitutiones non ſolum tradidiſſé ſuis filiis, verùm etiam duabus columnis, lateritiæ uni, alteri lapideæ, inſcripſiſſe, ut illa contra vim ignis, hæc adverſus impetum aqúarum perennaret, quod Adamus prædixiſſet tum Diluvio ſemel, tum ſemel incendio orbem hunc periturum, neſcio cur altiùs Aſtronomicarum diſciplinarum originem velit Præadamita repetere. Eſto fuerit opus ad earum theoremata adſtruenda, etiam variarum in orbe plagarum inſpectione; ſanè non erant ita addicti glebæ Macrobii illi primi homines, ut hinc inde non tranſirent opera Dei mirabilia luſtraturi, & ea conquiſituri Sapientiæ fundamenta quibus ſui poſteri tutò & facilè inædificarent. Nec potuerunt primi mundi homines omninò principiis Aſtronomicis caruiſſe, apud quos & annorum & menſium diſtin-

P

diſtinctio obtinebat, ut ex Hiſtoria ſacra Noachi & Diluvii evidenter apparet. Ut verò difficile eſt ariolari quo uſque in illis proceſſerint, ita dubitari nequit illis optimè imbutos fuiſſe tres Noachi filios, ut facillimè iis excolendis vacare potuerint illi eorum poſteri qui poſt linguarum confuſionem Babylonicam regionem occuparunt; ſive Nimbrodus cum ſuis ex Chamo avo ſuo ea repetierit, ſive Babyloniis quidam ex Heberi familia in qua priſcum prioris ſapientiæ & linguæ lumen inextinctum remanſerat, ſe poſtea adjunxerint, ſive, quod nonnulli ex PſeudoMethodio dicunt, & adoptavit R. Abraham Zachut *in libro Iuchaſin*, Jonicus à Noa genitus poſt diluvium, totus in eo ſtudio fuerit, & illud Nimbrodianis, quibus erat à conſiliis in bello gerendo, communicaverit. Sed cùm hoc tanquam fabuloſum, meritò rejiciat Bochartus *lib. 4. Phalegi cap. 38.* alterum duorum

rum priorum ſufficiet indicandæ viæ per quam tranſierint ad Babylonios Aſtronomicæ diſciplinę, in ſuis ſaltem principiis, quibus ſuperſtruere illis facile fuit quicquid poſtea in Aſtrologicis & Magicis ductore Satanâ commenti ſunt. Ut neque harum aliarum-ve artium prætextu, nec ullâ aliâ probabili ratione, homo ſanæ mentis poſſit ſuſpicari Epocham conditi orbis & rerum ab hominibus geſtarum multo altiùs quam ab Adamo eſſe repetendam; quod hîc demonſtrandum ſuſceperam.

QVÆRITVR

Quartò, An ex dicto Pauli Rom: v, 12.13.14. ſequi debeat homines ullos ante Adamum extitiſſe? Neg.

Mirum agit Diſputatorem Præ-adamitarum aſſertor; nam ex celebri loco Pauli Rom: v, 12.13.14. ſuos Præadamitas vult extundere; & tamen in eo explicando, magis ſupponit quam probat illos eſſe admittendos: Ac prout pueri nolis ſonantibus affingunt ea quæ ipſi vel cantillant vel ruminantur, ita etiam hic homo affingit Paulo quæ ſomniat febricitans, & ſuos Præadamitas quærit in eo dicto Apoſtoli, quod quam illis averſetur, fuſè demonſtravi *quæſt. 1. §. 20. & ſeqq.* Quæ argumenta, planè apodictica adverſus hunc errorem ex Paulo ibi protuli, repetere

petere nihil attinet: Solum videndum, an ullo fundamento probabili nitatur hujus Quæſtionis affirmativa quâ iſte Author nititur, & ex qua ſuum Achillem facit, tum in ſua *Exercitatione ad hunc locum per totam*; tum *Syſt. lib. 1. cap. 1. & ſeqq.* tum etiam *lib. 5. per totum*; nam & quæ hoc quinto libro delirat, dum ſibi videtur valdè ſubtiliter θεολογεῖν huic ſuæ explicationi inædificantur. Statim autem *Exercitat. cap. 1. & Syſt. lib. 1. cap. 1.* proponit textum Apoſtoli juxta V. V. his verbis; *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, ita etiam in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccaverunt: Nam uſque ad Legem peccatum erat in mundo; peccatum verò non imputabatur non exiſtente Lege. Regnavit autem mors ab Adamo uſque ad Moſem, in eos etiam qui non peccaverant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami qui eſt typus futuri.* Hæc autem verba *cap. 9. 10. 11. & 12. Exercit.* ita παραφράζει; *Per Adamum*

mum qui tranſgreſſus eſt legem Dei, ortum & natum eſt peccatum, & per illud intravit mors in mundum, quâ ratione ipſum peccatum, per violatam legem ab uno illo homine Adamo; Nam uſque ad hanc legem datam Adamo, peccatum erat in mundo, & per peccatum mors etiam; ſed quia peccatum non imputatur non exiſtente lege, peccatum & mors nullum jus in mundo uſurpaverant, quia ante illud tempus, lex nulla data erat à Deo; ſed regnare incœpit per imputationem peccati, qua ratione cœpit imputari peccatum per tranſgreſſionem legis Dei; adeoque ab Adamo uſque ad Moſem, id eſt à momento illo quo Adamus tranſgreſſus eſt Legem Dei, uſque ad Moſem, ſive ad legem Dei datam Moſi, & quamdiu lex illa data Moſi viguit; & ita mors regnavit ab Adamo uſque ad Moſem etiam in eos qui non peccaverant ad ſimilitudinem peccati Adami, violando ut ipſe legem Dei.

2. In hac autem non tam explicatione quam ſtolida depravatione tex-

tus

tus Apoſtolici, tot occurrunt ἀτοπήματα, ut non aliunde quam ab hominis fanatici læſo cerebro prodire potuerint. Quod ut faciliùs demonſtremus, ordine ſunt expendenda abnormia illius poſtulata, quibus everſis, illicò corruere oportet quicquid illis ſuperſtruere voluit. Primò abſurdè ſupponit peccatum & mortem fuiſſe in mundo jam ante Adamum, cùm tamen disertè Paulus dicat quod per Adamum & peccatum & mors introjerint in mundum. Nam quæſo te, quî dicetur Adam ſuâ tranſgreſſione peccatum & mortem in mundum introduxiſſe, & genus humanum utrique ſubjeciſſe, ſi jam diu ante illum peccatores erant tui Præadamitæ & ex peccato morti obnoxii? Etenim juxta Apoſtolum, te fatente *cap. 9. Exercit. quemadmodum poſito peccato, ponitur & ſequitur mors, ita etiam reciprocè poſitâ morte infertur neceſſariò peccatum.* Huic vulneri mirum adhibet emplaſtrum: Diſtin-

Diſtinguit *cap. 14. Exercit.* inter peccatum *materiale* & *formale*, quorum illud *manet à natura noſtra*, hoc *à lege*; illud ſit *peccatum peccans ſimpliciter*, hoc verò *peccans* καθ' ὑπερβολὴν Rom:VII, 13. Et *Syſt. lib.1. cap.1.* illud vocat *naturale* & *non imputatum*, hoc *legale* & *imputatum*; Ac *ibid.* mortem pariliter facit aliam *naturalem*, quæ *peccatum naturale conſequuta eſt*, aliam *legalem*, *quæ peccatum legale ulta eſt*. Vult ergo per Adamum quidem intraſſe peccatum legale & formale in mundum, & exinde mortem legalem, ſed tamen ſuos Præadamitas fuiſſe antea peccato & morti naturali obnoxios. Verùm id omne fingere gratis poteſt, probare non poteſt. Ita enim abſolutè loquitur Apoſtolus de peccato & morte per Adamum in mundum introductis, ut neget vel mortem vel peccatum ante illius tranſgreſſionem in mundo fuiſſe: Et ſanè ſi Præadamitæ fuerunt ex peccato morti obnoxii, neceſſe

ceſſe eſt mortem in illos regnaſſe, adeoque mentiri Apoſtolum ſtatuentem regnum & imperium mortis ab Adami tranſgreſſione incœpiſſe, juxta comminationem ipſi factam divinitùs Gen: 11, 17. *Quocunque die comederis, morte morieris.*

3. Diſtinctiones verò Prędamitę ſunt futiles & ineptę: Equidem nonnunquam in Scholis diſtinguitur inter *materiale* & *formale* peccati, ut illud denotet ſubſtantiam actus in genere *entis*, hoc ejus depravationem, ſive privationem rectitudinis debitæ ineſſe in genere *moris.* Sed quam ineptè diſtingueres inter hominem materialem & formalem, etſi conſtet homo ſuo materiali & formali, tam ſtultè peccatum diſtribuis in *materiale & formale*, eo quod in omni peccato poſſit diſtingui illius materiale à formali. Imò cùm forma det eſſe rei, tam abſurdè fingas aliquod peccatum quod ſuo formali careat, quam abſurdè fin-

 geres

geres peccatum quod peccatum non eſſet. Et ſi quando dicunt Scholaſtici hoc vel illud eſſe peccatum *materialiter* non *formaliter*, id dicunt de ejuſmodi actu, cui ob defectum ex parte agentis omnis culpæ, nullum pœnæ meritum adhęrere cenſetur: Ita cùm quis merè fortuitò, citra ullam ſuam culpam vel latam vel levem, alium occiderit, ut lignator ille cujus fit mentio Deut: XIX, 5. homicida dicetur *materialiter* non *formaliter*; quia illo caſu nullum reatum, nullum meritum pœnæ contraxit. Plura exempla ſimilia poſſent commemorari, quamvis illis nolim annumerare cum Vaſqueſio *lib. 3. de Adorat. diſp. 1. cap. 5.* & Breſſero ejuſdem ordinis *lib. 5. de Conſ. cap. 12.* eum qui adoraverit Diabolum apparentem ſub forma Crucifixi, ut idololatra ſtatuatur *materialiter* tantum non *formaliter*; cùm operam det rei illicitæ & debeat dignoſcere ſpiritus num ex Deo ſint 1 Joh: IV, 1.

IV, 1. At verò non auſit negare Præadamita ſuum peccatum *materiale* mereri pœnam, & peccatorem reatui ſubjicere coram Deo. Abſurdius diſtinguit peccatum in *legale* & *naturale*: Nam nec propriè peccatum eſt *à Lege* originaliter & derivativè, ut eſt à naturali noſtra corruptione; cùm Lex ſe habeat ad peccatum, non ut fons & cauſa illius, ſed ut menſura & regula ad regulandum; & revera omne peccatum legale eſt, prout juxta Johannem I. III, 4. dicitur eſſe ἀνομία, id-eſt defectio à Lege, ſive Legis tranſgreſſio: Et tantum abeſt ut poſſit concipi aliquod peccatum quod in nullam legem impingat, ut è contrario dicat Apoſtolus Rom: IV, 15. ibi non eſſe tranſgreſſionem, ſive peccatum, ubi lex non eſt: Habet ibi Vulgatus Interpres vocabulum *prævaricationis*, ex quo vult hîc homo adſtruere ſuum peccatum *legale*, oppoſitè ad *naturale*: Sed neque id nomen

Latinum, neque Græcum παράβασις quod eſt in textu originali, aliter hic ſumi poteſt quam genericè, pro eo omni quod Græcè ἁμαρτία, vel ἀνομία, Latinè *culpa, peccatum, crimen, vitium* dicitur; Et juxta Vallam *lib. 6. prævaricari* nihil aliud eſt quam *quoquomodo à præſcripto officii deflectere*; nam ita illi dicuntur *varicari* qui *vari* ſunt & obtortis cruribus incedunt, adeoque neſciunt ὀρθοποδεῖν, quâ voce Paulus utitur Gal: II, 14. Nec aliud ſibi vult Apoſtolus Rom: IV, 15. dicendo, οὗ γὰρ οὐκ ἔστι νόμος οὐδὲ παράβασις, quam quod habet Rom: V, 13. ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Quare ſi datur aliquod *naturale* peccatum, quale, fateor, poteſt dici nativa illa corruptio quæ ab Adamo ad nos derivatur, juxta quam *naturâ filii iræ* dicimur Eph: II, 3. illud quoque neceſſariò *legale* erit, ideſt deviatio à Lege: Nam omne peccatum quà tale habet in ſe meritum pœnæ, quod *reatus*

Theo-

Theologis dicitur; Pœnę verò ſanctio & denunciatio eſt à Lege : Ac prout nihil pœnam meretur niſi quod lege interdictum eſt, ita nihil niſi quod lege damnatur habet rationem culpæ & peccati : & quod lege nec prohibetur nec mandatur, in ſe adiaphorum & exercitio licitum cenſetur. Sed opponere peccatum naturale legali, & illud ab ipſa *natura noſtra*, imò & *materia* quâ conſtamus, derivare, quid aliud eſt quam cum Manichæis inſanire, & noſtræ corruptionis originem cum Blaſto & Florino in Deum, qui hanc condidit materiam, rejicere? Scio quidem multum inſudaſſe Veteres circa hanc quæſtionem, *Vnde malum*; Sed cur illius arceſſemus originem ab ea materia quam Deus condidit ab initio, ut cætera omnia, valdè bonam, cùm tam luculenter conſtituatur ab Apoſtolo in voluntaria tranſgreſſione Adami, per quem unum peccatum & mors totum genus humanum pervaſerunt?

4. Sed

4. Sed quoniam Præadamita ſibi plaudit in hac ſua diſtinctione, & multa impia inde deducit conſectaria, operæ pretium eſt ut paulò preſſiùs expendamus quid ſibi velit. *Syſt. lib.1. cap.5.* pertendit *materiam quâ homines in principio coagulati ſunt fuiſſe corruptioni deditam*, quod probat eò quod *ex recto in pravum converſi ſunt.* Atqui non ſolum id repugnat Scripturæ dicenti omnia fuiſſe valde bona quæ Deus creavit, ſed etiam rectæ rationi: Nam cùm materia hominis pręcisè conſiderata ſit res bruta, nec vitii nec virtutis per ſe capax eſt: Imò neque ſubjectum corruptionis moralis poteſt eſſe materia, principium per ſe merè paſſivum juxta Philoſophos; ſed ipſa natura intelligens & libero arbitrio prædita. At, inquit hic homo, Hominum materia vocatur ideo *Caro*, *qua materia hominum eſt per ſe & ſimpliciter immunda, polluta, corruptio & merum inquinamentum, apud omnes auctores*

ſtores ſacros. Verùm licet id ſit verum de *carne* in ſenſu *morali*, ut notat illam vitioſitatem quæ totum hominem occupat, lege ſuæ generationis ex Adamo jam corrupto & depravato, quia *quod natum eſt carne caro eſt* Joh: III, 6. falſiſſimum eſt de *carne* in ſenſu *phyſico*, ut in compoſitione hominis contradiſtinctè ab anima rationali, ejus partem materialem ſonat: Nam primus Adam ſuam carnem à Deó conſequutus eſt virginem & impollutam: Nec factus fuiſſet à Deo *rectus* Eccl: VII, 30. & præditus ſuâ imagine, quæ in *juſtitia* & *ſanctitate* potiſſimum conſiſtit, ſi peccatorum ſemina naturæ ejus inſeviſſet, & eum veſtiviſſet carne per ſe ac ſimpliciter immundâ atque pollutâ. Chriſtus ſecundus Adam factus particeps hoc ſenſu παραπλησίως carnis & ſanguinis Heb: II, 14. & factus caro Joh: I, 14. atque manifeſtatus in carne I Tim: III, 16,

III,16. & in illa mortificatus 1 Pet: II,18. fuit tamen agnus Dei *immaculatus & incontaminatus* 1 Pet:I,16. *qui non novit peccatum* 2 Cor:v,21. *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus* Heb:VII, 26. & *per omnia* nobis ſimilis *excepto* tantum *peccato* Heb: II, 17.IV,15. Quin, reclamantibus licet Socinianis, hujus carnis quâ conſtamus reſurrectionem credimus, & nos Deum in hac carne viſuros Job: XIX, 2. 25. quod ſanè ſperari non deberet, ſi per ſe & ſimpliciter ex intrinſeca ſua conſtitutione eſſet immunda & polluta, imò merum inquinamentum; cùm nihil immundum & pollutum poſſit ingredi in regnum cœlorum.

5. Ut tamen hoc ſuum peccatum *naturale* adſtruat Præadamita, miram fingit primorum hominum creationem *eodem cap. 5. lib. 1.* Vult enim eos creatos quidem *perfectos & à quibus perfectorum hominum nihil alienum eſ-*

ſet,

ſet, ſed qui virtute & vi creationis ſuæ ſaperent tantum quod hominum eſſet non quod Dei eſt: imò qui *vitium* ſibi haberent inſitum, quod *fermentum fuit in illorum pectoribus creatione potentius quo toti intumuerunt & depravati ſunt*; Quin eo uſque provehitur *cap.6.* ut vitium illud materiæ inſitum, appellet *Spiritum hujus mundi*, de quo Paulus 1 Cor:11, 12. quem ait eſſe *Spiritum creationis quo mundus animatus est & qui toti ſe ejus machinæ in creatione miſcuit, quem Deus faſtidit & reprobat*, licet eo *afflaverit creata & viventia mundi omnia*; Libenter prætereo quæ inſuper addit *cap. 7. de variis ſive diis ſive ſpiritibus*, quos deſerto ſuo domicilio ſimiliter dicit afflaſſe *quæcunque creationis legibus ſubjecta fuerant*; nec non *capp. ſeqq.* de *recreatione* & illius *Spiritu*; Nam ut meras continent τερατολογίας & cerebrina deliria, ita longius nos abducerent, ſi ſigillatim venirent examinanda: Nec enim hoc Augiæ ſtabulum

lum ſuſcepi repurgandum, ſed primarium duntaxat de Præadamitis dogma refutandum, & quæ illi ſtatuminando iſte homo febricitando ſomniavit. Hîc ſufficiat obiter annotaſſe 1. Spiritum hujus mundi ſub hoc formali, nullâ ratione eſſe à Deo, cùm Spiritus Dei & Spiritus mundi opponantur Apoſtolo 1 Cor. 11, 2. & Johannes neget ex Patre eſſe quod ex mundo eſt 1 Joh. 11, 15. 16. Imò eo ipſo non poteſt cenſeri Deus mundo inſeviſſe illum Spiritum mundi, quod eum *faſtidit & reprobat.* 2. Abſurdè ſtatui Spiritum mundi vitium eſſe materiæ inſitum & *fermentum* noſtræ corruptionis, cùm Spiritus omnis quà talis ſit expers materiæ & ab illa diſcretus ac ſeparatus; Id verò quod Rabbinis dicitur יצר הרע *Iatſar harang, figmentum malum*, non fuit à Deo inſitum materiæ noſtræ, ſed ab Adamo primo poſt voluntariam ipſius corruptionem & admiſſum *venenum*

nenum Serpentis, ut interdum Rabbini loquuntur, ad ſingulos ipſius poſteros traductum & propagatum. 3. Impiè tribui ejuſmodi perfectionem hominibus creatis, quâ ſaperent tantum *quod hominum eſſet non quod Dei eſt*, cùm hominum perfectio moralis in ſalutari Dei notitia conſiſtat; & ſapere tantum quæ ſunt hominum non quæ ſunt Dei, ſit maximè culpabilis imperfectionis, propter quam à Chriſto, etiam cum Satanæ nomine, acriter reprehenditur Petrus Matth: xvi, 23. *Vade poſt me Satana; ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt; ſed ea quæ hominum.* Sed hæc omnia ſunt ejuſdem furfuris cum iis quæ habet *cap. 4. lib. 1. Syſt.* de *imagine Dei* duplici alia *prototypi* & *extima*, alia *naturæ* divinæ & *intima*, ut illâ demum donati fuerint homines in prima ſua creatione, hanc vero in ſui recreatione obtineant; item *cap. 5.* de modo quo homines redierunt *ad ingenium naturæ & materiæ ſuæ corruptioni*

corruptioni dedita, quem rejicit partim in Dei deſertionem, partim in eorum negligentiam, quâ factum ut non obſtiterint ſuis cupiditatibus, nec *belligeraverint cum geniis ſuis:* eumque *cap. 4.* explicat partim exemplo horologii affabrè facti, quod tandem *corrumpitur vel naturâ materia ſua corruptibilis, vel incuriâ Domini in cujus poteſtate eſt*; partim ex Plauto, ſimili ædium quæ neglectæ ſitum contrahunt & tandem ruunt & pereunt. At verò fruſtrà ſe fatigat in quęrenda illius corruptionis, ſub qua fatiſcit genus humanum, origine aliâ quam quæ ex peccato Adami ab Apoſtolo tam palam arceſſitur.

6. Ex iſtis autem hypotheſibus, juxta quas Deus eſt author & cauſa peccati illius quod *naturale* dicitur Præadamitæ, hæc iſtius peccati naturalis deſcriptio enaſcitur *eod. cap. 5.* quod ſit *Reverſio hominum à perfectione creationis ad vitium naturæ & carnis ſuæ* quod ſecundum Apoſtolum Rom: VII, 18. 20.

18.20.21.23. *habitat in carne noſtra, nobis adjacet, lex eſt in membris hominum captivans homines in lege peccati, quæ in membris illorum eſt.* Verum hîc neſcias, an juxta hunc hominem iſtud *vitium naturæ* materiæ noſtrę à primordio inſitum, ſit illa lex membrorum & peccati cujus meminit Paulus, an verò id dicat de ipſo reditu hominum ad hoc vitium naturæ; adeo neſcit ubi conſiſtat, vel in quo ſuum peccatum naturale à legali diſtinctum conſtituat. Lex verò illa peccati & membrorum, ſub qua gemebat Apoſtolus, nihil aliud denotat quam nativam illam corruptionem & penitiſſimè inſitam non materię tantum noſtræ, ſed ipſiſmet mentium noſtrarum facultatibus omnibus, quæ derivatur in ſingulos ab Adamo, qua de cauſa tam ſæpè *Veteris hominis* nomine exprimitur in Scripturis Rom: VI, 6. Eph: IV, 22. Coloſſ: III, 9. Sed hic homo voluit cœlum terræ miſcere, & ſacras
Scripturas

Scripturas violenter detorquere, imò nequiter corrumpere, ac ipſi Deo omnium ſcelerum noſtrorum originem adſcribere, ut ſuos Præadamitas orbi obtruderet. Hinc etiam *cap. 2. lib. 1. Syſtem.* *duplex peccatum* ſtatuit *in Adamo naturale & legale*; *Naturale quod naturaliter Adamo inhæſit ex vitio naturæ ſuæ & materiæ peccatricis quâ formatus eſt; Legale quod accidit & imputatum fuit Adamo ex violata lege Dei:* & hoc vocat inſuper *myſticum & ſpiritale*. Sed præterea quod alienum ſit à ſtylo Scripturæ & planè ridiculum fingere peccata *myſtica*, juxta hanc diſtributionem debuerit Adam fuiſſe conditus originaliter peccator, non originaliter juſtus, ut ſtatuunt omnes Chriſtiani, imò ante fuiſſe peccator, idque naturali ſuâ conſtitutione, quam Tentatoris ſuaſu tranſgrederetur legem Dei; quod ſuâ abſurditate ſe abundè refutat. Quin etiam *Exercit. cap. 14.* ſuum peccatum materiale & naturale adſtructurus, bellè

bellè grammaticatur; *Latini* (inquit) *nomen peccati mutuati ſuntà pecore: Quoties enim homo delirat à recta ratione illa, quæ hominem conſtituit; quoties impulſu materiæ ſuæ, quam habet communem cum brutis, quid agit dignum pecore & indignum homine; toties cadere videtur à ſpecie ſua & incidere in ſpeciem pecoris ſive bruti: Quicquid enim fit ab homine vel incuriâ Numinis, vel irâ, vel libidine, vel aliquo alio appetitu, commune ei eſt cum pecudibus, quas natura finxit ad terram pronas neque ad cœlum converſas.* Sed neque ſic obtinebit quod vult: Haud gravatè equidem conceſſero, toties hominem à ſua ſpecie quadantenus degenerare & fieri ſimilem mulis & equis quibus non eſt intellectus, quoties deflectit ab orbita rationis & officii ſui. Quò ſpectare poteſt non tantum quod finxerunt Poetę de poculis Circes, quibus homines in belluas transformabat, ſed etiam quod extat apud Davidem Pſalm: XLIX, 13. juxta

juxta V. V. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Sed tamen nego illos actus belluinos, quos homines peccando utcumque imitantur, poſſe dici in beſtiis peccata vel *materialia* vel *naturalia*; cùm beſtiæ nec juris nec injuriæ, nec vitii nec virtutis capaces ſint; unde dicitur quadrupes *pauperiem* facere, non injuriam; nam, inquit Ulpianus *l. 1. ff. Si quadrupes, non poteſt animal injuriam feciſſe quod ſenſu caret*, quod repetitur à Juſtiniano *Inſt. eod. tit.* Deinde nec certum eſt peccatum Latinis dici *à pecore*; cùm alii putent derivari *à pellico*, id eſt committo adulterium; & præterea poſſet à *pecore* derivari, quod ſacrificia ex pecoribus deſumpta quondam offerrentur pro peccatis expiandis: Sic enim Hebraicum אשם *Aſchem* denotat & delictum ipſum & victimam quâ eluitur. Adhæc etſi videantur peccata quædam hominum naſci

naſci directè ex appetitu ſenſitivo quem communem habent cum beſtiis, dum inordinatè verſantur circa ea quæ ſpectant vel individui conſervationem vel propagationem ſpeciei, ideſt quæ ſunt aut ventris aut eorum quæ infra ventrem, multa tamen ſunt alterius ordinis quę ſpectant facultates ſuperiores animę, & quę belluino impetui adſcribi non poſſunt, imò quorum nullum ſimulachrum extat in beſtiis, ut ſunt hęreſes, ambitio & cupido laudis, idololatria, ſpiritus blaſphemię & ſimilia; Quo reſpectu peccata in *carnalia* & *ſpiritualia* haud immeritò à Theologis diſtribuuntur; de qua diviſione à nobis dictum *Syſt. noſtri loco* 6. §. 51. His quoque addo quod ſi naturalia hominum peccata diſtinctè ab uno legali Adami ſint ab eorum materia, nullius peccati Angeli capaces eſſe potuerunt. Nam non potuerunt peccaſſe peccato legali, quod hic homo

facit Adamo proprium; ſiquidem Lex Adamo lata de arbore ſcientię boni & mali ad Angelos non pertinuit: Multo minùs potuerunt peccaſſe peccato materiali, cùm ſint expertes omnis materię.

7. Sed ut comminùs evertam hanc diſtinctionem peccati in naturale & legale, ſufficiat oſtendere quod illius membra coincidant inter ſe, nec poſſint conciliari cum diſtinctione priori, quâ peccatum in materiale & formale diſtribuebatur. Dico primò membra hujus diſtinctionis inter ſe coincidere: Nam peccatum debet dici legale quod impingit in Legem Dei & illâ expreſſè prohibetur: At omnia peccata naturalia Præadamitæ impingunt in Legem Dei: Apoſtolus enim agnoſcit peccatum illud inhabitans, ſub cujus pondere gemebat, quod aliter vocat legem membrorum & legem peccati, (& quod ſuprà Præadamita *naturale* faciebat) Legi *Dei* adverſari,

adverſari, ei nominatim quæ dixerat *Non concupiſces* Rom: VII, 7. 22. 23. Tum *Exercit. cap.* 14. *rapacitatem*, *ſitim efferam ſanguinis*, *inceſtas nuptias*, *libidinoſas nefandarum venerum prurigines*, facit *communes* homini cum brutis, (quamvis nec ullæ ſint nuptiæ propriè dictæ inter bruta, quas violent aut fœdent adulterio vel inceſtu, nec ſocietates politicæ, quas temerent rapacitate ſuâ) ut indè aſtruat eas dicendas peccata naturalia. Quis tamen neget illas in Dei Legem impingere, & diſtrictè prohiberi Lege Dei, adeoque peccata legalia cenſeri debere? *Dico* ſecundò iſtius diſtinctionis membra, non poſſe conciliari cum diſtinctione priori: Nam ſanè illa omnia peccata quæ naturalia dicis, ſunt peccata propriè dicta, adeoque talia, non *materialiter* tantum, ut velles, ſed etiam *formaliter*, eo quod adjunctum habent reatum coram Deo, ideſt ex culpa meritum pœnæ. *Hoc eſt enim jus*

Dei ut qui talia patrant ſint digni morte Rom: 1, 32.

8. Neque fœliciori acumine hanc ſuam peccati dichotomiam veſtit alio habitu, dum peccatum materiale & naturale, vocat *non imputatum*, formale & legale, *imputatum* appellat. Nam inde ſequeretur peccatum ſuam formam conſequi ab imputatione; cùm tamen imputatio ſit actus juſtitiæ divinæ, exigentis juxta ſanctionem Legis pœnam peccati quod propriè & formaliter peccatum eſt: Abſit enim à Deo juſtiſſimo ut imputet cuiquam ad pœnam id quod pœnam non meretur. Tum peccata quæ Deus remittit, ſunt peccata non imputata: Nam David Pſal: xxxii, 12. & Paulus Rom: iv, 7. 8. remiſſionem peccatorum, per eorum non imputationem exprimunt; Hæc tamen peccata non imputata fidelium, erant peccata formalia & legalia: Uno verbo, imputatio vel non imputatio peccati, eſt aliquod

aliquod ejus accidens quod nihil facit ad ſpecificam illius conſtitutionem & naturam. Verùm videor mihi hîc odorari profundius aliquod myſterium iniquitatis: Videtur enim Præadamita unicum facere peccatum imputatum, formale & legale, nempe peccatum Adami; ut cœteras omnes noſtras culpas, per novum Anomorum monſtrum, neget unquam ad pœnam imputandas, ut pote quæ ſint ſequelæ naturales & neceſſariæ primævæ noſtræ conditionis & materię. Sed neque illi diſtinctioni ſuę adſtruendę poſſet facere quod Paulus Rom: VII, 13. docet peccatum inhabitans, ideſt habitualem illam quam in ſe ſentiebat corruptionem, factum fuiſſe per legem & pręceptum *ſummè peccans*, ſive, ut legit Hieronymus *ad Algaſiam q. 8. peccantius peccatum*; prout *nitimur in vetitum ſemper cupimuſque negata*, & dantur quędam vulnera quę emplaſtris impoſitis potiùs irritantur quam
 ſanan-

ſanantur: Nam peccatum ſimpliciter inhabitans & peccatum peccans, ideſt germinans atque pullulans in varia ſcelera, ut Jac:1, 15. dicitur *concupiſcentia poſtquam concepit parere peccatum*, non opponuntur Apoſtolo, niſi per modum ejuſdem habitus vel quieſcentis vel operantis, adeo queduas diſtinctas ſpecies peccati non conſtituunt; notumque illud tritiſſimum, *Plus & minus non variant ſpeciem*. Adhęc peccatum inhabitans, quod irritatur occaſione Legis, inſtar calcis quę aquâ ſuperfuſâ incendi ſolet, aut ſerpentis frigore conſtricti, qui admotus igni reſumit vires & virus ſuum effundit, eſt peccatum non materiale tantum ſed formale atque Legale, illi præcepto oppoſitum quo Lex dicit, *Non concupiſces*. Ne dicam perabſurdè Prędamitam hoc trahere ad ſuam hypotheſim; cùm Paulus hîc loci non agat de lege poſitiva Adamo data circa arborem ſcientiæ boni & mali, ex

qua.

qua vult extundere ſuum peccatum formale & legale; ſed de Lege Morali, ut ſummatim Decalogo continetur; ex qua palam intelligimus etiam motus primò primos latentis concupiſcentiæ eſſe vitioſos & peccaminoſos coram Deo.

9. Sed ut nullo modo ſubſiſtere queunt futiles iſtæ diſtinctiones peccati, ſic multò minùs poſſunt adaptari textui Apoſtolico: Nam cùm Paulus peccatum intelligat formale & legale dicendo, quod per unum hominem peccatum introjit in mundum, ita nulla ratio ſubeſt cur aliud genus peccati intellexerit in ſequenti pericopa, dicendo peccatum uſque ad Legem fuiſſe in mundo; ſiquidem divinari non poteſt qua de cauſa idem vocabulum ἁμαρτίας utrobique uſurpatum, tam diſſonas ſignificationes obtineret, ex quibus ſequeretur Apoſtolum propoſuiſſe de cępis & de alliis concluſiſſe. Neque plus ineſt virium

in altera Pręadamitę diſtinctione, quâ mortem *legalem* per Adamum introductam, & quæ ipſi in mero figmento ſita eſt, diſtinguit à *naturali*, quæ jam multo ante inter Præadamitas ſuos ex eorum naturali peccato ſævierit. Nam ut ipſemet loquitur *Syſt. lib. 1. cap. 1. Peccati cujuſvis, ſive illud naturâ, ſive illud lege condias, individuum opſonium mors eſt.* Et tamen ſui immemor, ad mortem naturalem vult *cap. 3.* reſtringere dictum Apoſtoli Rom: VI, 23. *Opſonium peccati mors.* Hic ſanè poſſemus pluribus refutare evidentem hujusce hominis Pelagianiſmum & Socinianiſmum, quo ſtatuit *eod. cap. 3.* eos falli *qui aſſeverent homines nunquam morituros, ſi Adamus nunquam peccaviſſet*; Verùm ipſemet ſuo ſe jugulat gladio; Dum enim ipſam mortem quam appellat naturalem, facit opſonium, ſive potiùs ſtipendium peccati, debet unà fateri illi locum futurum non fuiſſe ſi Adamus in hoc non incidiſſet. Et cùm
mors

mors dicatur per peccatum introiiſſe, manſiſſet ergo excluſiſſima, niſi hæc janua ei aperta fuiſſet.

10. At, inquit, *immortalitas quæ vita æterna eſt, & quam ſola potuit perficere recreatio,* non potuit *comparari hominibus vi & virtute creationis primæ, quæ naturâ ſuâ corruptioni & morti obnoxia eſt.* Imò potiùs inde colligas ad immortalitatem & vitam æternam creatos fuiſſe homines modò non deflecterent ab officij tramite, quod ad immortalitatem recreantur: Nam recreatio ſive ſecunda creatio, non corrigit, ut retur, vitia primæ, in qua nequidem ipſe Momus quicquam potuiſſet reperire quod carperet; ſed hominem reſtituit multo firmius illis bonis quæ in prima acceperat, & quibus ſuâ culpâ, non creationis ſuæ vitio, exciderat. Et tantum abeſt ut prima creatio fuerit *naturâ ſuâ corruptioni & morti obnoxia*, ut è contrario ideo homines inciderint in corruptionem

& mortem, quod ultrò ab ea perfectione quam in ſua creatione fuerant conſequuti, deflexerint & defecerint: Quod ſi prima creatio talis fuerit *naturâ ſuâ*, ergo conditi fuêre ipſi Angeli corruptibiles & mortales. Ad quid verò *arbor vitæ* data homini, niſi in pignus fœlicitatis & immortalitatis conſequendæ ſi permaneret in officio, prout Venerabilis Beda dicit eam fuiſſe *Sacramentum vitæ æternæ quam obediendo mereretur*; (videatur Moſes Barcepha *de paradiſo p. 1. cap. 20.*) quandoquidem illi non ante interdicitur, quam ubi ſuâ culpâ mortalitatem ſibi accerſivit? Imò quî fit quod Chriſtus ipſe *arbor vitæ* appelletur in Scripturis, niſi quoniam in ipſo recuperamus id quod amiſimus in Adamo, & cujus in arbore vitæ pignus & Sacramentum obtinebat? At, inquit, *morituri naturaliter fuiſſent homines, qui naturaliter corruptibiles atque adeo mortales creati fuerant.* Sed jamdiu eſt

eſt quod Scholæ Chriſtianæ huic argutiæ reſponderunt; ita factos fuiſſe primos homines, ut poſſent quidem corrumpi & mori ſi peccarent, de facto tamen nec corrumpendos nec morituros fuiſſe ſi manerent in officio: Licet non obtinuerint eam immortalitatem gratiæ quâ non potuiſſent mori, obtinuerant tamen eam naturæ, quâ potuiſſent non mori. Nec ſtatim debet reſolvi in ſua principia, quod ex reſolubilibus conſtat; Non illicò oportet eum vulnerari in prælio qui cum Achille non fuit merſus in Stygem, & ex ſe vulnerabilis eſt. Fragilia erant crura Chriſti ex rei natura, licet ex Dei decreto frangi nec potuerint nec debuerint. Ipſimet Philoſophi Peripatetici ſtatuunt cœlos nunquam eſſe corrumpendos, licet eâ conſtent proculdubio materiâ, in qua aliàs ob imperfectionem formarum in quibus non acquieſcit, alternis ludunt generatio & corruptio.

Imò, ut ait Auguſtinus *lib. 1. de pecc. mer. & remiſſ. cap. 3. Si Deus Iſraelitarum veſtimentis & calceamentis præſtitit quod per tot annos non ſunt obtrita, quid mirum ſi obedienti homini ejuſdem potentiâ præſtaretur ut animale ac mortale habens corpus* (mortalitate remotâ non proximâ) *haberet in eo quendam ſtatum, quo ſine defectu eſſet annoſum tempore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem ſine media morte venturus.*

11. Nec video quâ fronte vel conſtantiâ Præadamita aſſerat Adamum fuiſſe moriturum etiam ſi nunquam peccaſſet, cùm non modò ſtatuat mortem eſſe ſtipendium peccati, ſed etiam *capite 5. lib. 1. Syſt.* lapſum hominum in peccatum naturale, ſive eorum *reditum*, ut loquitur, *ad ingenium naturæ & materiæ ſuæ corruptioni dedita*, ipſorum adſcribat libero arbitrio, quod fieri non poteſt ſi ex intrinſeca neceſſitate naturæ erant determinati ad peccatum & mortem. Ac ubi *cap. 3.*

urgetur

urgetur verbis Dei ad Adamum Gen. II, 17. *Quocunque die comederis ex eo morte morieris*, unde ſequitur evidenter eum reatum mortis nunquam contracturum fuiſſe, ſi Dei mandatum nunquam tranſgreſſus fuiſſet, recurrit ad ſuam diſtinctionem mortis naturalis & legalis, hoc inepto argumento, quod *quamvis decreto legis moriantur qui occidunt, non ideo tamen immortales ſunt qui occidunt*. Verùm quamvis inter homines ſoleant diſtingui variæ ſpecies mortis, præmaturæ, violentæ, naturalis, juridicæ, quam ineptè hic homo vocat *mortem civilem*, tamen reſpectu Dei & in foro poli omnis mors in ſe eſt legalis, ex juſto Dei judicio & Legis ſuæ ſanctione: Nam mors omnis & generatim loquendo reſpectu Dei eſt pœna peccati. Inde dicitur mors ingreſſa in mundum *per peccatum* Rom: v, 12. & corpus mortuum eſſe *propter peccatum* Rom: v III, 10. & *peccati ſtipendium* eſſe mortem

Rom: vi, 23. & ideo *mortem* eſſe *quod ſapit caro*, *quia quod ſapit caro inimicitia eſt adverſus Deum & Legi Dei non ſubjicitur* Rom: vii 1, 6.7. & in Adamo *omnes* mori 1 Cor: xv, 22. & *peccatum peractum* gignere mortem Jac: 1, 15. Quis verò ſanæ mentis negaverit eam mortem quæ à Deo infligitur in pœnam peccati, eſſe reverâ legalem, ac ei ſimilem quam incurrunt homicidæ in foro ſoli, prout dicit Apoſtolus, hoc eſſe *jus* ſive *δικαίωμα Dei*, *nempe eos qui talia faciunt eſſe dignos morte* Rom: 1, 32. Quod ergo nugatur iſte homo de duplici Adami morte, alia naturali, quâ debuit fungi ex quo *materiâ corruptibili & mortali compactus eſt*, alia legali, *ex condemnatione legis quo momento legem Dei attentavit*, tenues abit in auras: Nam ſupponit Adamum jam peccatorem fuiſſe & morti obnoxium antequam peccaſſet, ut homicida eſt mortalis ex natura ſua corrupta, priuſquam contrahat reatum mortis

mortis ignominioſæ, infamantis & juridicæ ex patratione cædis; & diſſimulat illam ipſam mortem quam naturalem facit, eſſe ex parte Dei pœnalem, adeoque juridicam & legalem.

12. At, inquit, *mortuus intelligitur Adam illo ipſo die, imò illo ipſo momento quo peccavit in legem Dei,* ergo *morte legali & ſpirituali,* cùm non ſit defunctus *morte naturali niſi quando exegit triginta & nongentos vitæ ſuæ annos.* Sed hoc futile eſt: Nam illo ipſo die & momento quo peccavit, debitum & reatum mortis contraxit, & factus eſt, ut loquitur Scriptura, בן־מות *Ben-maveth*, ideſt *Filius mortis*, licet ſententiæ executionem ſuis de cauſis diſtulerit Deus: Ita ſi mulier damnas capitis, poſt ſententiam pronunciatam gravida deprehendatur, ſolet differri ſupplicium uſque ad diem partus: manet tamen victima mortis & carnificis. Tum etiam revera cœpit Adam mori illo die quo peccavit, non

tantum

tantum quia illo momento ſpiritualiter mortuus eſt, ideſt deſtitutus animæ reſpectu favore & amore Dei, ac juſtitiâ illâ originali quâ prius placebat ſuo Conditori; unde timor, tremor, fuga, latitatio, nuditatis ſuæ conſcientia, ad vocem Domini poſt ſuam culpam Gen. III, 10. ſed etiam quia mancipatus fuit ærumnis, *laboribus* & miſeriis hujus vitæ, quæ ſunt ipſius mortis prodromi & præludia; Nec propriè ultimâ & decretoriâ horâ morimur, ſed abſolvimus mori: Ultima gutta clepſydræ eam non exhaurit, ſed abſolvit exhaurire; & quo momento peccavit Adam, ut quo momento nunc quiſque naſcitur, fuit ſauciatus lethaliter & ad mortem. Scitum illud Senecæ *epiſt. 24. Quotidie morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam; uſque ad heſternum quicquid tranſiit temporis periit;*

periit ; hunc ipſum quem agimus diem cum morte dividimus.

13. At, inquit iterum, fuerunt Adamo *labores ante & poſt peccatum*; illi *ſecundum naturam agricolationis naturales*, in cultura Paradiſi, iſti legales *ex condemnatione & qui mente ſolâ concipi potuerunt*, juxta illud *In laboribus comedes ex terra cunctis diebus vitæ tuæ* Gen: III,17. Ita, inquit, *multiplicavit Dominus ærumnas fœminæ quando ex condemnatione ſpirituales & myſticos dolores addidit naturalibus illis quibus naturaliter fœmina rumpitur cùm parturit. Multiplicavit Dominus ſubjectionem fœminæ ſub dominio viri quando addidit condemnationem ex lege, legi illi naturali quâ naturaliter ſexus nobilior dominatur ſequiori.* Ita etiam *quod erat inditum Serpenti à natura creationis ſuæ ut reperet & ſerperet,* abijt illi in pœnam *poſt peccatum ex decreto Dei & condemnatione illa quæ ſpiritu cogitatur* : haud diſſimilia extant, ut coccyſmi ſunt frequen-

tes

tes huic homini, *Syſt.lib.1.cap.3.* Sed hæc omnia partim vana, partim falſa ſunt. Vana equidem ad hanc quæſtionem; Nam ſi mors aliàs naturalis abiit homini in pœnam peccati, ut partus dolores mulieri, & rependi neceſſitas ſerpenti, debebit mors illa naturalis non fuiſſe pœna & opſonium peccati, contra quam ſuprà ipſe met fatebatur. Sunt etiam falſa: Nam in cultura horti ante lapſum Adam tenebatur ad labores jucundos, expertes tædii & moleſtiæ, nec aliò inſervientes quam ad exercitium, experientiam virtutis naturæ & fugam torporis ac otij, quod eſt ærugo bonarum mentium, ut facilè putreſcunt aquæ ſtagnantes; *Arcus intenſione frangitur*, inquit Publius, *animus remiſſione*: At poſt peccatum, factus ſervus pœnæ, damnatus fuit ad labores longe diverſos, ærumnoſos nempe & tædioſos, quibus terram maledictioni ſubjectā ex ſua culpa & ſpinis ac tribulis contra

tra ipſum inhorreſcentem, ſudore ſuo debet irrigare, ut ab illa ſuum panem extundat. Quid ergo mihi fingis labores naturales in pœnam illi conſtitutos, cùm prioribus jucundis & gratis, ætati aureæ ſub qua tum degebat convenientibus, alii planè ſucceſſerint, quos ſatis diverſos fuiſſe ab illis, ipſe protoplaſtus revera ſenſit & expertus eſt; inſtar eorum qui ab honeſto òtio quo fruebantur in lauta fortuna derepentè rapiuntur ad triremes aut damnantur ad metalla; Hoc diſcrimen didiciſſet Præadamita ex textu originali, ſi ad eum attendiſſet; Nam Gen. 11, 15. dicitur Deus poſuiſſe hominem integrum in horto, לעבדה ולשמרה *Legnaveda vleſchamera*, *ad colendum eum & ad cuſtodiendum eum:* עבדה *Gnavoda* per ſe nihil moleſtiæ vel duritiei infert; Imò interdum pro Numinis cultu ſumitur, quo nihil eſt jucundius. At Gen. 11, 17. dicitur homini jam peccatori quod eſſet ex

terra

terra בעצבון *Begnitſavon*, ideſt propriè in *laborioſo dolore* comeſturus. Nam vox illa laborem cum dolore & moleſtia junctum ſignificat, à עצב *gnatſav* quod propriè eſt *doluit*, *dolore affecit* vel *affectus fuit*.

14. Mulieri ſimiliter naturalia in pœnam non abeunt: Sed primùm ei denunciantur graviſſimi partitudinis dolores, quos longè majores eſſe in mulieribus quam in cœteris animantibus obſervat ipſe Ariſtoteles *lib. 7. de Hiſt. animal. cap. 9.* licet illius cauſam neſciverit. In ſtatu vero Innocentiæ & ante peccatum, geſtationem futuram fuiſſe matribus ſine faſtidio, & partum abſque dolore, aſſerit Auguſtinus *lib. 14. de Civit.* Dei *cap. 26.* Tunc enim, inquit, *ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaſſet*; ad quæ verba hæc annotat Doctiſſ. Vives; *Nunc etiam maturitas illa pariendi extendit atque aperit oſſa pectinis, quæ alio tempore*

vix

vix disjungeret ſecuris validè impacta; ſed nunc cum ingenti cruciatu, tunc ſine dolore. Ergò non mutati mulieri dolores naturales in pœnam; ſed in pœnam additi partui dolores illi acerbi, quos abſque peccato ſenſura non fuiſſet; cujus rei licet modum neſciamus, id tamen poſſibile futurum fuiſſe, vel inde colligas, quod etiam hoc tempore dentur mulieres, quæ pariant leviſſimo conatu & fere ἀνωδίνως. Idem ſtatuendum de illa aggravata mulieris ſubjectione ſub viro; Prius enim viri dominium erat magis λογικὸν & quale animæ in corpus; poſtea verò evaſit magis δεσποτικὸν, & eo gravius mulieri quod imperii avidior & appetentior eſſe ſolet. *Servitus* ſive ſubjectio *ea* in ſtatu Innocentiæ *fuiſſet dilectionis non conditionis ut nunc eſt*, inquit Auguſtinus *lib. 11. de Gen. cap. 37.* Jure Romano mulieres capite diminutæ & in mancupio virorum ſuorum cenſebantur, qui etiam diu jus vitæ & necis
in illias

in illas habuerunt. Novæ nuptæ apud Romanos, coma debebat ornari cum haſta, teſte Plutarcho, ut ſciret ſe mancipatam viro, prout ſub haſta tranſibant qui in ſervitutem redigebantur. Sara ipſum Abrahamum Dominum ſuum appellabat, prout apud Pragmaticos Galliæ vir dicitur *mary & bail*, ideſt maritus & dominus ſuę conjugis; Nam illud *Bail* ab Hebręo בעל *Bagnal* quod *Dominum* & *Maritum* ſignificat proculdubio arceſſitur; & in mea Picardia mulierculæ ſuos viros nominant ſuos *Barones*: Ac in Republica Iſraelitica ſequioris ſexus dura valde fuit conditio; nam & uxores ſuas uiri repudiabant ferè pro lubitu, cùm tamen non daretur mulieri jus divertendi à ſuo viro, licet duriſſimo, & maritus votum ab uxore nuncupatum ipſi Deo irritum faciebat pro ſuo arbitrio. Nec quoad me dubitaverim de ſerpente, animal iſtud antequam ſerviiſſet tentatori ad ſeducendam Evam,

Evam, pedibus ſuis proceſſiſſe; nam annumeratur *beſtiis agri* Gen: 11, 1. ſed in deteſtationem peccati multatum fuiſſe ſuis pedibus, & ad inferiorem ordinem, qui eſt reptilium, redactum fuiſſe; prout homo per illum ex ſtatu priori ad jumentorum claſſem dejectus quodammodo fuerat. De hoc dixi *in Theol. Parad. Faſciculi* §. 12. Et ſanè idem mecum videntur ſentire ipſi Judæi, quorum hoc fuit vetus effatum; apud Mæmonidem in *More Nevochim p. 2. cap. 30. Cum veniret ſerpens ad decipiendam Evam fuit Sammaël equitans ſuper illum & Deus irridebat camelum & ſeſſorem ejus*: & Baſilius *de parad.* citante & approbante Pareo *ad 3. Gen: Non horrendus tunc erat ſerpens, ſed mitis ac manſuetus, non horribiliter in terra proreptans ac velut inundans, ſed altus ſuper pedes.* Dato tamen non conceſſo reptationem fuiſſe naturalem ipſi ſerpenti, nihilque ei acceſſiſſe deformitatis ex ſententia divina, non tamen inde

inde conficeretur cauſa Præadamitæ: quia pœna propriè dicta & judiciaria non cadit in ſerpentem; adeoque potuerit ejus naturalis conditio notari à Deo in ſignum averſionis & deteſtationis quâ in illum ferri debemus, quod Tentator operâ illius uſus fuerit ad protoplaſtos decipiendos: *Sed* ea quæ denunciantur Adamo & *Evę habent* rationem pœnarum propriè dictarum, adeoque illis naturalia fuiſſe non potuerunt; niſi dicamus pœnam anteceſſiſſe culpam, quod per*abſurdum* foret & à Dei Juſtitia remotiſſimum.

15. Cùm igitur mors omnis reſpectu Dei eoipſo ſit *l*egalis quod eſt ſtipendium peccati & in illius pœnam, tam parum aptè diſtinguit Præadamita mortem naturalem à legali, quam ineptè peccatum priùs diſtinxerat in materiale & formale, vel naturale & legale. Atque hac duplici columnâ ſtramineâ ſubductâ ejus interpreta-

tioni

tioni circa locum Apoſtoli, totam illius molem corruere neceſſe eſt. Secundum illius poſtulatum æquè vitioſum hoc eſt, ſolâ imputatione fieri ut per unius Adami tranſgreſſionem peccatum introjerit in mundum, & mors cum illo; Hinc *Syſt. lib. 1. cap. 2.* ex iſto fundamento diſputat *vitiorum naturæ humanæ cauſas non eſſe petendas ex peccato Adami, & hoc ſpiritaliter concipi non propagari naturaliter*; adeoque toto cœlo errare qui *putant & bella & peſtes & febres & & totas corruptionum naturalium cohortes terris incubuiſſe* ex Adami peccato. Et *Syſt. lib. 5. cap. 2.* cùm non incommodè propoſuiſſet *peccatum originis* duplex eſſe, inhærens ſcilicet, quod ipſe definit *Morbum hæreditarium, ſive labem in qua omnes homines concipiuntur & naſcuntur*, & imputatum, quod ſtatuit eſſe *inobedientiam Adami quatenus omnibus imputata fuit*, (niſi quod abſurdè illud vocat peccatum *materiale*, hoc *formale*, cùm tamen utrumque ſit

R *formali-*

formaliter peccatum; illudque facit cuique *proprium*, licet ſit omnibus commune, hoc *alienum*, cum è contrario omnibus imputetur, quod omnes in Adamo peccaſſe cenſeantur, & reatum mortis ideo contraxiſſe; quod moneo quia & huic homini, eadem inobedientia Adami ut ſingulis imputatur *reatus* dicitur; quamvis reatus ille quo omnes tenentur ex Adami tranſgreſſione, non ſit ipſamet tranſgreſſio, ſed illius neceſſarium conſequens:) mordicùs defendit hoc, quod eſt Adami, nullâ ratione propagari, de quo iterum diſputat ſuo modo *Syſt. lib. 5. cap. 4.* Verùm non miror hominem illotis pedibus Sacrarium Theologię perreptantem tam ſolemnia delirare; cùm Orthodoxę veritatis myſteria vix primoribus labris unquam deguſtarit. Nam ſanior Theologia diſtinguit hæc duo circa peccatum originale, nempe imputationem & propagationem: Illâ omnium noſtrorum cen-
ſetur

ſetur is actus numericus Protoplaſti, quo tranſgreſſus eſt Dei mandatum ſibi & nobis omnibus; & ex quo rei mortis æternæ conſtituimur coram Deo, quoniam in Adamo ceu ſtirpe totius generis humani omnes peccarunt, teſte Apoſtolo, ut Levi & omnes Levitæ decimas penderunt in Abrahamo. Hac verò propagatur cum natura humana, ex conſtanti lege generationis, labes & vitium inhærens quod contraxit Adam ſuâ culpâ, prout quis leproſus factus leproſos ſolet procreare, & teſte Chriſto Joh: 111,6. quod *ex carne genitum eſt caro eſt.* Hinc homines jure natalium ſuorum ex Adamo duplici ſubſunt reatu coram Deo; Alter naſcitur ex illa ipſius actione ſingulari tranſeunte, quæ ſingulis ceu ſua meritò imputatur; Alter oritur ex ſpecifica & habituali illa corruptione, quæ ad ſingulos tranſit ab ipſo (ceu naturæ in ipſo primum vitiatæ & corruptæ adjunctum neceſſa-

 rium)

rium) per propagationem naturalem.

16. Ut autem variant diverſimodè temperamenta & lineamenta hominum, licet convenientium in una natura ſpecifica, ita eorundem ſcelera & peccata actualia diverſas induunt formas, licet ab eadem originali labe quę eſt communis omnium omninò deriventur. Et ſanè cùm *peccatum* omne & unà cum peccato mortem per unum hominem ingreſſa fuiſſe in mundum tam disertè ſtatuat Apoſtolus, non aliundè quam ab Adamo poſſunt arceſſi & *morbus* ille *hæreditarius* quem in ſingulis agnoſcit Præadamita, & quæcunque calamitates ex quibus mors ſua tela ſolet conficere, imò per quas ſuum tyrannicum imperium exercet, in mundo obſervantur; Neque ideo *bella & peſtes & febres* ab illo fonte non derivantur, quod morales & phyſicas cauſas videantur habere; Nam ſi bella concipiantur ut ab illis *orta, quos vel inhians prædæ fames, vel*

effera

efferá vindictæ cupiditas, vel ſacra regni ambitio, arma capeſſere incitat, ſunt effectus ut innatarum libidinum, ita habitualis illius corruptionis quam omnes traxerunt ab Adamo; Si verò conſiderentur ut pœnæ mortalibus divinitùs immiſſæ, naſcuntur ex eorum omni reatu, cujus itidem prima origo eſt ab Adami lapſu: Ita *peſtes & febres* naſcuntur vel *ex naturali corruptione aëris, vel ex ipſa naturali corporis noſtri corruptione*, ut etiam debeant accenſeri pœnis peccatorum, quorum prima origo fuit Adami culpa: Nam exinde factum ut homines naſcantur non ſolum mortales, ſed etiam morbidi; ac ſicut terra quam calcamus fuit maledicta propter noſtrum peccatum, ita ut inhorreſcat ſpinis & tribulis adverſus nos, ſic etiam aer quem reſpiramus ejuſdem maledictionis conſors, armatur miaſmatis Dei manu in vindictam peccatorum noſtrorum. Et ſanè dum Præadamita

negat vel corruptionem contractam ab Adamo cùm peccavit propagari ad poſteros, vel ab illa prima protoplaſtorum culpa omnem lernam malorum tam culpæ quam pœnæ, quibus miſerè jactamur, eſſe derivandam, non ſolum in os contradicit Apoſtolo dicenti quod per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, adeoque etiam bellum, peſtis, febris, fames & univerſum peccati ac mortis ſatellitium, item 1 Cor: xv, 22. quod in Adamo omnes moriuntur; ſed etiam id vult inficiari, quod ipſimet Ethnici vel fando de hominis ſeductione per Evam audiverant; Nam illi omnium malorum in orbe originem ei tribuerunt mulieri, quam Pandoram nominabant, & primam, ac formoſiſſimam omnium fœminarum à diis conditam aſſerebant. Pauſanias *in Atticis* diſertè monet hinc Pandoram ex cujus pyxide omnia mala in mundum eruperunt,

primam

primam fuiſſe mulierum, nec ante illam muliebrem ſexum extitiſſe. Hinc factum ut mulierem Heſiodus *in Theogonia* ex ira Jovis natam dixerit & *καλὸν κακὸν* appellaverit; & quę Pandora dicitur Heſiodo, Homero *Il. 19.* Ate appellatur, ab *ἀτάω* *noceo.* Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ ἣ πάντας ἀᾶται, Οὐλομένη. *Filia prima Iovis, quaque omnes perdidit Ate pernicioſa.* Nec dubium quin Eva Moſis ſit Ate Homeri, qui dicit etiam hanc lęſiſſe ipſum Jovem hominum & Deorum pręſtantiſſimum, quem, inquit, Juno fœmina cùm eſſet dolis decepit. Imò obſervant Eruditi, nominatim Grotius *in annot. ſuis ad lib. 1. de relig. Chriſt.* in antiquiſſimis Græcorum myſteriis acclamatum fuiſſe Εὖα, ſimulque monſtratum ſerpentem, proculdubio ut ita ſignificaretur quâ ratione aureum ſæculum, ad ſtatum Innocentię pertinens, in ferreum degeneraverit, & quâ datâ portâ tot mala & miſerię in mundum irruperint,

ac quî factum quod inter nos,

Luctus & ultrices poſuêre cubilia curæ
Pallenteſque habitant morbi triſtiſque ſenectus
Et metus & maleſuada fames & turpis egeſtas.

17. At, inquit hic homo *Syſt. lib. 5. cap. 4.* ſi antequam Adam tranſgreſſus eſt in interdicto arboris vetitæ, jam ipſius & Evæ *ſenſus* fuere *corrupti*, neceſſe eſt vitium innatum antiquius eſſe peccato Adami quod nobis imputatur: Sed verum prius; nam *deceptus fuit Adamus pulchritudine fructus, ſuavitate odoris, tactus mollitudine, eloquii uxoris ſuæ illecebrâ & guſtus delicio, priuſquam fructum glutiret & peccaret*: *Corruperunt ſcilicet Adamum ſenſus Adami corrupti, innato corruptionis vitio quod Adami ſenſibus inhærebat.* Atqui in his omnibus quæ pro ſua affectata grandiloquentia fuſiùs proſequitur, vagatur extra oleas. Nam primò in ſenſatione ipſa nihil fuit vitii, ſed tantum in eo quod ſenſationi

ſationi ſuę maluit adſtipulari Adam dum non ſatis credit Deo minanti quā ſanę rationi, & potiùs adhęrere bono jucundo ac ſenſibili, quam honeſto & intelligibili. Deinde etſi in *concupiſcentia* fructus prohibiti, jam aliquid inordinationis & aliquod peccatum fuerit coram Deo, tamen inde non ſequitur priùs Adamum fuiſſe peccatorem, quam peccaret; ſed tantum inter primos gradus peccati illius ſui quo ex juſto & ſancto in peccatorem degeneravit, fuiſſe, ut nemo derepentè fit turpiſſimus, illam inordinatam concupiſcentiam, quæ ſuperiori rationi & fidei Deo debitæ adverſabatur, quomodo dicit Apoſtolus *Cupiditatem poſteaquam concepit parere peccatum, peccatum verò peractum gignere mortem* Jac:1, 15. Tertiò Scriptura ſacra peccatum Adami commemorans, ex quo mors & quod libet peccatum in mundum introjit, ſpectat illud in tota ſua latitudine, ideſt tum in fieri, tum in

facto eſſe, ſive tum reſpectu ſui initii, tum reſpectu progreſſus & complementi: *Latro quidem eſt*, ut ait Seneca, *etiam antequam inquinet manus*; quin, ut ſubdit, *exercetur atque aperitur opere nequitia non incipit*; & juxta Tertullianum *de pœnit. Voluntas facti origo eſt*: Attamen ſub facto ipſo faciendi voluntas, & omne irritamentum vitioſum ex quo proceſſit, continetur: adeoque non ſolum ipſe actus externus Adami noſter cenſetur, aut ejus παρακοὴ dici debet, ſed quicquid ad illius actus externi originem & progreſſum culpabiliter pertinuit: Nec enim in indiviſibili conſiſtebat hæc tranſgreſſio, ſed ex multis peccatis partialibus inter ſe conjunctis exſurgebat. Verùm libenter Præadamita totum illud primum peccatum in fabellam ſuis allegoriis ineptis mutaret, dum ait *ſerpentem fuiſſe ſenſum, fœminam rationem, virum intellectum*; ut inde conficiat *bis* Adamum peccaſſe,

ſenſibus

ſenſibus & ratione, antequam peccaret intellectu & voluntate, peccato illo unico, quod illi & in illo hominibus omnibus imputatum eſt: At præterea quod ad peccatum illud unicum, quod unum eſt per aggregationem, pertinet quicquid φροντισμένως ſpectavit ad operis complementum, ἀφιλοσόφως hîc diſtinguitur ratio ab intellectu & voluntate, ut vel pueri intelligunt.

18. At inquies cum Præadamita, ſi Adami peccatum nemini nocuit, prout ſtatuit *lib. 5. Syſt. cap. 3. nullum neque Adamum ipſum mortuum eſſe pro peccato Adami, ſed ſolum Chriſtum*, fruſtra malorum noſtrorum origo in illud rejicitur: Sed nemini ne quidem ipſi Adamo nocuiſſe, impiè ſtatuitur & contra Scripturam, quæ docet non ſolum Adamum eo ipſo morti & corruptioni fuiſſe mancipatum, ſed per illam tranſgreſſionem, peccatum & mortem in omnes pervaſiſſe: Imò fruſtra diceretur imputatum omnibus

hominibus, ſi nihil noxæ ipſis attuliſſet. Verùm quid facias huic homini, qui *Syſt. lib. 5. cap. 2.* aſſerit non ideo imputari *Chriſtum mortuum hominibus quia eiſdem imputatus fuerat Adamus peccator*, ſed è *contra imputatum fuiſſe Adamum peccatorem hominibus, ut eiſdem imputaretur Chriſtus mortuus*; qui *cap 5. & 6.* fabulatur *mortem ex peccato Adami incœpiſſe ab Adamo, deſiiſſe in Moſe & in Chriſto*; adeoque *mortem æternam* non *conſequutam eſſe condemnationem illam mortis quæ decreta fuerat peccato Adamico*; qui *cap. 6.* pertendit *peccatum Adami ſalutem non perditionem hominum feciſſe*, ſiquidem eo tantum fine *imputatum fuit Adami peccatum hominibus inſciis, ut illis etiam inſciis acquireretur juſtitia*, quia *oportuit homines imputatione prius peccati Adamici tanquam glaſto & prima cortina maculari, macerari & ſubigi, ut ſanguinem Chriſti ſaturatiùs combiberent & de ſecunda cortina ſplendidiùsruberent*. Quæ omnia collimant non tantum

tum ad elevandum primum illud Adami peccatum, ſed etiam ad penitùs evertendum myſterium noſtræ Redemptionis per Chriſtum, ac ſi Chriſtus mortuus ſit duntaxat ut *reſtituat homines in quem locum acceperat illos Adamus*, non per conſequens ut eos eximat reatu ſuorum perſonalium peccatorum, quę ipſe naturalia vocat, ſed tantum ut illos liberet reatu illius unius culpæ Adamicæ, quæ nihil noxii unquam operata eſt. Ita dum fabulam ſuam Pręadamiticam vult pro veritate hactenus inaudita obtrudere, Euangelicam veritatem ſub honeſto titulo Myſteriorum in Fabulam & Parabolam mutat.

19. At, inquit *Syſt. lib.* 5. *cap.* 6. ex veſtra hypotheſi ſequitur Deum *feritatis & crudelitatis* eſſe incuſandum, *quâ quod patratum eſt peccatum ab Adamo inſciis, imo neque dum natis imputetur hominibus. Tum quod pœna tam crudeles ex peccato illo inflictæ fuerint, ut tota hominum natura*

natura malorum & peſtium hydris pullulaverit. Sed primùm ipſe-met latiùs extendit hanc imputationem nobis omnibus: Nos enim eam reſtringimus ad ſolos Adami poſteros, *propter communionem & ſimilitudinem phyſicam*, ut loquitur ipſe *lib.5. cap.2. quâ filii patribus ſuis geniti, cum illis phyſicé & naturaliter conjuncti ſunt; Cenſentur ſcilicet filii Adami peccaviſſe in lumbis* patris ſui, *ratione eadem quâ Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahami Heb: 7.* Ipſe verò hanc imputationem extendit ad eos, qui nihil unquam communionis vel politicæ vel naturalis habuerint cum Adamo, & infinitis ſæculis ante ipſum editi ſint. Cùm autem nemini peccatum imputetur niſi obſtringatur pœnæ ex illius reatu, non poteſt nimis acerba ſtatui pœna culpæ in Deum admiſſę, quod ſit læſio Majeſtatis & Bonitatis infinitę. Deinde illas malorum & peſtium hydras quas commemorat Præadamita, non arceſſimus ex ſola imputatione pri-

ne primi peccati, ſed etiam ex propria cujuſque corruptione ab Adamo propagata, quę in tot peccata actualia in ſingulis quotidie erump[illegible]c diffunditur. Quod *eod. cap. 6.* ſubjicit, *Nullos legibus humanis alieni criminis ſucceſſores conſtitutos*, & Platonem edixiſſe *Parentum opprobria ne luant liberi; Quin & atrox Senatui Romano & pernicioſum viſum exemplum tollere filios Caſſii Caſſio perduelli ſublato*, primò nos non ferit: Nam peccatum Adami non alienum eſt ſed noſtrum, nec fuit illi merè perſonale, ſed vice & nomine totius ſuæ poſteritatis commiſſum: Nam ut bona quæ acceperat, nobis omnibus acceperat ſi perſtaret in officio, ita non ſibi ſoli peccavit ſed nobis omnibus: & juris eſt perpetui ut ad eum incommoda perveniant, qui commodorum particeps futurus fuiſſet, prout viceverſa *ſecundum naturam eſt commoda cujuſque rei eum ſequi quem ſequentur incommoda*, ut ait JCtus *l. 10. ff. de reg. juris.* Adhæc

ipſe

ipſe Præadamita pro nobis reſpondet *ejuſd. libri cap. 2.* his verbis : *Imputationum propter communionem & ſimilitudinem natural[illegible] ſtatutarum, leges extant tum divinæ tum humanæ. Divinæ ſunt quibus Deus viſitare dicitur iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Et ſecundum leges illas filiorum dentes obſtupuiſſe dicuntur, quorum patres comediſſent omphacem. Humanæ leges ſunt quibus pœnæ in ipſos perduelium filios, ex patrum ſuorum reatu decretæ ſunt. Exempla verò tum divina tum humana proſtant flagitiorum patrum, filiis ſuis adſcriptorum; Luculentum inter divina illud eſt, ſeptem filiorum Saul quos reſpondente & jubente Deo David piaculares tradidit in manus Gabaonitarum, qui illos crucifixerunt in monte coram Domino, ait Samuel, quia Saul pater eorum fidem olim fefellerat Gabaonitis, & plures eorum crudeli exemplo trucidaverat. Legitur verò Alexander velut ultor publicæ ſecuritatis, Tyro expugnata, cruci affixiſſe Tyrios omnes prœlio ſuperſti-*

tes,

tes, proavis & mancipiis illis editos, qui longo ante tempore populum omnem Tyri liberum cum dominis immaniter & conſpiratione factâ interfecerant. Quod denique crudelius ſtatuit *eod. cap. 6. poſt vitam ærumnoſam & cruciatibus infamem præcipitari in ſtagna ardentia homines, ibique inter fletus & ſtridores dentium mortem immortalem & ultra exigere propter idem illud peccatum Adami*, ad latentem cordis ſui impietatem ſpectat, juxta quam pœnas æternas peccatorum ridet, & vel Origenis deliria adoptat de liberandis tandem damnatis & dæmonibus ex inferno, vel ſuum facit Socinianorum Atheiſmum ex quo merâ deſitione impiorum pœnę poſt hanc vitam definiuntur.

20. At, inquit iterum *lib. 5. cap. 7. ſi peccata & flagitia omnia, ſi quicquid febrium & peſtium eſt, ſi mors ipſa æterna ex peccato Adami ut creditur intravit in mundum & pervaſit in omnes homines,* cur non ipſe Adamus præ cœteris fuit flagitioſus,

gitioſus, morbidus, miſer & maximè damnatus in æternum? Sed adhæc reſponſio eſt facilis: Nam quod illa ſubjectiva & inhærens corruptio, quæ omnibus ex æquo ineſt ab Adamo, non tam eruperit in ipſo quam in multis aliis ex ſuis poſteris, factum eſt Dei benignitate & gratiâ, ut ſit in omnibus ſanctis, qui cuſtodiuntur virtute Dei ne incidant in ſcelera quælibet, ad quæ naturâ tamen ſuâ propendebant, inepti ad omne bonum, proclives ad omne malum. Quod etiam nec omnes pœnas temporales, nec multo minus mortem æternam ſuſtinuerit, quibus plurimi ſubſunt in hac vita & poſt hanc vitam, factum eſt tùm quia peccatis actualibus minus ſe inquinavit, tùm quia etiam prioris & aliorum remiſſionem indebitam accepit, quæ non obtingit omnibus. Equidem nec magis nec minus recipit tum ipſa imputatio peccati Adamitici, tum propagatio ſubjectivę & inhærentis cuique

cuique originalis corruptionis; Sed 1. Reatus utrimque procedens ſubjicit hominem duplici titulo pœnæ temporali & æternæ; 2. Cùm inhærens illa corruptio varios producat fructus, & deteriores in his quam in illis, cujus diverſitatis cauſa partim in Dei Providentiam debet rejici, quæ ne ſocietas humana in merum latrocinium degeneret illius corruptionis effectus ex parte impedit in multis, metu legum, fortunâ tenuiori, honeſtiori inſtitutione, ſpeciali temperamento &c. partim in Gratiam ipſius medicinalem, quâ in Electis ſuis eorum ſanctificationem operatur; mirum non eſt varias dari ſpecies varioſque gradus inter homines & peccatorum & pœnarum. At, inquit tandem *lib. 5. cap. 5. Cauſa moralis, qualis fuit inobedientia Adami non potuit producere corruptionem naturalem*, nec ſcripſit Apoſtolus *homines fuiſſe corruptos in Adamo, ſed in illo peccaviſſe.* Verùm hoc argumen-

to, quo etiam pugnant Sociniani, parum proficit; Nam primùm cum nulla ſit corruptio pejor eâ quæ eſt ex peccato, ut dicitur *corruptio in mundo eſſe per cupiditates* 2 Pet: 1, 4. eo ipſo ſtatui debent homines in Adamo & per illum fuiſſe corrupti, quod in illo peccaverint: *Quod ſi primitiæ ſanctæ ſunt ſancta etiam maſſa; ſi radix ſancta eſt, etiam rami*, inquit Paulus Rom: 11, 16. Viceverſa ſi primitiæ generis humani in Adamo ſunt corruptæ, tota maſſa illo fermento inquinatur; ſi radix *originis* noſtræ eſt viciata, impuri debent eſſe rami illius. Adhæc corruptio noſtra quæ eſt ex inobedientia morali Adami, poteſt quidem ſtatui naturalis ſubjectivè, quod totam naturam noſtram pervaſerit & nobis inſit jure natalium noſtrorum ex Adamo, jam ſua culpa corrupto & depravato; Sed tamen eſt moralis objectivè, quod nos alienet à bono morali, & in mala moralia præcipitet. Sed neque verum-

caufam

cauſam moralem non poſſe producere corruptionem naturalem : Nam pœna quæ adfert corruptionem & deſtructionem phyſicam facinoroſi, eſt à cauſa morali duplici, nempe & à rei crimine & à judicis ſententia ac juſtitia.

21. Tertium poſtulatum Præadamitæ ad ſuam ſuffulciendam explicationem loci Paulini, ſpectat ſignificationem vocabuli *Legis*, in illis verbis Apoſtoli, *uſque ad Legem peccatum erat in mundo.* Vult enim hîc intelligi non Legem illam quæ per Moſem fuit renovata in duabus tabulis, ſed eam quam accepit Adam circa arborem ſcientiæ boni & mali. Hoc paſſim aſſumit tanquam verum, (*Exercit. cap. 1. 2. 3. 10. 12.*) ut colligat ante Adamum & legem ipſi latam fuiſſe homines peccatores : Quamvis potuerit eſſe peccatum in mundo ante legem latam Adamo, abſque hominibus Præadamitis, ex eorum ſaltem ſententia

qui

qui volunt Angelos jam lapſos fuiſſe ante creationem Adami, vel eo momento quo viderunt ipſum conditum ad imaginem Dei. Sed hoc de iſto ſignificatu vocabuli *Legis*, aſſumere facilius poteſt Præadamita quam probare: Nam juxta Apoſtolum hoc loco hæc duo ſunt æquipollentia, *uſque ad Legem* & *uſque ad Moſem*: Ut enim dicit peccatum fuiſſe in mundo uſque ad Legem, ſic dicit mortem, indivulſam comitem peccati, regnaſſe ab Adamo uſque ad Moſem: Quare ut revera non altiùs repetit durationem peccati in mundo quam ab Adamo, eo quod ab illo demum arceſſit regnum mortis ex peccato, ita in duratione peccati definienda non aliam legem intelligit quam Moſis, ad quem uſque extendit regnum mortis. Nec dubium quin Apoſtolus intelligat hic eam legem de qua totâ hac epiſtolâ diſſerit, ut oſtendat neminem Legis operibus juſtificari poſſe, etſi Judæi

tanto-

tantopere, licet in caſſum, illam Legis & operum juſtitiam ſectareutur; Hanc verò Moſaicam eſſe quis dubitat? Aut quis ſit ita væſanus ut putet vel Apoſtolum operoſè probare velle neminem juſtificari illo interdicto Adamico, cujus violatione omnes ſunt conſtituti peccatores, vel Judæos voluiſſe juſtificari ex illa lege Adamica, quâ non amplius tenebantur? Quam autem conſtanter Apoſtolus in ſuis diſputationibus eo vocabulo Legem Moſaicam intelligat, ſi quis multis probare ſtuderet, digitum in Solem intenderet. Videatur præſertim quæ habet Rom: 1 1,12.13.14.15.17.1.820. 23. 25.26.27. III, 20.27.28.31.IV, 13.14.15.16. VI, 15. VII, 1.6.7.9. 12. 14.22.25.VIII, 3.4.7. Sed cœteris miſſis, Paulus ipſe hoc cap. v, 20. oſtendit ſe de ea Lege loqui, non quæ præceſſit tranſgreſſionem Adami, ſed quæ illam ſubſecuta eſt: Dicit enim *Legem ſubintroiiſſe ut abundaret*

daret delictum, cùm jam dixiſſet com. præcedenti, per contumaciam unius hominis peccatores multos conſtitutos fuiſſe. Similiter planè dicit Gal: III, 19. Legem ordinatam per Angelos per manum internuncij, ne Adamicam hîc ſomniemus, *tranſgreſſionum gratiâ* adjectam fuiſſe. Adde quod à Scripturarum ſtylo & recta ſimul ratione abhorreat *Legem* dici κατ' ἐξοχὴν illud interdictum arboris ſcientiæ boni & mali, quo protoplaſti in Paradiſo tenebantur. A Scripturarum quidem ſtylo, cùm nullo exemplo poſſit comprobari SpiritumSanctum uſpiam ita loquutum fuiſſe; A recta verò ratione, quòd cùm iſtud interdictum poſitivum & præciſè conſideratum has duas tantum perſonas ſpectarit, (adeo ut poſito quod fingit iſte homo alios tum extitiſſe homines, eorum nemo præter Protoplaſtos illo teneretur; & dubitari poſſit num debuiſſet extendi ad eorum liberos quo caſu

caſu illos in ſtatu Innocentiæ genuiſſent ; ſiquidem omnes poſteriorum ſuorum omnium fortunæ ab eorum obedientia vel tranſgreſſione pendebant;) eo ipſo Legis nomen accuratè loquendo minus obtinere poteſt ; Nam Lex dicitur Papiniano *l. 1. ff. de leg. commune præceptum & communis Reip. ſponſio*, cui juxta Marcianum & Demoſthenem *l. 2. ibid.* πάντας ἀνθρώπους προσήκει πείθεσθαι, *omnes homines obedire convenit*; unde colligunt Juriſconſulti, Legem de uno vel uni non ferri. Ac ſicut privilegium aliquod perſonale *Lex* propriè dici nequit, ita perſonale aliquod interdictum minus commodè Legis nomine exprimeretur.

22. Præadamita nihilominus, ne ſine ratione deliraſſe videatur, multa hinc inde congeſſit, quibus conatur adſtruere Moſaicam Legem hîc intelligi non poſſe. Objicit *cap. 1. Exer. Nullam hic* proponi *antitheſim inter Moſem & Chriſtum*;

Chriſtum; Ergo Legem Moſis non intelligi. Reſpondeo conſequentiam eſſe vitioſam: Nam & Moſem diſertè nominat Apoſtolus, & ad antitheſim Adami & Chriſti ſpectat quod peccatum fuerit in mundo per lapſum Adami uſque ad Legem Moſaicam, quæ tamen nihil contulerit illi tollendo: prout juxta Chryſoſtomi allegoriam *in Catena Thomæ ad Luc.* 10. *Adam jacebat deſtitutus ſalutis auxilio, confeſſus vulneribus delictorum, cui nec Sacerdos Aaron tranſiens potuit ſacrificio profuiſſe, nec etiam ejus frater Moyſes Levita per legem potuit ſubvenire.* Nam per Legem cognoſcitur quidem & detegitur magis peccatum, ſed non ſanatur. Objicit *cap. 2. Exerc.* quod *Lex data Adamo princeps fuit legum omnium, quæ Lex legum & per excellentiam Lex ſimpliciter dici debuit.* Sed modò demonſtravi, & nunquam dici Legem illud interdictum factum Protoplaſtis, & non poſſe ἀκριβῶς loquendo Legem appellari.

Quod

Quod ſi hæc prima & princeps fuit Legum omnium, oportebit Præadamitas tuos fuiſſe ſimpliciter exleges, quod tam abſurdè ſtatueris, quam impium foret aſſerere eos à Deo independentes fuiſſe: Nam Creatura intelligens nequit ſubeſſe regimini Divino, niſi per quaſdam Leges à Deo acceptas, quibus ſub pœnis & præmiis parere teneatur: ſive illæ Leges extrinſecè fuerint promulgatæ, ſive intrinſecè tantum ejus cordi tanquam tabulis vivis inſcriptæ, prout de Gentilibus monet Apoſtolus Rom:11,15. Et cum *Exerc. cap.18.* ſtatuas Præadamitas tuos jure gentium & civili ſuo uſos fuiſſe, imò eorum quemlibet ſibimet *quodammodo legem à natura* extitiſſe, unde peccati ſui convincebatur & pudebat, eo ipſo negas hoc ſpeciale & poſitivum interdictum Adamo factum primam omnium legum cenſeri debere. Objicit item *cap. 3. Exerc. ex quatuor hominum ſtatibus ſub naturâ, ſub*

lege, ſub gratia, ſub gloria, tempus legis ſtatuendum eſſe ab Adamo non à Moſe. Sed neque illa diſtinctio ex Scripturis directè hauritur, nec unquam eo ſenſu quo vult Præadamita ſumpta fuit inter Chriſtianos. Tritum illud eſt apud Judæos dictum Elianæ Scholæ, quod licet rejectum à R. Elcha, in ſuo tractatu quem inſcripſit *Dies Domini*, tamen admittit Menaſſeh Ben Iſrael *de creat. problem. ult.* ut refertur Galatino *lib. 4 de Arc. verit. Cath. cap. 20. ex libro Sanhedrin in capite Helec, Sex millia annorum erit mundus & iterum deſtruetur; Duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia dierum Meſſiæ;* Hîc autem tempus Legis non ab Adamo ſed à Moſe arceſſitur: Et quamvis largirer huic homini, ab Adami lapſu uſque ad Chriſtum homines poſſe dici fuiſſe ſub Lege non ſub Gratiâ, eò quod fœdus pactum cum Adamo fuerit fœdus legale & operum, quo violato omnes ejus poſteri, quamdiu Chriſto ſive adhuc

huc

huc venturo, ſive jam exhibito, per fidem non inſeruntur, cenſentur eſſe ſub Lege, adeoque ſub maledictione juxta Paulum Gal: III, 10. inde tamen nihil haberet pro ſuis Præadamitis; cùm ſtatus naturæ poſſit reſtringi ad fœlicem illam conditionem Protoplaſtorum, quâ, naturâ ante ſuum lapſum adhuc integrâ, potiebantur. Objicit denique *eod. cap. 3. Exerc.* eam hîc legem intelligi *à cujus transgreſſione peccatum imputari, mors regnare cœpit. Atqui regnum mortis* incœpiſſe *ab Adamo per Apoſtolum ipſum hoc loco.* Sed antecedens illud falſum eſt, & petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Nam Apoſtolus non arceſſit regnum mortis à Lege illa ante quam peccatum fuit in mundo, ſed ab ipſomet illo peccato quod per unum hominem introductum fuit & latè pervaſit genus humanum, ante hanc legem latam. Quod ſi ſecundum te Legis iſtius eadem ſit æra quæ conditi regni mortis, debebit & illa Lex Præ-

lege, ſub gratia, ſub gloria, tempus legis ſtatuendum eſſe ab Adamo non à Moſe. Sed neque illa diſtinctio ex Scripturis directè hauritur, nec unquam eo ſenſu quo vult Præadamita ſumpta fuit inter Chriſtianos. Tritum illud eſt apud Judæos dictum Elianæ Scholæ, quod licet rejectum à R. Elcha, in ſuo tractatu quem inſcripſit *Dies Domini*, tamen admittit Menaſſeh Ben Iſrael *de creat. problem. ult.* ut refertur Galatino *lib. 4. de Arc. verit. Cath. cap. 20. ex libro Sanhedrin in capite Helec, Sex millia annorum erit mundus & iterum deſtruetur; Duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia dierum Meſſiæ*; Hîc autem tempus Legis non ab Adamo ſed à Moſe arceſſitur: Et quamvis largirer huic homini, ab Adami lapſu uſque ad Chriſtum homines poſſe dici fuiſſe ſub Lege non ſub Gratiâ, eò quod fœdus pactum cum Adamo fuerit fœdus legale & operum, quo violato omnes ejus poſteri, quamdiu Chriſto ſive adhuc

huc venturo, ſive jam exhibito, per fidem non inſeruntur, cenſentur eſſe ſub Lege, adeoque ſub maledictione juxta Paulum Gal: 111, 10. inde tamen nihil haberet pro ſuis Præadamitis; cùm ſtatus naturæ poſſit reſtringi ad fœlicem illam conditionem Protoplaſtorum, quâ, naturâ ante ſuum lapſum adhuc integrâ, potiebantur. Objicit denique *eod. cap. 3. Exerc.* eam hîc legem intelligi *à cujus transgreſſione peccatum imputari, mors regnare cœpit. Atqui regnum mortis incœpiſſe ab Adamo per Apoſtolum ipſum hoc loco.* Sed antecedens illud falſum eſt, & petit τὸ ἐν ἀρχῇ. Nam Apoſtolus non arceſſit regnum mortis à Lege illa ante quam peccatum fuit in mundo, ſed ab ipſomet illo peccato quod per unum hominem introductum fuit & latè pervaſit genus humanum, ante hanc legem latam. Quod ſi ſecundum te Legis iſtius eadem ſit æra quæ conditi regni mortis, debebit & illa Lex Præ-

adamitica ſtatui, eò quod infinitis ante Adamum ſæculis, in Præadamitas tuos mors plenum & abſolutum regnum obtinuerit. Debuit autem nominatim Apoſtolus oſtendere jam ante Legem renovatam & promulgatam à Moſe, peccatum & mortem fuiſſe in mundo, ut magis conſtaret eam non fuiſſe datam Iſraelitis ut ex illa juſtificarentur & vivificarentur; id enim fuiſſe legi ἀδύνατον, *cùm viribus eſſet deſtituta per carnem*, teſtatur Apoſtolus Rom: VIII, 3. Sed potiùs ſubintravisse ut *abundaret delictum* Rom: V, 20. & *tranſgreſſionum cauſâ* Gal: III, 19. ut dum peccati turpitudinem retegit, compellat homines ad Chriſtum, in quo ſolo habemus antidotum efficaciſſimum adverſus peccatum & mortem.

23. Quartum Præadamitæ iniquum poſtulatum pro ſua interpretatione obtrudenda, ſpectat altera illa verba Pauli, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ

ὄντος

ὄντος νόμου; quæ ſic reddenda pertendit, *Peccatum non imputabatur, non exiſtente Lege.* Nam primò vult ἐλλογεῖται licet præſentis indicativi, per præteritum imperfectum eſſe reddendum; ſecundò hîc agi de illa imputatione primi peccati omnibus hominibus, quâ rei & pœnæ debitores propter illud conſtituuntur coram Deo; & tertiò hîc agi de Lege Adamica, quâ nondum exiſtente peccatum quidem jam erat in mundo, ſed nemini tamen imputabatur ad pœnam: ac nominatim *cap. 12. Exerc.* vult hîc notari tempus Præadamiticum, *quo quidem peccatum & mors erant in mundo, ſed non imputabantur, non regnabant, nullo jure pervaſerant in omnes homines, non vivebant. Peccatum,* inquit, *tunc temporis erat mortuum, mors erat mortua, & nullus erat ſepulchri aculeus.* Verùm fruſtranea hæc omnia eſſe ad Præadamiticam cauſam, multa oſtendunt. Nam 1 mùm ex præſenti quod ori-

ginalis habet, facere præteritum imperfectum temeritate quadam non caret. Hoc quidem poſterius habent pleraque exemplaria V. V. ſed tamen editio Plantiniana anni 1580. monet in margine quinque manuſcripta Latina conſentire textuiO riginali, qui præſenti uſus eſt. Ideo in *notis* Johannis Benedicti præſens reponitur loco præteriti, & accuratiores interpretes, ut Eraſmus, Arias Montanus, Caſtalio, Tigurinus, Beza, Piſcator, Genevenſes, Belgæ, Italus, hîc præſens retinuerunt. Adhæc proceſſit illa temporis enallage in Vulgato interprete & quibuſdam Veteribus ex eo præjudicio, quod *Legis* vocabulum in iſtis verbis, de Moſaica, ut in præcedentibus, ſumendum eſſet: Sed generaliùs eſt intelligendum de lege in communi, ex axiomate quod propoſuerat Apoſtolus capite præcedenti Rom: IV, 15. *Vbi non eſt lex ibi non eſt peccatum.* Vult enim Apoſtolus oſtendere, non debere

debere arceſſi mortem ex ſolis peccatis actualibus quę in Legem Moſaicam committuntur; ſiquidem jam ante illam peccatum erat in mundo, eò quod mors quæ ſtipendium eſt peccati latè dominaretur: ergo concipi debere aliam aliquam tranſgreſſionem quam Legis Moſaicæ, cujus vi & peccatum & mors in mundum irrepſerint vel irruerint; adeoque aliquod mandatum prius lege Moſaicâ quod ad id violatum fuerit: nihil enim reputari pro peccato & quà tale puniri poſſe, niſi ex aliqua lege, cùm omne peccatum ſit ἀνομία, nec poſſit peccatum dari vel concipi ubi nulla lex extiterit; Nec etiam verbum ἐλλογεῖται ſignificat *imputatur*, ut imputatio peccati ſumitur ſenſu forenſi, pro actu juſtitiæ vindicativæ quo quis reatui & pœnæ ex illo ſubjicitur, ſed ſignificat potius *putatur*, *cenſetur*, vel ut reddit Caſtalio *ducitur*; ut ſit mens Apoſtoli, nihil duci, haberi, cenſeri, reputari pro

peccato ceſſante lege; Nam indifferens eſt quicquid nullâ lege vel prohibetur vel mandatur. Saltem quoties agit Scriptura N. T. de peccati imputatione vel non imputatione in foro Divino, nunquam utitur hoc verbo ἐλλογέω vel ἐλλογέομαι, ſed verbo λογίζομαι, ut videre eſt Rom: IV. ſæpiſſimè, Gal: III, 6. 2 Tim: IV, 16. Jac: II, 23. Utut ſit cùm dictum Apoſtoli ſit gnomicum & generale, fruſtra trahitur ad imputationem primi peccati, quæ planè aliunde quam ex hac particula debet demonſtrari.

24. Præſertim autem abſurdè fingas Præadamitarum tempore peccatum quidem & mortem fuiſſe in mundo, ſed tamen nec illud imputatum fuiſſe, neque hanc regnaſſe. Nam peccatum non fuiſſe imputatum Præadamitis, ſi extitiſſent, dici nequit, nequidem ex iſtius hominis hypotheſi: Vult enim etiam Præadamitas peccaſſe in Adamo, in quo omnes

pecca-

peccarunt. Jam verò peccatum Adami imputatum fuiſſe omnibus qui in illo peccarunt, non putem illum negaturum: Tum ipſe *Exercit. cap. 4.* ſollicitè probat *peccatum fuiſſe imputatum ab Adamo uſque ad Moſem*, allatis variis exemplis, Adami ipſius, Caini, Lamechi, Sodomitarum, incolarum primi mundi &c. & ſtatuit judicandum *de reatibus & imputationibus peccati per pœnas quæ ſequuntur reatus & imputationes peccati*; Jam verò ut nullo argumento negare nequit, incendia, diluvia, peſtes, bella, mortes, viguiſſe inter ſuos Præadamitas, ſi fuerunt, ita non poteſt diffiteri peccata eorum fuiſſe illis imputata; adeoque non poſſe fingi tempus quo peccatum jam exiſtens & ſuas referens pœnas, non imputatum fuerit. Et cùm Scriptura juſtificatos & beatos pronunciet quibus peccata ſua non imputantur Pſal: XXXII, 1. 2. Rom: IV, 7. 8. beatorum & juſtificatorum numero Præadamitæ erunt ac-

 cenſendi,

cenſendi, ut ut fide in Chriſtum ac illius vel notitiâ vel promiſſione deſtituti, eo quod nulla peccata illis fuerint imputata. Quid ergo factum, de illis poſt mortem? An cœlo excepti ſine Chriſto? An ad inferros detruſi ſine peccato? Et cùm mors plenum in illos exerceret imperium, quale ipſe fatetur alibi non finiendum ante finem ſæculorum, (quæ tamen nullum finem habitura ſint) quâ fronte nugatur peccatum tunc fuiſſe mortuum & ipſam mortem mortuam & ſine aculeo? Quinimò inter impia quæ habet *cap. ult. lib.* 5. *Syſt.* ubi ſalutem videtur promittere univerſalem, & ſuis Præadamitis abſque Chriſto & illius vel notitia vel fide, ita loquitur; *Conſultum igitur exquiſitumque fuit hominibus illis qui Adamum anteceſſerunt mori ex tranſgreſſione Adami, ut reſurgant olim ex mortuis ſecundùm Spiritum Sanctificationis quæ eſt in Chriſto.* Quibus verbis fatetur & peccatum illis fuiſſe imputa-

tum;

tum, & mortem ex imputatione peccati in illos regnaſſe, adeoque ex peccato tum ſuo naturali, tum imputato Adami, eos ſubfuiſſe utrique morti quæ ſtipendium eſt & opſonium peccati, juxta ipſum, nempe naturali & legali. Prætereo, quod dum omnes fingit reſurrecturos ad vitam per Chriſtum in fine ſæculorum, ita & omnem inferorum metum demit impiis, contra univerſam Scripturam; & hominum animas aut ſomno ſepultas, cum Pſychopannychitis, aut annihilatas & mortuas, cum Arabicis & Sadducæis ac Socinianis, proculdubio ſtatuit. Sed nec debeo me fatigare ut probem, etiam juxta ipſum imputatum fuiſſe peccatum ſuis Præadamitis & mortem in illos regnaſſe, adeoque de illis non poſſe intelligi, quod juxta ipſius interpretationem dicit Apoſtolus, *Peccatum non imputabatur lege non exiſtente*; ſiquidem *cap. 19. Exercit.* ſumit hoc probandum, *Peccatum Adami*

mi fuiſſe retro imputatum primis hominibus ante Adamum conditis & damnationem mortis ex illo peccato retro regnaviſſe in illos.

25. Nonnulla tamen habet quibus patrocinium quærit ſuæ interpretationi. Ita *Exerc. cap. 10.* criticum agit & ariolatur *veteres Græcos codices* habuiſſe præteritum imperfectum: Sed velle textum originalem per unicam verſionem vulgatam, nec ſibi conſtantem, corrigere, nihil aliud quam cum AccioNævio cotem reſecare novaculâ quæ potiùs ad illam exacuenda fuiſſet. Urget quoque *cap. 4.* peccatum *fuiſſe imputatum per totum illud tempus quod fluxit ab Adamo uſque ad Moſem*, adeoque Moſaicam legem hîc non poſſe intelligi. Sed neque intelligimus in hac pericopâ Legem Moſaicam in particulari, ſed legem quamlibet in communi, quâ negatâ, vel non datâ, nihil queat habere rationem peccati: Et modò demonſtravimus

ex

ex ipſiuſmet principiis, etiam ſuis Præadamitis peccatum fuiſſe imputatum; adeoque vel eos exleges non fuiſſe, vel ſaltem de Lege Adamica hoc dictum Apoſtoli non poſſe intelligi. Illo quoque dilemmate utitur *cap. 8. Vel lex illa intelligenda eſt de lege data Moſi; vel de lege data Adamo;* Si prius *aſſerendum* erit *peccatum fuiſſe in mundo ante Moſem & uſque ad Moſem, peccatum verò per illud tempus non fuiſſe imputatum:* Si poſterius; *ſtatuendum peccatum fuiſſe in mundo ante Adamum & uſque ad Adamum, peccatum verò ante Adamum non fuiſſe imputatum*; Verùm ita ſupponit eodem planè ſignificatu vocabulum Legis eſſe ſumendum in utraque pericopa Paulina, quod falſum eſt; nam utitur Apoſtolus quadam antanaclaſi, & ejuſdem vocabuli ſignificationem aliquatenus immutat. Sed etſi largiremur utrobique Legem Moſaicam intelligi, nihil tamen contra nos faceret. Nam inde tantum ſequere-

tur,

tur, peccatum quidem jam fuiſſe in mundo ante Moſem & ex peccato mortem regnaſſe; minus tamen homines reputaſſe & æſtimaſſe vim, indolem & virus peccati ante Legem, quia ex Lege eſt cognitio peccati Rom: III, 20. & neſciviſſent homines plurima peccatis eſſe annumeranda, niſi ea Lege Dei damnata & prohibita vidiſſent Rom: VII, 7. Objicit quoque *Syſt. lib. 1. cap. 1.* debere hîc intelligi *legem illam cujus tranſgreſſio peccatum Adami fecit*, eo quod Apoſtolus agat *de peccato illo Adami quod reatum meruit omnibus hominibus.* Sed hæc eſt trivola ratio; cùm è contrario velit Paulus oſtendere, aliunde quam ex illa Lege de qua diſſerit, hoc peccatum eſſe repetendum.

26. Quintum denique poſtulatum Præadamitæ hoc eſt, ſolos poſſe dici Præadamitas non peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami ut aſſerit *Exercit. cap. 13. & 17.* cùm & in *infan-*

tes id cadat & in cœteros omnes, quod potiſſimum de infantibus ſtudet probare *Exerc. cap. 6. & 7.* & *cap. 15.* veram ſimilitudinem peccati Adami arceſſit ex Oſeæ VI, 7, Ut autem hoc ſuum ἕυρημα juvet, iterum mutat *cap. 6. & 13.* aoriſtum ἁμαρτήσαντας, quo ſignificantur qui non *peccaverunt*, in præteritum pluſquam perfectum, *peccaverant*, ut eos probet intelligi qui ante Adamum extiterunt. Sed hæc omnia ſunt inficeta & abſurda. Nam hactenus ſatis conſtans Eccleſiæ Catholicæ & omnium Interpretum veterum ac recentiorum ſententia fuit, Apoſtolum per eos qui non peccaverunt ad ſimilitudinem trangreſſionis Adami, in quos nihilominus mors ſuum exerit imperium, quod peccatũ aliquod omninò præſupponit, intelligere ipſos infantes, qui nullius peccati & actualis ac voluntarij rei ſunt; unde colligatur eos igitur in Adamo & per ipſum infectos eſſe labe originali,

nali, quæ eorum condemnationi ſufciat; Ita nominatim Auguſtinus *lib. 1. de peccat. remiſſ. & merit. cap. 11.* ac quotquot hodie Theologi à Pelagio diſcedunt; Quamvis non diffiteor quoſdam olim, prælucente Origene Pelagianorum Patriarchâ, particulam negativam hinc reſecuiſſe, ut docet Auguſtinus tum *l. c.* tum *epiſt. 89.* atque eam mentem affinxiſſe Paulo, mortem in eos regnaſſe qui peccaſſent in ſimilitudine peccati Adami, ideſt ad illius imitationem. Verum cùm omnes libri veteres & novi, interpretes quoque Syrus, Arabs, Latinus, negativam habeant, ex illa liquet propoſitum Apoſtolo oſtendere quomodo omnes in Adamo peccaverint, ſiquidem omnes ab ipſo prognati, licet nullius actualis tranſgreſſionis rei, ut ipſe, morti ſunt obnoxij. Sanè ipſe Eraſmus, ut ut evidenter ſatis hoc loco militans Pelagio, tamen illud non peccare ad ſimilitudinem peccati

Adami,

Adami, interpretatur non peccare ita *impiè* ut ab Adamo factum eſt, qui videlicet ſciens & volens ex arbore ſibi tam diſtrictè prohibita auſus eſt comedere. At hîc noſter ſe opponit receptæ hactenus inter Chriſtianos ſententiæ, ut quo jure quâ injuriâ ſuos nobis obtrudat Præadamitas: & quamvis *Syſt. lib. 1. cap. 1. ſtatuat locum hunc ſingularem & unicum eſſe, quo tractatio peculiaris inſtituitur peccati originalis vulgo dicti*, tamen, ita ſibi conſtat, *cap. 6. Exercit.* negat Apoſtolum peccati originalis *vel minimam mentionem* hîc facere; *hîc enim*, inquit, *non erat illi locus.*

27. Frivola autem ſunt illius argumenta quibus communiorem hanc interpretationem Chriſtianorum conatur evertere. Infantes, inquit, *revera & naturaliter* peccarunt, ut Adam, quia *actualiter* ut ipſe ſubſunt morti: Verùm, & hoc æquè conveniret ſuis Præadamitis, quos actualiter & revera

æquè

æquè ac ipſum Adamum morti fuiſſe obnoxios non diffitetur. Tum ex eo quod revera moriuntur infantes, benè colligas eos actu & revera eſſe peccatores, non item eos peccaſſe actualiter: Ut actu & revera Levi decimatus fuit in Abrahamo, licet ipſe actualiter ſive perſonaliter has decimas non penderit, ſed originaliter tantum in Abrahamo. Addit, Mors cœpit regnare ab Adamo; Sed erant qui *peccaverant* antequam mors regnaret. Quia τὸ Peccáverant *denotat tempus præcedens tempus illud primum quo mors regnare cœpit*; Quin τὸ Etiam *denotat aliquid quod extra ordinem videtur, mortem ſcilicet regnaviſſe retro etiam à ſuo principio.* Verùm præterea quod ſic non probatur etiam infantes peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami, cùm regnum mortis poſſit conſiderari vel in communi reſpectu totius ſpeciei, vel in ſingulari reſpectu cujuſque individui, ut priori

ſenſu

ſenſu cœpit ab Adami peccato, ita poſteriori ſupponit cujuſque morientis reatum & peccatum, ſaltem originale ;· unde videmus quotidie infantes qui nondum *peccaverant* aliquo peccato actuali & perſonali ex reatu communi & peccato originali demeti falce mortis : Quo ſenſu, etiam retento præterito pluſquam perfecto quod hic ſuppoſuit Præadamita loco aoriſti, contra fidem ipſius V. V. cui priùs mordicùs adhęrebat, ac omnium omninò Interpretum, nihil inde contra nos ſequeretur: Quanquam nemo Grammaticorum hactenus ſomniarit aoriſti ſignificationem eſſe præteriti pluſquam perfecti, nec poſſit hoc idem participium ἁμαρτήσας com: 16. hujus capitis aliter reddi quam in prę-terito *qui peccavit*. Et cùm hic homo pertendat diſertè contra Paulum mortem etiam ante Adamum regnauiſſe, non video quî ſecum queat conciliari, dum ex illa vocula *peccaverant* col-

ligit *tempus præcedens tempus illud primum* (id eſt primo prius) quo ab Adamo & per ipſum *mors regnare cœpit.* In particula *Etiam* fateor ſuam eſſe emphaſim, non eam tamen quam hic in ſuo Parnaſſo vult ſomniare, videlicet *mortem regnaviſſe retrò etiam à ſuo principio*, ideſt antequam regnare incœpiſſet: Nam ſi mors regnaſſet in omnes homines ante ſuum principium, id eſt ante peccatum, pœna culpam præceſſiſſet, nec jure dixiſſet Apoſtolus, per unum hominem peccatum introjiſſe in mundum & per peccatum mortem: Imò ſi mors ab Adamo demum cœpit regnare juxta Apoſtolum, quâ licentiâ quis ſibi finget eam retro ipſum Adamum, ſive antequam Adam peccaſſet, jam ſuum imperium plene exercuiſſe? Quare emphaſis voculæ *Etiam* in eo demum conſiſtit, quod cùm mors ab Adami tempore regnaverit *etiam* in eos qui non peccarunt ad ſimilitudinem pec-

cati Adamici, ideſt in infantes, nondum capaces peccati ullius actualis & perſonalis, inde ſit colligendum eos in Adamo & per ipſum reos eſſe alicujus alterius peccati, nempe originalis, cujus mors illa quam ſuſtinent ex ordine juſtitiæ & comminationis divinæ opſonium & ſtipendium jure ſtatuatur.

28. At inquit, quotquot peccarunt in Adamo, peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adamicæ; Sed infantes etiam in Adamo peccarunt juxta Apoſtolum, *Dixit enim* OMNES HOMINES, *ætatem non diſtinxit.* Et quotquot fuerunt *inſiti in Adamo & in radice tranſgreſſionis Adamicæ, per ſuam inſitionem participes fuerunt radicis, ideſt ipſius tranſgreſſionis; Ergo multo magis participes ſimilitudinis illius.* Verùm non videt bonus vir, ſe tela depromere contra ſeipſum: Si enim quotquot in Adamo peccarunt, peccarunt ad ſimilitudinem peccati ipſius nequidem

nequidem inter Præadamitas quærendi erunt qui ad ſimilitudinem peccati Adami non peccarint, cùm & illi in Adamo peccaviſſe ſtatuantur. Interea tamen, ne quid dicam de inepta loquutione quâ vult nos in Adamo *inſitos* fuiſſe (cùm non ſimus illius radicis rami inſititij, ſed naturales*,) falſum eſt omnes eos qui in Adamo peccarunt peccaſſe ad ſimilitudinem peccati illius; cùm Adam ſolus radicis & ſtirpis in peccando rationem habuerit, cœteri omnes ramorum ab ipſo diffundendorum. Tum Adam non ſibi ſoli peccabat ſed omnibus ſuis poſteris; at quilibet cœterorum omnium ſibi ſoli in Adamo peccavit, non aliis. Fiunt quidem rami participes ſucci illius qui eſt in radice à qua pendent, ſed non ad inſtar ipſius radicis. Nam radix eum habet diffundendum & communicandum univerſaliter omnibus ramis; quilibet illorum

eum

eum habet pro ſua portione ſibi communicatū à radice: Id diſcriminis clarè Paulus inſinuat Rom: xi, 18. *Non tu radicem portas, ſed radix te.* Ipſamet Adami tranſgreſſio noſtra eſt & jure talis cenſetur apud Deum, ſed non eodem modo quo fuit ipſius Adami; Nam ſua fuit formaliter, perſonaliter & ſubjectivè; noſtra verò eſt tantum originaliter, interpretativè & imputativè. At inquit iterum, qui peccarunt peccato ſimili Adami tranſgreſſioni *vel ſimilitudine ſpiritali*, *vel ſimilitudine naturali*, illi peccarunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami: Id autem de infantibus ſtatuendum: quia primò peccarunt ſimilitudine ſpiritali, quâ intelligitur illis imputari Adami tranſgreſſio; deinde ſimilitudine naturali *imaginis*, quia Adam genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam Gen: v, 3. Imò etiam ſimilitudine proportionali, *ideſt ſecundum illam proportionem quæ eſt inter voluntatem*

teneram, *& peccatum infantis nondum remoti*, *ac voluntatem nodis & cortice duratam*, *& peccatum robuſtum quod eſt & luxuriat in adultis.* Certè hic homo non ænigmata modò ſed portenta verborum loquitur, in quibus diſcutiendis multum operæ ponere eſſet abuti patientiâ lectoris: Atqui nec imputatio, ſimilitudo ſpiritualis dici poteſt; neque enim vel Chriſtus cenſetur ad *ſimilitudinem noſtri* peccaſſe eò quod illi peccata noſtra imputata fuerint 2. Cor: v, 21. vel nos cenſemur ſpiritualiter *ad ſimilitudinem* Chriſti obediviſſe cùm ejus obedientia nobis imputatur, ſed cenſemur eam de facto præſtitiſſe; Nec diſtinguendum inter ſimilitudinem *proportionalem* & *ſpiritualem*, cùm illa pendeat ex operatione intellectus duo diſſimilia per varias analogias inter ſe conferentis; ut cùm confertur Rex in regno aurigæ in curru, vel nautæ in navi; quo ſenſu dixit Poëta,

Sic

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hoedos
Noram; ſic parvis componere magna ſolebam;

Nec debet ſimilitudo *imaginis* à ſimilitudine *proportionis* divelli, cùm proportionalium alterùm, ſemper ſit imago quædam alterius. Sufficiat Præadamitam jugulum ſuum petere hac argutiâ. Nam quod hîc tribuit infantibus, ſuis Præadamitis quoque convenit; quibus convenit peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami, omni illâ ſimilitudine quam vult intercedere inter infantes & Adamum, videlicet ſpirituali per imputationem, & naturali utraque tam imaginis quam proportionis: cùm & illos ſtatuat in Adamo peccaſſe imputativè, & fuerint ejuſdem naturæ & ſpeciei cum Adamo, & proportio queat obſervari inter ipſorum voluntatem rebellantem Legi naturali, & voluntatem Adami deflectentem à Le-

ge poſitiva quam acceperat in Paradiſo.

29. Adhæc cùm fundamentum ſimilitudinis cujus meminit Paulus agens de tranſgreſſione, conſiſtat non tantum in eſſentiæ, figuræ, facultatum vel aliarum qualitatum convenientia, ſed etiam & maximè in convenientia actionis, hæe potiſſimum ad id debet ſpectari, ut quis dicatur egiſſe ſive peccaſſe ad ſimilitudinem peccati vel actionis alterius; ſi nempe egit quomodo ipſe, & ſuo facto ſe implicuit ſimili culpæ, vel in genere vel in ſpecie, circa idem numero aut ſpecie objectum: Ita qui peccat malo exemplo alterius, & ſcortatur vel inebriatur ut ille, peccat ad ſimilitudinem tranſgreſſionis ejus: Sic autem, benè infantes prematurâ abrepti morte negantur peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami, cùm nullo peccato actuali impliciti fuerint ut ipſe. Quinimò nullâ ratione infantes

queunt

queunt cenſeri peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami; Non imputatione; nam imputatur ipſis, non ſimile peccatum, ſed idem; adeoque per talem imputationem non cenſentur peccaſſe ad ſimilitudinem illius peccati, ſed illud idem numero & ſingulare peccatum in ſuo capite admiſiſſe: Aliud ſanè eſt ejuſdem peccati æquè reum teneri cum altero, aliud peccaſſe ad ſimilitudinem illius: Nam ſimilitudo inter duo aut plura diſtincta peccata ejuſdem generis vel ſpeciei verſatur; ſed uniformitas reatus in pluribus ſubjectis poteſt oriri ex uno ſingulari delicto, quod ab omnibus ſimul ſuo modo perpetratum fuerit. Non ſimilitudine phyſicâ generationis quâ *fortes creari fortibus & peccatores peccatoribus generari putantur*; Etenim quamvis pater peccator gignat filium, ut Adamus Sethum Gen: v, 3. *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ideſt non tantum ejuſdem naturæ &

ſpeciei ſecum, ſed etiam eidem habituali & ſubjectivæ corruptioni obnoxium, poteſt quidem infans æquè ac parens ſtatui peccator habitualiter, prout talis denominatio fit ab habitu, verùm non poteſt dici cùm naſcitur, jam peccaſſe actualiter ad ſimilitudinem patris ſui, quandoquidem nihil dum egit boni vel mali Rom: 1x, 11. Lupus cùm in lucem editur rapax eſt, & rapacitate ſimilis patri ſuo; nequit tamen dici jam oves dilaniaſſe ad inſtar illius. Non denique ſimilitudine analogiæ & proportionis quæ concipe retur inter voluntatem peccandi infantis recens nati & Adami cùm actu tranſgreſſus eſt; Nam in infante recens nato, nulla eſt voluntas peccandi, nulla volitio vitioſa, nullus omninò vel debiliſſimus conatus malè agendi, qui proportione ſimilis ſtatui queat Adami voluntati formatæ, determinatæ, obfirmatæ ad peccandum.

30. Id

30. Id longè abſurdius in Præadamita quod ſtatuit *cap. 16. Exercit. Neminem potuiſſe unquam peccare actualiter ſicut Adam peccavit*, unde vult colligi, non ideo negari poſſe infantes peccaſſe ad ſimilitudinem peccati Adami, quoniam non peccarint actualiter. Nam ut lubens concedo, neminem unquam peccare poſſe peccato ſimili peccato Adami, ſpecificè ſic dicto, ſuſtinendo in ſe totum genus humanum, & comedendo ex arbore prohibita, cùm nemo amplius illo interdicto teneatur, ac ut ipſe loquitur, *arbor ſcientiæ boni & mali evanuerit ex oculis omnium hominum ex quo Adamus Paradiſo ejectus eſt*; ita ſanè omnia peccata actualia hominum, diſtinctè ab originali peccato, ſunt ſimilia genericè peccato Adami, ut genericè ſimilia ſunt inter ſe omnia peccata vel omiſſionis, vel commiſſionis: Ita fratricida quilibet, peccat ad ſimilitudinem peccati Caini, ut viceverſa qui

 diligit

diligit fratres ſuos *non eſt ſicut Cain qui ex malo erat & occidit fratrem ſuum* 1. Joh: III, 12. Imò ſibi hac in parte adverſatur Præadamita, qui *cap.* 15. ex Oſeæ VI, 7. colligit Judæos verè peccaſſe & tranſgreſſos fuiſſe *pactum* Dei *ſicut Adam.* Non eſt quòd hîc fusè diſputem de ſenſu hujus loci: Num vox כאדם *KeAdam* debeat ſumi appellativè, ſive in caſu recto, ut ſentiunt R. David Kimchi & Mercerus; ut ſit niens Prophetæ, Tranſgreſſi ſunt ſicut homo, id eſt ut homini in ſtatu corruptionis proclive eſt labi; ſive in obliquo, prout reddiderunt Genevenſes ac Junius; ut ſit ſenſus, Tranſgreſſi ſunt ac ſi fuiſſet fœdus hominis; An verò debeat ſumi propriè, ut fit à R. Salomone Jarki, Vulgato interprete, & noſtratibus Belgis; Hoc poſtremo conceſſo, hæc erit mens Prophetæ, quod ſicut Adam poſitus in Paradiſo tranſgreſſus eſt Dei fœdus, actualiter, contumaciter, ſciens

&

& volens ; ita etiam Judæi reos ſe conſtituerint, contumacis & actualis tranſgeſſionis coram Domino: unde ſequitur magis quod volumus, peccare ad ſimilitudinem peccati Adami, eſſe peccare actualiter & legem ſibi à Deo poſitam ultrò violare. Nec valet quod inde concludit Præadamita, *Ergo non peccaviſſe ad ſimititudinem tranſgreſſionis Adami, fuiſſe nullum pactum Dei rupiſſe, nullam Dei legem perfregiſſe*; quod vult ſuis Præadamitis convenire, *quibuſcum Deus nihil pepigerat, quibus nullam legem Deus indixerat, quia peccaverant ante legem Dei*, ac *nullo jure, nullo pacto divino tenebantur* ; nec *peccaverant imputativè, quia ante legem peccata non imputabantur ; ante legem inquam illam quam Deus dedit Adamo, à quo peccatum cœpit imputari, quia lex ab illo cœpit eſſe.* Etenim primò ſimilitudo hæc non tam conſideratur ex parte objecti, quam ex parte ſubjecti, & modi quo violatur Dei pactum, nempe ſcienter &

volenter: Quare peccare aliter quam ad ſimilitudinem peccati Adami, non eſt nullam legem divinam violare; nam ſepoſitâ omni lege nullo modo peccatur; ſed eſt reum eſſe violatæ legis alio modo quam ſuâ actuali & perſonali tranſgreſſione. Deinde tam abſurdum eſt concipere peccatum coram Deo, ubi nulla lex Dei fuerit, quam abſurdum fingere homines qui nullo jure, nullâ lege Deo teneantur, qui ex conſequenti ſint independentes à Deo, imò qui nec homines ſint; cùm Lex Dei naturalis omnium mentibus inſcripta ſit, non ſolum teſte Apoſtolo Rom: 11, 14. 15. ſed etiam ipſiſmet Ethnicis agnoſcentibus, quibus illa lex, omnium ſanè princeps & prima, ἔμφυτον δίκαιον, item ἀσφαλὲς καὶ ἄγραπτον θεοῦ νόμιμον meritò dicitur. Nec alia lex in genere morum per Moſem promulgata denuò, quam quæ primùm hominum mentibus digito Dei inſculpta fuerat,

&c.

& cujus rudera permanſerunt in ipſis gentilibus ; prout Tertullianus *adverſus Iudaos* ſcitè oſtendit *primordialem legem datam Adæ & Evæ in Paradyſo matrem omnium præceptorum Dei* fuiſſe & cœtera Decalogi pręcepta in illa violata ; quamvis coactum nimis arbitremur quod Judæi in *Seder Olam Raba cap. 5.* ſeptem Noachidarum præcepta, quæ ſunt juris naturalis, uno forte excepto, in primo interdicto Adamo facto reperire voluerunt : Id ſaltem certiſſimum promulgationem ſive renovationem Legis per Moſem ita fuiſſe ſpecialem Iſraelitis, ut tamen eadem Lege in iis quæ ſunt juris moralis & naturalis omnes omninò homines ſemper teneantur. Denique ſi peccata nulla *imputabantur* Præadamitis, ergo nec Adami peccatum illis fuit imputatum ; aut ſi illis *cœpit imputari* demum poſt actualem tranſgreſſionem Adami, cœperunt igitur conſtitui peccatores diu poſtquam

 mortui

mortui eſſent ; licet dicat Apoſtolus Rom: v 1, 7. eum qui mortuus eſt liberatum eſſe à peccato ; & mortem illam ſuam non ſuſtinuerunt ex reatu ſui peccati : quod num poſſit vel ſecum , vel cum recta ratione conciliare Præadamita , viderit ipſe.

31. Ex iis autem quæ hactenus diſputata ſunt facilè liquet quot abſurdis implicetur , quamvis ne quidem centeſimam eorum partem attigerim , dum ſuos Præadamitas ex Apoſtoli dicto vult ſtabilire. Sic enim fingit , ita primò intraſſe peccatum & mortem in mundum per Adamum , ut infinitis ſeculis ante Adamum jam peccatum & mors in mundo fuerint ; ita ab Adamo mortem regnare cœpiſſe , ut diu inter Præadamitas ſuos imperium abſolutum obtinuerit ; ita hos peccaſſe in Adamo imputativè , ut tamen nullum peccatum ante Adami tempora imputatum cuiquam fuerit ; ita illis alienum peccatum

fuiſſe

fuiſſe imputatum, ut ex ſuis propriis tranſgreſſionibus nullum reatum contraxerint; ita fuiſſe illos peccatores coram Deo, ut nullius legis divinæ violatæ rei fuerint; ita fuiſſe obnoxios morti, quæ pœnæ eſt peccati, ut tamen nullum peccatum ipſis fuerit imputatum; ita fuiſſe homines & creaturas rationales, à Deo in eſſe ſuo dependentes, ut nullas leges à Deo acceperint, juxta quas ſuam illi obedientiam approbarent; ita mortales, ut nec cœlum, nec inferos animæ ipſorum poſt mortem adierint; ita redemptos quod magis eſt per Chriſtum, & in fine ſæculorum, qui nunquam erit, ad vitam beatam revocandos, ut nunquam in ipſum crediderint, & nihil vel fando de illo audiverint. Taceo plura alia errorum monſtra quæ hic homo ſuæ interpretationi loci Paulini immiſcuit, ipſam Redemptionem per Chriſtum penitùs evertentia; Sed

id

id non videtur prætermittendum quod *cap. 12. Exercit.* urget in genere pro ſua interpretatione adſtruenda, *Duo nempe tempora notari ab Apoſtolo, unum à Lege, alterum ante Legem*, ideſt juxta ipſum, *unum ab Adamo, alterum ante Adamum.* Sed id eſt falſiſſimum: Meminit quidem Apoſtolus temporis ante Legem, ſive ante Moſem, quod fluxit ab Adamo; ſed nullum notat tempus quod fluxerit poſt Legem: nec aliud ipſi tempus quod fluxit uſque ad Legem, quam quod fluxit uſque ad Moſem: Nec à Lege ut per Moſem fuit renovata, ſed ab Adamo incœpit illud tempus, quo per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors & regnum mortis; quo itidem peccatum & mors fuerunt in mundo, licet (juxta pleroſque Interpretes) peccatum illud non ſatis reputaretur, nec ejus noxietas ſatis æſtimaretur.

32. Ejuſ-

32. Ejuſdem eſt furfuris quod *Exerc. cap. 20.* nugatur *Peccata præcedentia de quibus loquutus eſt Paulus Rom: III, 25. eadem eſſe quæ facta* fingit à ſuis Præadamitis *ante Legem & Adamum*: Nam in hoc commento & ſibi ipſi repugnat, & Scripturæ. Sibi quidem ipſi: Nec enim videtur Chriſti ejuſque morti aliud tribuere quam abolitionem illius unius peccati communis ab Adamo commiſſi, quod omnibus imputatur: Id non obſcurè docet *Exerc. cap. 11.* ubi ſtatuit nihil aliud expiatum à Chriſto ſuâ morte quam *tranſgreſſionem legis*; nihil aliud ſublatum quam *imputationem peccati quæ erat per tranſgreſſionem legis*; nullum aliud ablatum *regnum mortis*, quam illud *quod inceperat à peccato Adami*; Hinc itaque ſic ratiocinor contra ipſum; Peccata ante legem & Adamum commiſſa, ut pote cum nec imputata, nec ullius legis tranſgreſſiones fuerint, non ſunt expiata

per

per Chriſtum : Atqui peccata *præcedentia* Apoſtoli, fuerunt expiata per Chriſtum : Ergo non debent cenſeri eſſe peccata illa quę fingis ante Legem & Adamum commiſſa : Scripturę verò, quæ docet perſpicuè peccata hæc ea fuiſſe quæ præceſſerunt actualem Chriſti mortem, & à quibus *per Legem Moſis* pii *juſtificari* non potuerant, ut docet idem Apoſtolus Act:XIII,39. Nam ſic Heb: IX, 15. dicitur mortem ejus interceſſiſſe ad redemptionem *earum tranſgreſſionum quæ fuerunt ſub priori pacto.* Verùm omnes abſurditatis numeros implet quod *Exercit. cap. 17. & 18.* pertendit Apoſtolum Rom: 7. unius ex ſuis Præadamitis perſonam aſſumere ; Nam ſanè Apoſtolum ibi de ſeipſo loqui, ſive ceu nondum regenito, ut volunt Pelagiani ; ſive ut jam regenerando, ut quidam ſentiunt ; ſive potiùs ut jam regenito, ut ſtatuunt Orthodoxi ; (ne-

que

que opus eſt hanc queſtionem hîc ventilari,) tota ſeries contextus luculenter oſtendit. Eum verò facere Præadamitam, cùm fuerit ex Judaica ſtirpe, nequidem ipſa auſit impudentia; Nec intelligit hoc capite nomine *Legis*; interdictum Adamo factum de arbore ſcientiæ boni & mali, ſed ipſam Legem moralem Decalogo comprehenſam, & cujus inter alias hæc fuit regula quam ipſe ibi inculcat *Non concupiſces*; hac enim delectabatur *quod ad interiorem hominem*, & illi conſentiebat *quod bona eſſet*, & ex hac cognoſcebat diſtinctè atrocitatem & noxietatem peccati, & quam remotus eſſet ab illius perfecta præſtatione. Quod verò dicit com. 9. quod abſque Lege peccatum quidem erat mortuum, ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ, non eſt ita ſumendum, quaſi unquam Apoſtolus vixerit omninò & abſolutè abſque Lege; Sed hoc ſibi vult, quod

abſque

abſque Legis accurata, penitiori & magis attenta conſideratione, quâ deſtituebatur in ſuo Phariſaiſmo, peccati vim minus ſentiebat, ac ſi penitùs mortuum fuiſſet; ipſe verò videbatur ſibi bellè vivere, ad inſtar iſtius juvenis commemorati Matth. xix, 16. 17. 18. qui neſciens quam accuratam Charitatem erga proximum & pauperes Lex exigeret, ſuperbè jactabat ſe omnia ejus mandata à prima juventute ſedulò obſervaſſe: prout obſervant Eruditi inter varias Phariſæorum ſpecies unam fuiſſe, cujus hoc erat Symbolum, *Quid eſt amplius faciendum & ego faciam illud.* Igitur licet dici non poſſit Paulum *vixiſſe unquam abſque Lege*, ut urget Præadamita, tamen dici poteſt eum aliquando vixiſſe ſine ea accurata Legis cognitione, quâ peccati inhabitantis vires & virus cœperunt excitari. Sed manum de tabula; nam cùm ſordidum ſit erucas conterere, piget

piget diutiùs immorari in iſtis nugamentis refutandis; Quæ diximus ſufficiunt evertendæ interpretationi quam iſte homo voluit nobis obtrudere loci Paulini, & probando nihil minus poſſe colligi ex dicto Apoſtoli, quam homines alios ante Adamum extitiſſe; quod hîc loci demonſtrandum ſuſceperamus.

QVÆRITVR

Quintò, An potuerit imputari peccatum Adami hominibus ab ipſo non oriundis, & qui fingerentur multis ſæculis ante ipſum in mundo extitiſſe? Neg.

QUod ſi quæcunque habet Præadamitarum Aſſertor de imputatione vel tranſgreſſionis Adami, vel obedientię & juſtitiæ Christi, ad incudem forent revocanda, multas ſordes retractandas haberem. Nam quid ineptius eo quod aſſerit *Syſt. lib. 5. cap. 2.* non ideo *imputatum fuiſſe Chriſtum mortuum hominibus quia eiſdem imputatus fuerat Adamus peccator*, ſed è contrario imputatum fuiſſe Adamum peccatorem hominibus, *ut eiſdem imputaretur Chriſtus mortuus*; adeo ut *prima* fuerit *in conſilio Dei imputationis ratio in morte Chriſti*,

ſti, *ſecunda in morte Adami?* quod vult probare ex Apoc: XIII, 8. & 1 Pet: 1, 20. Quaſi verò Deus ante de medicina paranda hominibus quam de eorũ morbo cogitarit, nec tam emplaſtrum vulneris causâ, quam vulnus propter emplaſtrum eſſe voluerit. Ante conſtitutionem mundi, ideſt ab ęterno, decreta fuit ſanguinis Chriſti effuſio in redemptionem hominum, quia ab æterno quoque decreverat Deus creare hominem, & ejus lapſum ac totius ſpeciei in ipſo interitum permittere; nec aliter agnus occiſus fuit à mundi conſtitutione, quam quia Adamo poſt ſuum lapſum in proteuangelio promiſſus fuit, in pecudibus, ex quarum exuviis veſtes Deus illi paravit, adumbratus, in ſacrificiis ab ipſo & ſuis filiis offerri cœptis ſignificatus; imò quadantenus in ipſomet Abele per Cainum cæſo figurativè mactatus. Quin ipſe Præadamita *ejuſdem lib. 5. cap. 1.* ſtatuit homines

homines debuiſſe *priùs peccare & condemnari in Adamo*, quam morerentur *in Chriſto*: quare decretum de ipſis creandis & eorum lapſu permittendo in ſigno rationis prius debet concipi decreto de illis recreandis & redimendis per Chriſtum. Quid item abſurdius, quam inter capita *imputationum myſticarum*, ut ille loquitur, medium inſerere Abrahamum, ut ſtudet facere *Syſt. lib. 5. cap. 3.* ſtatuendo, id quod geſſit Abrahamus *in negotio fidei*, non minus *nomine omnium hominum ratum habendum* & factum fuiſſe, quam quod Adam geſſit *in negotio legis*, & Chriſtus *in negotio redemptionis?* Sanè non cenſemur fideles fuiſſe & credidiſſe in Abrahamo, ut cenſemur jure peccaſſe in Adamo; nec ſicut Adamus nobis omnibus peccavit, ita Abrahamus omnibus credidit, ſed ſibi ſoli, cùm juſtus ex fide ſua vivat, licet unicuique noſtrûm non minus quam ipſi noſtra fides in Chriſtum nobis veniat

niat imputanda ad juſtitiam Rom: IV, 9. nec *pater credentium* dicitur com. 11. quod in ipſo crediderint omnes fideles, vel quod actus ille numericus fidei ſuę omnium eſſe reputetur, ut in Adamo omnes peccarunt, ſed quod ſuo exemplo poſteris ſuis præluxerit ad fidem, licet jam aliorum ante ipſum fides celebretur: Mirum quin imputationum ſuarum myſticarum capitibus inſeruerit quoque Jabalem & Jubalem, quorum ille fuit *pater habitantium in tentoriis atque paſtorum*, hic vero *pater canentium citharâ & organo* Gen: IV, 20. 21.

2. Quid iniquius, quam talem fingere imputationem primi peccati omnibus hominibus, quæ *revera* nihil ſit operata, ita ut ex illo reatu nec Adamus ipſe, *neque ullus unquam mortalium mortuus ſit*, ut loquitur *Syſt. lib. 5. cap. 3. præter unum Chriſtum*, ut habet *cap. 4.* dixerit licet Apoſtolus tam expreſſè omnes mori in Adamo ut in Chriſto

omnes

omnes vivificantur 1 Cor: xv, 22. & Rom: v, 12.14. per unum hominem peccatum introjiſſe in mundum & per peccatum mortem! & ita mortem in omnes peruaſiſſe in quo omnes peccarunt? Ut hinc ſe expediat Præadamita *Syſt. lib. 9. cap. 5.* clamitat *Mortem de qua hîc loquitur Apoſtolus, non naturalem intelligendam eſſe, ſed ſpiritalem & myſticam.* Sed pręterea quod antea diſtinxerat mortem in naturalem & legalem, quam diſtinctionem ſuo loco refutavimus, nullâ myſticę & ſpiritualis factâ mentione, & quod mortem eam intelligat Apoſtolus quæ eſt ſtipendium peccati, quam Præadamita dicit alibi non minus naturalem eſſe quam legalem; nequidem mors illa ſpiritalis & myſtica, ſive potiùs parabolica, imaginaria & fabuloſa hujus hominis, omnes homines pervaſerit, & ab Adamo ad Moſem & legem uſque regnaverit promiſcuè in omnes, etiam eos qui non peccave-

rint

rint ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, ſi illâ quæcunque ſit, nec Adamus, nec quiſquam alius præter Chriſtum, propter Adami peccatum unquam defunctus eſt. Quid magis impium, quam vel fingere morte Chriſti nihil malorum noſtrorum eſſe ſublatum, præter illam unicam imaginariam imputationem tranſgreſſionis Adamicę quæ nemini unquam obfuit, ut clarè dicit hic homo *Syſt. lib. 5. cap. 6. & cap. 7.* vel imputationem mortis & ſatisfactionem Chriſti, adeoque juſtificationem ex illa, extendere ad omnes & ſingulos homines, qui peccarunt in Adamo, ut ſtatuit ſubinde, nominatim *ejuſd. lib. cap. 5.*? Atque huic fundamento ſuperſtruitur quod paſſim inſinuat de omnium & ſingulorum ſalute; quò ſpectat quod ait *cap. 6. Crucifixus eſt cum Chriſto vetus Adam, & vetus homo legalis noſter, ſed vivit adhuc in nobis vetus ille homo naturalis verè noſter, qui non in morte Chriſti ex-*

tinctus eſt, ſed qui virtute reſurrectionis ejus extinguetur olim; Item ideo *peccatum Adami imputatum eſt hominibus, ut eiſdem juſtitia Chriſti, quæ mors Chriſti eſt, imputaretur*; item apertiùs illud *cap. 9. Quicquid decrevit Deus de hominibus in ſalutem hominum decretum eſt. Et ſi quid ſuit quod aliàs minus illis benè vertere videretur, convertet Deus olim idem illud in melius. Conſultum igitur exquiſitumque fuit hominibus illis qui Adamum anteceſſerunt, mori ex tranſgreſſione & peccato Adami* (modò tamen neminem ex illa mortuum dicebat) *ut reſurgant olim ex mortuis ſecundum Spiritum ſanctificationis quæ eſt in Chriſto.* Certè hic homo ipſus ſibi cavet loco; cùm enim moleſtius ipſi ſit ſalutem adire per portam anguſtam, majorem aperit, ac omnibus ſalutem pollicetur, ut ipſe quoque in turba ſervetur.

3. Sed his & ſimilibus miſſis, quæ licet excogitata fabulæ Præadamiticæ ergo, directè ad eam non pertinent, id

id ſolum nunc ſuſcepi examinandum quod extat *Exercit. cap.21. & 24.* necnon *Syſt. lib.5. cap. 5. & 9.* neutiquam requiri traducem naturalem ex Adamo in hominibus, ut illis Adami peccatum imputetur, adeoque potuiſſe Præadamitis omnibus, necnon eorum poſteris, Adami peccatum imputari, licet non fuerint naturaliter ab ipſo propagati. Quamvis enim quandoque neget peccatum ullum imputatum fuiſſe ſuis Præadamitis, eo quod nullâ Dei lege tenerentur, & lege non exiſtente non imputetur peccatum, attamen per ſummam mentis ἀκαταστασίαν aliàs pertendit etiam eos in Adamo peccaſſe & illius tranſgreſſionem illis imputatam fuiſſe. Verum enim verò facile erit demonſtrare non potuiſſe imputari peccatum Adami ulli extraneo & qui Adamitæ ſtirpis non fuerit, & per conſequens Præadamitas omnes excludendos, ut à reatu & peccato prioris Adami, ita

 à juſtitia

à juſtitia & redemptione ſecundi; imò potiùs nullos poſſe concipi homines Præadamitas, quia peccatum & mors quæ in omnes homines pervaſerunt per tranſgreſſionem unius Adami, in quo omnes peccarunt, non alios potuerunt impetere quam eos qui naturaliter ex Adamo, primo authore peccati & mortis, propagati fuerunt. Primùm enim iis ſolis poteſt imputari Adami peccatum, qui *in ipſo* peccarunt: Hoc verò convenit demum iis ſolis qui ab ipſo naturaliter fuerunt propagati; qui intelliguntur in Adamo fuiſſe ſeminaliter & originaliter cùm peccavit, prout Levi decimatus cenſetur in lumbis Abrahæ, quia in illis erat ſeminaliter & originaliter cũ Patriarcha decimas perſolvit Melchiſedeco. Præterea ſi nequidem Chriſtus cenſeri poteſt peccaſſe in Adamo, licet ab ipſo quoque humanitatis ſuæ reſpectu traxerit originem, quoniam ab ipſo non proceſſit per

per traducem ordinariam & naturalem, quanto minus cenſeri quirent in Adamo peccaſſe, qui nullo modo ab ipſo derivarentur? Tum etiam, cùm teſte Paulo, is qui mortuus eſt ſit *liberatus à peccato* Rom: VI, 7. nihil abſurdius quam fingere hominibus Præadamitis diu mortuis antequam Adamus peccaret, potuiſſe Adami peccatum ad pœnam mortis imputari, & eos ex alieno delicto peccatores & reos infinitis poſt ſuum obitum ſæculis conſtitui.

4. Adhęc certum eſt per unum hominem peccatum introjiſſe in mundum & omnes pervaſiſſe, non ſolum *imputatione* illius actualis tranſgreſſionis quam Adam commiſit omnium ſuorum poſterorum nomine, qui in ipſo cenſebantur tanquam in ſuo capite, per juris fictionem ei ſimilem quâ *qui in utero eſt*, perinde habetur *ac ſi in rebus humanis eſſet*, inquit ICtus *ff. de ſtatu hom. lege 7.* ſed etiam *propa-*

gatione illius habitualis corruptionis quam Adam ſuô peccato contraxit, extinctâ in ſe illâ imagine Dei & juſtitiâ originali quâ primitùs donatus & ornatus fuerat. Ac ſicut iſtâ propagatione ex Adamo, obtinet illud Auguſtini *lib. 2. op. imp. contra Iul.* *De concubitu proles naſcitur trahens originale peccatum, vitio propagante vitium, Deo creante naturam,* ita vi illius dicimur *naturâ filii iræ* Eph: 11,3. Et ſanè cùm juxta Thomam *1. p. q. 100. art. 1. naturaliter homo generet ſibi ſimile ſecundum ſpeciem, unde quæcunque accidentia conſequuntur naturam ſpeciei, neceſſe eſt ut in iis filij parentibus ſimilentur,* quomodo Adam ſi non peccaſſet, homines genuiſſet integros & originaliter juſtos, ita debuit corruptus & peccator factus ſuâ tranſgreſſione, procreare filios ad imaginem & ſimilitudinem ſuam Gen: v, 3. ideſt corruptos, peccatores & mortales: Ac ſicut *Fortes creantur fortibus & bonis, Eſt in equis eſt inju-*

in juventis Patrum virtus nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbas, ut loquitur Horatius, ita viceverſâ mali corvi malum ovum, juxta Adagium, eſſe oportet. Ideo Theologi docent Chriſtum debuiſſe aliter concipi & naſci quam reliquos homines ex Adamo oriundos, ne labem illam originalem contraheret quæ per generationem ordinariam ex Adamo ad ſingulos propagatur, ut monet Scriptura Pſal: LI, 7. & Joh: III, 6. Videatur Auguſtinus *lib. 1. de nupt. & conc. cap. 12.* ubi docet ideo ex nuptiali concubitu non proceſſiſſe conceptionem Chriſti, *quia in carne peccati fieri non poterat, ſine carnis pudenda concupiſcentia quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit qui futurus erat ſine peccato, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati; ut hinc etiam doceret omnem quæ de concubitu naſcitur carnem eſſe peccati, quandoquidem ſua ſola quæ non inde nata eſt non fuit caro peccati.*

5. Hæc autem duo, imputationem actualis tranſgreſſionis Adami, & propagationem habitualis ſuę corruptionis, ita conjungit ſanior Theologia in explicanda natura peccati originalis, ut primò conſtanter reſpuat errorem Pighij & Catharini, negantium nativæ & inhærentis corruptionis traducem ex Adamo, & peccatum originale in ſola actualis ſuæ tranſgreſſionis imputatione conſtituentium; Nam ſanè hic error ab omnibus Scholis Chriſtianorum, non Proteſtantium modò, ſed etiam Doctorum Communionis Romanæ, meritò rejicitur; Secundò pertendat jure hæc duo eſſe adæquata, ut nec quiſquam naſcatur corruptus & vitioſus ex Adamo, cui Adami lapſus non imputetur, nec cuiquam hæc actio illius tranſiens imputetur vel imputari queat, niſi iis ad quos unà habitualem ſuam corruptionem per traducem naturalem tranſmiſerit. Imò ſic potiſſi-

mum

mum in hac habituali & congenita ſingulis corruptione ſita eſt ratio peccati originalis, quod per unum hominem teſte Paulo Rom: v, 12. intravit in mundum & in omnes *peruaſit* ſive *pertranſiit*, ubi ſanè vox διῆλθεν ſatis nos deducit ad hanc traducem naturalem, ut non defuerint viri magni, qui putarint imputationem minùs requiri ad peccati originalis conſtitutionem vel explicationem. Et ex iis qui illi ſententiæ nolunt accedere, ut revera ſuis incommodis laborat nec facilè defendi poteſt, ſunt qui pertendant hominem per prius in ſigno rationis eſſe concipiendum inhærenter corruptum, per labis originalis propagationem, quam illi imputetur peccatum ſingulare Adami, quia metuunt ne Adami peccatum imputetur innocenti; licet iſte metus vanus ſit; nec enim innocenti hęc culpa & ceu merè aliena unquam imputatur, ſed cuilibet ut nocenti & tanquam ſua. Nos tamen

contrarium tutius arbitraremur, eo quod homines priùs fuerunt in Adamo originaliter & repræſentativè, tanquam in radice ſuæ originis, quam extra illum, perſonaliter & ſubjectivè; unde per prius cenſendi ſunt peccaſſe in & cum Adamo, per actualem ejus transgreſſionem in qua omnes eorum perſonas ſuſtinebat; quam ſubjectivè & inhærenter ſpecificam illam vitioſitatem contraxiſſe. Quanquam forte hæc quæſtio de prioritate inter hæc duo, non ſit tanti momenti; Nam licet fundamentum imputationis iſtius, ſit prius propagatione nativæ corruptionis, illa nempe fictio juris divini juxta quam in primo homine reliqui omnes, ut pote ab ipſo derivandi, cenſebantur ſtare vel cadere, tamen cùm nemo formaliter reus dici poſſit ex actuali illius lapſus imputatione, qui actu non exiſtat in rerum natura, & nemo exiſtat talis imputationis capax, qui per ſui generationem non ſit in-

infectus labe illâ inhærente ſingulis, quæ itidem ab Adamo derivatur, poſſent ſtatui & imputatio & propagatio pari paſſu in ſingulis procedere. Ut ut ſit, hæc duo ita conjunctim procedunt ut unum nequeat patere latiùs altero: At verò non propagatur originaria labes, niſi in poſteros Adami, unde illa inhærens corruptio, vetus homo ſive vetus Adam appellatur in ſacris literis; Quare nec actus Adami tranſiens, aliis quam illius poſteris poteſt imputari.

6. Præterea ipſe-met Præadamita *Syſt. lib.* 5. *cap.* 2. tres facit *conjunctiones rerum imputationibus habiles*, ut loquitur, ideſt quæ poſſint eſſe imputationum fundamenta, *Phyſicas*, *Politicas & Myſticas.* Statuit ex conjunctione *phyſica* filiorum cum ſuis patribus à quibus geniti ſunt, cenſeri filios peccaſſe *in lumbis patrum ſuorum; ratione eadem quâ Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahami Hebr* 7. Ex *politica*, quâ ſubditi adhærent

ſuis Regibus, populo & communitati imputari delicta Regum; Ex *myſtica* piorum cum Chriſto, hujus obedientiam & ſatisfactionem illis imputari. Nolim hîc prolixè ad cenſuram revocare quæ peccat multifariàm in his tribus explicandis. Falſum eſt, quod *omnes homines* dicit conſtituere *corpus myſticum, quæ propter ſuam cum Chriſto ſimilitudinem quodam veluti ferrumine myſtico cum illo conjunguntur*: Nam *corpus myſticum* Chriſti, non conflatur ex omnibus hominibus, ſed tantum ex piis, electis & fidelibus; nec vinculum unionis noſtræ myſticæ cum Chriſto eſt ſimilitudo naturæ, quæ piis & impiis communis eſt, ſed fides & gratia, Eph: IV, 16. Abſurdum, quod dicit fidem Abrahami imputari *fidelibus omnibus*; cùm quiſque ex fide ſua vivat, uti priùs dixi. Ineptum, quod aſſerit id quod dicitur *filiorum dentes obſtupuiſſe, quorum patres comediſſent omphacem*, dici *ſecundum leges illas quibus Deus viſitare dicitur*

ini-

iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem: Nam illi adagio Jerem: XXXI, 29, ſed præſertim Ezech: XVIII, 2. locus erat inter Judæos non ex illa lege, ſed ex imaginatione ſua, quaſi cogerentur luere, ut ut innocentes, quæ à patribus ſuis iniquè patrata fuerant; cui querelæ id opponitur à Propheta, *Anima quæ peccat ipſa morietur* Ezech: XVIII, 4. Nec viſitat Deus inquitates patrum in filios, niſi fuerint nocentes & peccatorum paternorum vel imitatores vel complices: Verùm cum *hîc* loci non ſit diſputandum, quam juſtè & quo uſque poſſit imputari vel patris peccatum ſuis filiis ob communionem phyſicam, quę his cum illo intercedit, vel culpa regis ſuis ſubditis ob politicam conjunctionem quam habent inter ſe, admiſſâ tantiſper trichotomiâ Præadamitæ, dico quod non poſſit imputari peccatum Adami reliquis hominibus ex alia conjunctione cum ipſis quam phyſica, juxta

juxta quam omnes *in lumbis* illius peccaviſſe cenſeantur.

7. Primò enim *myſtica* conjunctioni hic non eſt locus: Nam myſtica conjunctio procedit per commiſſuras Spiritus Sancti, gratiæ, fidei, & charitatis; quales inter Præadamitas & Adamum hic homo non auſit ſomniare: Tum myſtica unio inter pios & Chriſtum, ſupponit inter partes conjunctionem & cognationem phyſicam, cujus reſpectu Chriſtus factus eſt παραπλησίως particeps carnis & ſanguinis, ut idoneus eſſet ἔγγυος, גאל *Goel*, vindex ac redemptor ſuorum, quos nec ipſum pudet vocare ſuos fratres Heb. 11, 11. 14. At myſtica unio Adami cum Præadamitis, non poſſet niſi ullâ cognatione phyſicâ inter ipſos; nam, ut ait Modeſtinus, *cognati ab eo dici putantur, quod quaſi unà communiter-venati vel ab eodem orti progeniti-ve ſint, l. 4. §. 1. ff. de grad. adfin.* Neque ulla eſt cognatio niſi inter ſolos Adamitas; quos Deus

Deus ex uno ſanguine fecit Act. XVII, 26. Myſtica quoque unio inter Chriſtum & pios infert reciprocam adhæſionem & notitiam; Nam ut Dominus novit qui ſui ſunt, ita oves ſuæ norunt vocem ipſius & ſequuntur eam. At neque novit Adam eos omnes quibus ſuum peccatum imputatur, & hi omnes non noverunt eum: cùm pauci ab ævo fuerint, qui noverint hiſtoriam Adami, & noſtri hominis Præadamitæ nihil unquam fando per infinita ſæcula de illo olim formando audiverint. Denique etſi per impoſſibile myſtica hîc unio, qualis inter ſanctos & Chriſtum, inter Adamum & omnes conciperetur, tamen non ea ſufficeret fundandæ imputationi peccati: Nec enim quod ſufficit ad imputationem ſatisfactionis Chriſti quæ procedit ex Gratia, eo ipſo ſufficeret ad imputationem peccati, quæ debet procedere ex juſtitia; Favores eſſe ampliandos, odia verò reſtringenda, nemo neſcit. Ridiculum

verò

verò eſt fundamentum, ex quo Præadamita myſticam ſuam vnionem Adami cum cœteris hominibus vult aſtruere, videlicet, quod *per omnia ſimilis factus eſt Adamus omnibus hominibus*; Nam præterea quod multum diſcriminis vult imaginari inter Præadamitas & Adamum, quoad eorum originem, de quo aliàs diſputavi, meram ſimilitudinem naturæ non ſufficere conjunctioni myſticæ, hactenus demonſtravimus exemplo Chriſti, qui ſimilis eſt naturę cum omnibus reprobis & damnatis, quibuſcum tamen nullam habet myſticam unionem; ut patet ex 2 Cor: vi, 14. 15. 16.

8. Secundò *Politicæ* conjunctioni inter Adamum & cœteros homines non poteſt inniti imputatio primi peccati, ut eo modo imputetur peccatum Adami omnibus hominibus, etiam Præadamitis, quo ſubditis interdum cedunt in crucem & pœnam peccata Magiſtratuum & Regum, prout juxta Heſio-

Heſiodum ipſi Prædamitæ citatum, *Iovis opus eſt, commune ſupplicium urbibus inferre propter delicta Magiſtratuum.* Hi enim ſępè ſuis inſtitutis vitioſis aut imprudentibus conſiliis, implicant ſubditos grandibus tempeſtatibus, per quas *quicquid delirant reges plectuntur Achivi.* Ita plerumque fit ut nocentiſſimi catharri ex capitis κακεξια deriventur. Nam non puniuntur peccata Rectorum in ſubditis, niſi alterutro horum duorum modorum: Vel cùm crux & calamitas populi in pœnam Rectorum ordinatur, licet quiſque in populo ſuæ crucis cauſam extra ſuas proprias & perſonales culpas quærere non debeat; & ſic populi calamitas, ita fit pœna peccati Rectorum, ſi populus conſideretur in ordine reſpectivo ad eos, ut tamen Rectorum reatus non ſit ſubditorum; quorum ſinguli in ſuo eſſe abſoluto habent reatum proprium illius ſuæ crucis, in ſuis propriis peccatis; Vel cùm conſentiunt ſubditi

ex-

expreſſè aut tacitè Regum peccatis, & illa quantum in ſe eſt juvant, approbant aut imitantur. Et tum calamitas ſubditorum non eſt mera pœna peccati regii, ſed conſiderantur ſubditi ut correi cum ſuis Regibus, ita ut criminis regii quod Deus in illis ulciſcitur, reatus quoque ad ipſos petineat. Poſſem his duobus tertium modum adjicere, quo ſubditi dici poſſent ferre pœnam peccatorum ſuorum Magiſtratuum; cùm videlicet eorum ſævitiâ, injuſtitiâ & tyrannide premuntur ac exhauriuntur: ſed in quo imputari ſubditis Rectorum ſuorum peccata nemo dixerit. Atqui nihil horum poteſt hîc quadrare. Neque enim vel formaliter, vel interpretativè, potuerunt conſenſiſſe in delictum Adami, qui infinitis ſæculis ei præextiterunt; Nec ſubditi qui premuntur tyrannide & ſævitiâ ſuorum Rectorum aut exponuntur peſti, fami, bellis vel direptionibus in pœnam Regum aut ex

malis

milis conſiliis ipſorum, cenſentur rei coram Deo, imprudentiæ, tyrannidis, ſævitiæ, injuſtitiæ quam patiuntur, aliorum-ve criminum ex quibus affliguntur; & quo caſu populi miſeria eſt pœna Regii peccati, non tam ſit populi reatus Regis, quam ſit Regis pœna calamitas populi; Quod inter Adamum & cœteros homines non obtinet: nam reatus Adami eſt etiam reatus ſingulorum, & mors ſingulorum eſt quoque ipſorum pœna ex illo reatu, non Adami: Tum ſi quid Rex, Syndicus, Procurator peccat ſibi & communitati, id peccat præſentibus, non verò diu præmortuis; aut iis qui nonniſi poſt longos ſęculorum decurſus ſunt venturi. Nullus unquam populus perfert pœnas culpæ Regis ſui olim poſt multa ſæcula futuri, ſed ejus qui jam talis eſt. Neque Syndici vel Defenſores, uti aliàs monui, dantur iis qui amplius non ſunt, aut qui nondum ſunt, ut præteritos & futu-
ros

ros ſuo crimine ſi peccent queant implicare. Adhęc ubi imputatur ſubditis culpa ſuorum Magiſtratuum & Regum, inde ſentiunt calamitates acerbiſſimas; at ſi credamus Præadamitæ *Syſt. lib. 5. cap. 3.* hæc imputatio culpæ ab Adamo in ſuo Syndicatu commiſſę, nihil revera mali in cœteris hominibus operata eſt.

9. Supereſt igitur non alio fundamento niti imputationem primi peccati, quam conjunctionis phyſicæ quę eſt inter ramos & radicem, filios omnes & communem parentem, quem Deus voluit ſtare vel cadere omnibus ſuis poſteris, quaſi eos in ſe ſuſtinentē & repræſentantem, longè aliter quam ſummus Sacerdos V. T. duodecim tribus Iſraelis repræſentabat, earum nomina portando, & ſuper humeris ſuis, & in rationali quod pectori ipſius apponebatur. Ex inde dicuntur omnes homines in Adamo peccaſſe Rom: v, 12. & in eodem mori 1. Cor: xv, 22.

Sal-

Saltem cùm non auſit diffiteri Præadamita, omnes ex Adamo propagatos *in lumbis* ipſius peccaſſe, *ratione eadem qua Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahami*, adeoque communionem phyſicam quam habuerunt cum ipſo tanquam cum ſuo parente, eſſe fundamentum ſufficiens illis imputandi ejus peccatum, aut debuerit ex alio fundamento Præadamitis ab Adamo non propagatis ejus peccatum imputari quam Adamitis, aut eo ipſo illis nequivit imputari, quod ut Adamitæ in ipſo vel illius lumbis peccaſſe non potuerint. His addo quod cùm, in ſchola præſertim noſtri Præadamitæ, imputatio peccati Adamici fundetur in lege ipſi Adamo lata, nequeat imputari peccatum Adami niſi iis qui illâ lege ipſi latâ coram Deo tenebantur: At impoſſibile eſt illâ lege potuiſſe obſtringi Præadamitas jamdiu mortuos cùm primùm ferretur & promulgaretur. Notum enim leges

ferri

ferri præſentibus & futuris, non verò præteritis & præmortuis: & legem non dominari in mortuos docet Apoſtolus Rom: v I I, I. Quin mirum eſſet potuiſſe Præadamitis imputari & applicari ad reatum, ideſt ad meritum mortis, peccatum Adami, quibus tamen nec imputari nec applicari potuerit ad juſtificationem & vitam beneficium Chriſti; ſiquidem hoc nonniſi fide percipitur; fides verò non eſt niſi ex auditu verbi divini: Hoc verò fuiſſe deſtitutos Præadamitas, neque inficias ibit hic faber eorum.

10. Quod enim *lib. 5. Syſt. cap. ult.* ariolatur *homines bonos omnes Adamum antecedentes potuiſſe præſumere ſalutem ſuam ſpe & confidentiâ eadem quâ Patres Judæos omnes ab Adamo ad Chriſtum juſtos reputatos, ſalutem eandem concepiſſe credimus*, eſt abſurdiſſimum. Nam præterea quod inter bonos & malos Præadamitas non poſſit diſtingui ex iſtius hominis ſententia, cùm eos exleges

& om-

& omnis pacti divini expertes faciat; qui juſti reputati ſunt ab Adamo ad Chriſtum, nixi ſunt promiſſione factâ Adamo & Patribus ſucceſſivè renovatâ de Chriſto olim exhibendo; cujuſmodi promiſſionem, cùm inceperit demum ab Adamo, impoſſibile foret Præadamitas habuiſſe. Imò ſi qui Gentilium poſt fœdus gratiæ ad Iſraelitas reſtrictum ſalutis æternæ conſortes facti ſunt, debuerunt noviſſe promiſſiones divinas de ſalute per Meſſiam reparanda, & illas ſibi per ſalvificam fidem applicaſſe. Nam ut nemo poteſt ſervari niſi per Chriſtum, viam, veritatem & vitam Joh: XIV, 6. Act: IV, 12. juxta tritum illud Auguſtini, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*, unde jam olim dixit Irenæus *lib.* 3. *contra hær. cap.* 21. *Ignorantes eum qui ex virgine eſt Emanuel, privantur munere ejus qui eſt vita æterna*; ita nemo adultus poteſt fieri particeps Chriſti ſine fide: unde

Origenes

Origenes *hom. 6. in Iobum*, *Sicut credenti omnia ſunt poſſibilia ut ſalvetur & refrigerium inveniat apud eum cui credidit, ſic non credenti nihil eſt poſſibile neque ut ſaluus fiat, neque ut refrigerium inveniat, neque ut introeat*: fides verò non eſt aliunde quam ex auditu verbi divini Rom: x, 17. Quod ſi mihi objiciat Præadamita Gentilium virtutes, ex tractatu Mothani Vayerii, quem dicit Achillis ſui Chironem, *de la Vertu des Payens*, reponam illi doctiſſimum & eloquentiſſimum opus P. Senaultii ex Berruliſtarum ordine, quod inſcribitur *L'homme criminel*, nec non iſtud Auguſtini *lib. 4. contra Iul. cap. 3. Abſit ut ſit in aliquo vera virtus niſi fuerit juſtus; abſit autem ut ſit juſtus verè niſi vivat ex fide*: Etenim ut *quicquid fit ſine fide peccatum eſt* Rom: xiv, 23. ita *impoſſibile eſt placere Deo ſine fide* Heb: xi, 6. *Qui verò Deo non placet, cui niſi ſibi & Diabolo placet?* inquit Proſper *lib. 1. de voc. gent. cap. 3.*

11. Nunc verò operæpretium eſt expendere, quibus argutiis Præadamita *locis citatis ſuprà §.3.* velit adſtruere hoc ſuum εὕρημα quo ſtatuit non requiri traducem naturalem ex Adamo ad peccati ſui imputationem omnibus hominibus. Primò itaque objicit *Syſt. lib. 5. cap. 5.* illam communem omnium Chriſtianorum ſententiam inde duci quod *omnium hominum origo ab Adamo fluxiſſe creditur*, hoc verò ideo receptum, *quia nullum expreſſum nomen hominis Adamico prius legitur apud Moſem*; cùm tamen id argumentum ſit infirmum, ſiquidem *nullibi idem dixit Moſes quod* D. *Paulus primus aperuit, peccatum intraviſſe in mundum per peccatum Adami, & mortem ex illo peccato & in illo homine pervaſiſſe in omnes homines.* Item, *peccatum fuiſſe in mundo uſque ad Legem, vel ante legem quod idem eſt.* Sed omnium hominum originem ab Adamo fluxiſſe, ſuo loco probatum dedi variis argumentis affirmativis

 firmativis

firmativis ex Moſe & aliis Scripturis, non ſolo argumento negativo à Moſis ſilentio: Et falſum eſt Paulum illa prius dixiſſe quæ hic notantur; Nam ſatis dicit Moſes peccatum fuiſſe in mundo ante legem ſuam, dum primam peccati originem repetit ex Adami lapſu, quem refert præceſſiſſe pluſquam 2400. annis exodum Iſraelis ex Ægypto & Legiſlationem ſuam in deſerto. Quin ſatis palam Moſes docet in Adami lapſu omnes homines ab ipſo propagandos obnoxios fuiſſe factos, juxta comminationem Dei, peccato & morti: tùm quia ejectio illius è Paradiſo ad omnes homines extenditur, tùm quia pœnæ & pœnalitates, quas ſibi attraxit ſuo peccato, in omnes tranſeunt, tùm quia jam peccator & corruptus, filios genuit ſibi ſimiles Gen: v, 3. ideſt mortales & peccatores. Nec mortem illam eſſe *parabolicam* & imaginariam, ut nugatur Præadamita *Syſt. lib. 8. cap. 5. & 7.*

5. & 7. ſed veram & realem, quotidiana & omnium ſæculorum experientia ſatis teſtatur. Et cùm nec Moſes nec Paulus quicquam de Præadamitis ſomniarint, potius dicendum eſt hujus hominis delirium de imputatione primi peccati ex traduce naturali omnium ex Adamo nullomodo arceſſendas, falſæ & ridiculæ ipſius imaginationi de Præadamitis eſſe adſcribendum.

12. Ait iterum *eod. cap. 5. lib. 5.* Apoſtolum docere peccatum intraviſſe in mundum, non *per hominis illius*, per quem inrrojiſſe dicitur, *traducem & propagationem naturalem*, *ſed per ejus inobedientiam quæ moralis & ſpiritualis eſt.* At opponit perperam *inobedientiam* Adami *traduci* & propagationi naturali; Quæritur enim quomodo per inobedientiam Adami omnes ſint conſtituti peccatores; ita ut per eam peccatum & mors introjerint in mundum & in omnes pervaſerint; an ſolâ

expreſſè aut tacitè Regum peccatis, & illa quantum in ſe eſt juvant, approbant aut imitantur. Et tum calamitas ſubditorum non eſt mera pœna peccati regii, ſed conſiderantur ſubditi ut correi cum ſuis Regibus, ita ut criminis regii quod Deus in illis ulciſcitur, reatus quoque ad ipſos petineat. Poſſem his duobus tertium modum adjicere, quo ſubditi dici poſſent ferre pœnam peccatorum ſuorum Magiſtratuum; cùm videlicet eorum ſævitiâ, injuſtitiâ & tyrannide premuntur ac exhauriuntur: ſed in quo imputari ſubditis Rectorum ſuorum peccata nemo dixerit. Atqui nihil horum poteſt hîc quadrare. Neque enim vel formaliter, vel interpretativè, potuerunt conſenſiſſe in delictum Adami, qui infinitis ſæculis ei præextiterunt; Nec ſubditi qui premuntur tyrannide & ſævitiâ ſuorum Rectorum aut exponuntur peſti, fami, bellis vel direptionibus in pœnam Regum aut ex
malis

milis conſiliis ipſorum, cenſentur rei coram Deo, imprudentiæ, tyrannidis, ſævitiæ, injuſtitiæ quam patiuntur, aliorum-ve criminum ex quibus affliguntur; & quo caſu populi miſeria eſt pœna Regii peccati, non tam ſit populi reatus Regis, quam ſit Regis pœna calamitas populi; Quod inter Adamum & cœteros homines non obtinet: nam reatus Adami eſt etiam reatus ſingulorum, & mors ſingulorum eſt quoque ipſorum pœna ex illo reatu, non Adami: Tum ſi quid Rex, Syndicus, Procurator peccat ſibi & communitati, id peccat præſentibus, non verò diu præmortuis, aut iis qui nonniſi poſt longos ſeculorum decurſus ſunt venturi. Nullus unquam populus perfert pœnas culpæ Regis ſui olim poſt multa ſæcula futuri, ſed ejus qui jam talis eſt. Neque Syndici vel Defenſores, uti aliàs monui, dantur iis qui amplius non ſunt, aut qui nondum ſunt, ut præteritos & futuros

ros ſuo crimine ſi peccent queant implicare. Adhęc ubi imputatur ſubditis culpa ſuorum Magiſtratuum & Regum, inde ſentiunt calamitates acerbiſſimas; at ſi credamus Præadamitæ *Syſt. lib. 5. cap. 3.* hæc imputatio culpæ ab Adamo in ſuo Syndicatu commiſſę, nihil revera mali in cœteris hominibus operata eſt.

9. Supereſt igitur non alio fundamento niti imputationem primi peccati, quam conjunctionis phyſicæ quę eſt inter ramos & radicem, filios omnes & communem parentem, quem Deus voluit ſtare vel cadere omnibus ſuis poſteris, quaſi eos in ſe ſuſtinentē & repræſentantem, longè aliter quam ſummus Sacerdos V. T. duodecim tribus Iſraelis repræſentabat, earum nomina portando, & ſuper humeris ſuis, & in rationali quod pectori ipſius apponebatur. Ex inde dicuntur omnes homines in Adamo peccaſſe Rom: v, 12. & in eodem mori 1. Cor: xv, 22.

Sal-

Saltem cùm non auſit diffiteri Præadamita, omnes ex Adamo propagatos *in lumbis* ipſius peccaſſe, *ratione eadem qua Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahami*, adeoque communionem phyſicam quam habuerunt cum ipſo tanquam cum ſuo parente, eſſe fundamentum ſufficiens illis imputandi ejus peccatum, aut debuerit ex alio fundamento Præadamitis ab Adamo non propagatis ejus peccatum imputari quam Adamitis, aut eo ipſo illis nequivit imputari, quod ut Adamitæ in ipſo vel illius lumbis peccaſſe non potuerint. His addo quod cùm, in ſchola præſertim noſtri Præadamitæ, imputatio peccati Adamici fundetur in lege ipſi Adamo lata, nequeat imputari peccatum Adami niſi iis qui illâ lege ipſi latâ coram Deo tenebantur: At impoſſibile eſt illâ lege potuiſſe obſtringi Præadamitas jamdiu mortuos cùm primùm ferretur & promulgaretur. Notum enim leges ferri

ferri præſentibus & futuris, non verò præteritis & præmortuis: & legem non dominari in mortuos docet Apoſtolus Rom: VII, 1. Quin mirum eſſet potuiſſe Præadamitis imputari & applicari ad reatum, ideſt ad meritum mortis, peccatum Adami, quibus tamen nec imputari nec applicari potuerit ad juſtificationem & vitam beneficium Chriſti; ſiquidem hoc nonniſi fide percipitur, fides verò non eſt niſi ex auditu verbi divini: Hoc verò fuiſſe deſtitutos Præadamitas, neque inficias ibit hic faber eorum.

10. Quod enim *lib. 5. Syſt. cap. ult.* ariolatur *homines bonos omnes Adamum antecedentes potuiſſe præſumere ſalutem ſuam ſpe & confidentiâ eadem quâ Patres Iudæos omnes ab Adamo ad Chriſtum juſtos reputatos, ſalutem eandem concepiſſe credimus*, eſt abſurdiſſimum. Nam præterea quod inter bonos & malos Præadamitas non poſſit diſtingui ex iſtius hominis ſententia, cùm eos exleges

& om-

& omnis pacti divini expertes faciat; qui juſti reputati ſunt ab Adamo ad Chriſtum, nixi ſunt promiſſione factâ Adamo & Patribus ſucceſſivè renovatâ de Chriſto olim exhibendo; cujuſmodi promiſſionem, cùm inceperit demum ab Adamo, impoſſibile foret Præadamitas habuiſſe. Imò ſi qui Gentilium poſt fœdus gratiæ ad Iſraelitas reſtrictum ſalutis æternæ conſortes facti ſunt, debuerunt noviſſe promiſſiones divinas de ſalute per Meſſiam reparanda, & illas ſibi per ſalvificam fidem applicaſſe. Nam ut nemo poteſt ſervari niſi per Chriſtum, viam, veritatem & vitam Joh: xiv, 6. Act: iv, 12. juxta tritum illud Auguſtini, *Non eſt quò eas niſi ad me, non eſt quà eas niſi per me*, unde jam olim dixit Irenæus *lib. 3. contra hær. cap. 21. Ignorantes eum qui ex virgine eſt* Emanuel, *privantur munere ejus qui eſt vita æterna*; ita nemo adultus poteſt fieri particeps Chriſti ſine fide: unde

Origenes

Origenes *hom. 6. in Iobum*, *Sicut credenti omnia ſunt poſſibilia ut ſalvetur & refrigerium inveniat apud eum cui credidit, ſic non credenti nihil eſt poſſibile neque ut ſaluus fiat, neque ut refrigerium inveniat, neque ut introeat*: fides verò non eſt aliunde quam ex auditu verbi divini Rom: x, 17. Quod ſi mihi objiciat Præadamita Gentilium virtutes, ex tractatu Mothani Vayerii, quem dicit Achillis ſui Chironem, *de la Vertu des Payens*, reponam illi doctiſſimum & eloquentiſſimum opus P. Senaultii ex Berruliſtarum ordine, quod inſcribitur *L'homme criminel*, nec non iſtud Auguſtini *lib. 4. contra Iul. cap. 3. Abſit ut ſit in aliquo vera virtus niſi fuerit juſtus; abſit autem ut ſit juſtus verè niſi vivat ex fide*: Etenim ut *quicquid fit ſine fide peccatum eſt* Rom: xiv, 23. ita *impoſſibile eſt placere Deo ſine fide* Heb: xi, 6. *Qui verò Deo non placet, cui niſi ſibi & Diabolo placet?* inquit Proſper *lib. 1. de voc. gent. cap. 3.*

11. Nunc

11. Nunc verò operæpretium eſt expendere, quibus argutiis Præadamita *locis citatis ſuprà* §. 3. velit adſtruere hoc ſuum εὕρημα quo ſtatuit non requiri traducem naturalem ex Adamo ad peccati ſui imputationem omnibus hominibus. Primò itaque objicit *Syſt. lib.* 5. *cap.* 5. illam communem omnium Chriſtianorum ſententiam inde duci quod *omnium hominum origo ab Adamo fluxiſſe creditur*, hoc verò ideo receptum, *quia nullum expreſſim nomen hominis Adamico prius legitur apud Moſem*; cùm tamen id argumentum ſit infirmum, ſiquidem *nullibi idem dixit Moſes quod* D. *Paulus primus aperuit*, *peccatum intraviſſe in mundum per peccatum Adami*, *& mortem ex illo peccato & in illo homine pervaſiſſe in omnes homines.* Item, *peccatum fuiſſe in mundo uſque ad Legem*, *vel ante legem quod idem eſt.* Sed omnium hominum originem ab Adamo fluxiſſe, ſuo loco probatum dedi variis argumentis affirmativis

5. & 7. ſed veram & realem, quotidiana & omnium ſæculorum experientia ſatis teſtatur. Et cùm nec Moſes nec Paulus quicquam de Præadamitis ſomniarint, potius dicendum eſt hujus hominis delirium de imputatione primi peccati ex traduce naturali omnium ex Adamo nullomodo arceſſendas, falſæ & ridiculæ ipſius imaginationi de Præadamitis eſſe adſcribendum.

12. Ait iterum *eod. cap. 5. lib. 5.* Apoſtolum docere peccatum intraviſſe in mundum, non *per hominis illius*, per quem inrrojiſſe dicitur, *traducem & propagationem naturalem, ſed per ejus inobedientiam quæ moralis & ſpiritualis eſt.* At opponit perperam *inobedientiam* Adami *traduci* & propagationi naturali; Quæritur enim quomodo per inobedientiam Adami omnes ſint conſtituti peccatores; ita ut per eam peccatum & mors introjerint in mundum & in omnes pervaſerint; an ſolâ

imputatione actus illius numerici quo Adam peccavit ſibi & omnibus ſuis poſteris; an etiam propagatione & traduce ad ſingulos corruptionis illius ſpecificæ, quam contraxit ſuâ tranſgreſſione; Poſterius eſſe ſtatuendum, neque nos peccatores factos ex Adami inobedientia tantum imputativè, ſed etiam inhærenter & ſubjectivè, ut propriè, realiter & formaliter omnes ſubjacent morti, ipſe Apoſtolus evidenter docet. Nec etiam dicimus per traducem ex Adamo nobis illius peccatum imputari, ſed imputationis iſtius hoc eſſe fundamentum, quod in ipſius lumbis peccavimus & ex ipſo eramus omnes traducendi. Objicit denuò *lib.5.cap.4.* non fuiſſe *revera & actu in Adamo homines omnes*, quia *non in illo peccavere omnes revera & actu, neque ex illo peccato mortem revera & actu contraxerunt*, ſed *interpretativè & imputativè, quod ex mera fictione fuit.* Verùm fundamentum illius fictionis ex qua

interpre-

interpretativè & *imputativè* cenſentur omnes peccaviſſe & reatum mortis contraxiſſe in Adamo, non aliunde poteſt arceſſi, quam ex conjunctione illa phyſica & naturali quæ Adamo ceu communi parenti cum cœteris hominibus interceſſit; Nam ex eo quod originaliter, potentialiter & ſeminaliter omnes eſſent in ipſo, & quæ acceperat beneficia omnibus fuiſſet tranſmiſſurus ſi perſeveraſſet in officio, voluit Deus eum non ſibi ſoli ſed omnibus ſtare aut cadere: Quare non quidem requiritur ut omnes in Adamo *actu* fuerint, quò in eo peccare cenſerentur; ſed tamen requiritur ad id ut omnes in illo fuerint *potentiâ*, *virtute* & ſemine, ut ipſe Præadamita laudat ad id *verba non vulgaris*, ut ait, *Theologi*.

13. Objicit item *Syſt. lib.* 5. *cap.* 3. concipi poſſe naturalem conjunctionem Adami cū omnibus hominibus, ad hanc imputationē fundandam non

ex *propagationis traduce*, ſed ex *creationis & formationis ſimilitudine*, juxta quam Adam fuit communis maſſa omnium hominum, *unitate ſimilitudinis & participatione ejuſdem naturæ, ſicut apud Philoſophos, homines omnes participatione ejuſdem ſpeciei, unus homo reputantur. Quin & apud Theologos ipſos, tota hominum ſpecies depoſita creditur in tribus illis, Adamo, Abrahamo & Chriſto; in Adamo quoad peccatum, in Abrahamo quoad fidem, in Chriſto quoad redemptionem.* Sed Theologos debuiſſet proferre qui ita philoſophentur; ſaltem nobis hactenus non licuit eſſe tam beatis, ut talem Theologiam in quoquam legerimus; Et nuſquam dicit Scriptura omnibus & ſingulis vel Abrahami fidem, vel redemptionem Chriſti imputari; vel omnes & ſingulos eſſe in Abrahamo fideles, in Chriſto juſtificatos, ut omnes & ſinguli in Adamo peccaviſſe leguntur. Et quamvis juxta Philoſophos homo præciſè & abſtractè à ſuis in ferio-

ſerioribus conſideratus in eſſe ſuo ſpecifico, *unus* dici queat, tamen nec unitas ſpecifica, ſufficit fundandæ imputationi peccati; aliàs cujuſlibet hominis crimen, cuilibet alteri poſſet imputari, quod cum ſumma Dei juſtitia ex adverſa fronte pugnat; Nec poſſet Adam ſtatui unius ſpeciei cum Præadamitis ex mente hujus hominis, cùm juxta ipſum, Judæi & Gentiles, quos derivat ex Præada mitis, diverſæ ſint *ſpeciei* & toto *genere differant*, *Syſt. lib. 2. cap. 6. 10. & 11.*

14. Objicies quoque ex ipſo *Syſt. lib. 5. cap. 9. apud animadverſores ſcelerum non novum eſſe mortem infligere mortuis*, cùm jubentur *cadavera nocentum ſtare judicio*, *ut ſecundum pœnas legum morte illâ civili afficiantur quam morte naturali præverterunt.* Sed etiamſi quandoque mortuis facinoroſis in exemplum aliorum, infligatur nota publicæ infamiæ, inde non poteſt probari potuiſſe pari ratione in jamdiu mor-

tuis Præadamitis mortem regnaſſe ex imputato illis Adami peccato; Nam ibi accedit publica infamiæ nota, morti naturali facinoroſi ex ſuo crimine jam ante commiſſo, & ad illius publicam vindictam: Sed hic vult mortem pervaſiſſe ſuos Præadamitas mortuos, ex delicto non ſuo, & talem inſuper mortem, quæ non ipſis ceſſerit in vindictam & pœnam, ſed potiùs in redemptionem & ſalutem. At inquit *illo ipſo cap. 9. lib. 5. quâ ratione concipimus mortem invaſiſſe Adamum & in illo futuros omnes homines momento illo quo peccavit, quidni concipiemus mortem eandem potuiſſe invadere præteritos & futuros? Et ſi quid eſt quod de præteritis dici videtur impoſſibile, quidni eodem impoſſibilis gradu venient futuri & non nati homines cum præteritis & mortuis? Imò potior in hoc myſterio debuit haberi ratio præteritorum mortuorum, quam futurorum non natorum. Quia mortui qui non ſunt eſſe tamen aliquo modo putantur quà fuerunt certiſſime,*

mè, præ futuris & non natis, qui nunquam fuerunt, neque adeo certum eſt an unquam futuri ſint. Verùm præter duplex impietatis monſtrum quod ſe prodit in his verbis, alterum Sadducæiſmi, quo mortui negantur eſſe aliâ ratione quam quia fuerunt, alterum Socinianiſmi, quo de hominibus futuris nondum natis incertum ſtatuitur an unquam futuri ſint; evidens eſt cauſa cur præteritorum ante Adamum diverſa ſit ratio ab iis qui futuri erant & naſcituri ex ipſo: Nam *eo momento* quo Adam peccavit omnes ex ipſo futuri, erant futuri mortales, & ſuo tempore certò morituri: Nec enim mors eo momento *invaſit* omnes, ut ſomniat Præadamita, ſed ab eo momento jus nacta eſt per peccatum invadendi omnes, ut etiam illo momento ipſe Adam mortalis & mortis reus evaſit. Verùm non poſſet concipi quî mors & peccatum *eo momento* quo Adam peccavit invaſerit omnes Præadamitas,

qui jamdiu vitâ functi eo ipſo neque novum reatum ex alieno delicto conrahere, neque alios mortis aculeos ſentire potuerunt. Dum verò ex eodem principio *Exercit. cap. 21.* petit quomodo cogitetur *peccatum Adami imputatum Gentilibus illis hominibus, qui nati ſunt poſt Adamum, &* quos *non ab Adamo ſed ab ante Adamum creatis hominibus oriundos* ſtatuit, facilem à nobis poteſt conſequi reſponſionem, neque in his talem imputationem poſſe agnoſci, tum quia non ſunt, tum quia ſi eſſent, in Adamo peccaſſe non magis cenſerentur, quam Goliath decimas perſoluiſſe Melchiſedeco in lumbis Abrahæ; Tamen verum eſt quod *ibidem* dicit peccaſſe in Adamo *ſpeciem totam, & homines omnium temporum & ætatum*; ſed quia ſpecies tota & omnium temporum ac ætatum homines ſunt originaliter ab Adamo.

15. Profert etiam in argumentum *Exerc. cap.* 24. quod imputatio *peccati Adamici*, *quæ*, inquit, *purè eſt intellectualis*, emanarit *à tranſgreſſione legis quam Adamus violavit*, *nulla adhibita generatione naturali*. Sed neque illa imputatio eſt merè *intellectualis*, vel ad entia rationis & terminos ſecundæ intentionis eſt ablegandam, ex qua omnes homines de facto reatui & morti ſubjiciuntur; & quamvis non procedat per generationem ſive propagationem naturalem, quam ſuprà ab imputatione diſtinximus, tamen ob rationes ſuprà deductas nequit aliud habere objectum quam eos qui naturaliter erant ab Adamo propagandi, ut pote qui ſoli in illius lumbis peccare potuerunt. At, inquit *ibid. Quando ira Dei ſæviit in ſexaginta mille Iudæos*, (voluit dicere *ſeptuaginta*) *propter peccatum Davidis, putandumne ergo fuit, Iudæos illos oriundos ex Davide ut eis peccatum Davidis imputaretur? Neutiquam.*

quam. Imò illis peccatum Davidis imputatum fuit, quatenus David princeps eorum & caput erat; quo nomine referebat populum omnem Iudæum, & quâ ratione populi dicuntur plecti propter deliramenta ſuorum Regum. Verùm jam ſupra oſtendi non poſſe arceſſi imputationem primi peccati, ex conjunctione merè Politica Adami cum reliquis hominibus, qualis intercedebat Davidi cum ſuis ſubditis; Nam ut juxta Chriſtum ipſum, Deus non eſt Deus mortuorum & eorum qui non ſunt, ita inter homines nemo conſtituitur in caput Politicum eorum qui vel amplius non ſunt, vel nonniſi poſt aliud ſæculum futuri ſunt: Rex regit viventes non mortuos; Nec Regum deliramenta plectuntur in hominibus qui vel multis retro ante ſæculis vixerunt, vel demum multis poſt ſæculis victuri ſunt, ſed tantum in præſentibus; Et quamvis Deus plecteret crimen Davidis ſub ipſius oculis, ſubdi-

torum

torum ſuorum præſentium imminutione & clade, & ita morerentur ſubditi reſpectivè adRegem ex reatu peccati regii ac in illius pœnam, tamen abſolutè conſiderati nemini eorum ita dici poterat imputari peccatum regium ut illius actus numerici ceu ſui reatu perſonali teneretur, & cenſeretur juſſiſſe & urſiſſe totius populi denumerationem. Uno verbo punivit Deus Davidis peccatum in ipſius ſubditis, ut mors eorum fuerit Regi pœna ſui peccati; ſed hoc peccatum fuiſſe illis imputatum ad reatum coram Deo, ut eum facto Davidis contraxiſſe cenſerentur, prout reatum mortis cenſentur omnes contraxiſſe in Adamo facto ipſius, quod omnium eſt interpretativè, nec dicit Scriptura, nec ſtatui poteſt: Potius imputata eſt Regi ad pœnam, imminutio & clades ſubditorum, quam ſubditis in illa clade imputata fuit Regis culpa ad reatum eorum, quorum innocentiam

hac.

hac in parte ipſe Rex agnoſcit 2. Sam: xxIV, 17. & ſe ſolum reum profitetur. Mors illorum quà ſubditorum, erat tantum pœna peccati Davidici ex Regis reatu, cui vindicando & exacerbando inſerviebat; ſed quà hominum, erat pœna & ſtipendium ſui cujuſque peccati, ex proprio & perſonali reatu ſingulorum.

16. At, inquit *ibid. quando fideles omnes Iudæi & gentiles dicuntur filii Abrahami, anne ideo cenſendum, gentiles natos eſſe ex ſemine Abrahami, ut illis imputetur fides quæ eſt ex Abrahamo? Vel rurſus, anne ideo cenſenda eſt imputata fides Abrahami Iudæis ipſis, quatenus Iudæi ſunt ſemen Abrahami, & quatenus ab illo naturali generatione prognati ſunt?* Nihil *minus. Sed dicuntur ratione ſpirituali & myſtica Iudæi & Gentiles filii Abrahami, quatenus Abrahamus quoad fidem vices ſuſtinuit omnium fidelium, Iudæorum & Gentilium, & qua ratione ſola dictus eſt indefinitè Pater credentium*: Vult enim Præ-

adamita

adamita imputatum fuiſſe Adami peccatum, *omnibus hominibus præteritis, præſentibus & futuris, quâ ratione fides ex Abrahamo imputata fuit fidelibus omnibus præteritis, præſentibus & futuris.* Verùm multifariam peccat Vir Doctus in hoc ratiocinio. Nam neque ſecum conſentit; cùm alibi ſtatuat non minùs omnes omninò homines in Abrahamo crediſſe, quam in Adamo peccaſſe; hîc enim id reſtringit ad omnes fideles; fidem verò non eſſe omnium, teſtis eſt locuples Apoſtolus 2. Theſſ. III, 2. Neque verum eſt Abrahami fidem aliis imputatam fuiſſe; Eadem quidem fide ſpecificâ quâ Abraham juſtificatus fuit, juſtificantur omnes fideles, ſed non eadem numericâ; neque Abraham dicitur *Pater omnium credentium* Rom: IV, II. vel etiam præteritorum reſpectu, Abelis, Enochi, Noæ, quorum fides celebratur in Scripturis, ipſius-ve Adami ſed tantum ſubſequentium, qui promiſſiones-

promiſſiones illas divinas, quas ſuâ fide amplexus eſt Abraham; Quare nemini pariliter debuiſſet imputari Adami peccatum, qui non cognoverit & intellexerit legem quam ſuâ tranſgreſſione violavit; quod hic homo non auſit dicere.

17. At, inquit *ibid. Imputationem illam ex peccato Adami non fluxiſſe in omnes homines ex Adami ſemine* (quanquam neque id dicamus, ſed tantum eam non poſſe extendi ultra illos qui erant propagandi ex Adamo, cùm illi ſoli originaliter & ſeminaliter in illo peccare potuerint) *demonſtratur clariſſimè per exemplum mundi totius, cui peccatum Adami fuit æquè imputatum; Terra enim maledicta fuit propter peccatum Adami & totus orbis labem imputationis accepit ex peccato illo. Nullus autem dixerit mundum oriundum vel natum eſſe ex Adamo.* Sed pernego poſſe ſtatui ab homine ſani Syncipitis, imputatum fuiſſe mundo, terræ, creaturis inanimatis, peccatum.

tum Adami, quo ſenſu dicuntur omnes homines in Adamo peccaſſe, & per unius tranſgreſſionem peccatores facti fuiſſe; Neque enim poteſt peccatum ullum imputari creaturis vitâ, ſenſu, ratione deſtitutis, vel quoad reatum, vel quoad pœnam; cùm neutrius capaces ſint; Quare vanitati dicuntur ſubjectæ creaturæ Rom: VIII, 20. & terra maledictioni, non ex ullo ſuo reatu & in ſui pœnam, ſed ex reatu hominis & in pœnam ipſius. Ideo Gen: III, 17. dicitur Adamo, Maledicta eſto terra *propter te*, ideſt reverain tui peccati ultionem ſpinis & carduito ta contra te inhorreſcat. Cui pœnæ reali cùm ſubſint homines conſequenter ad Adami peccatum & vi illius, inde liquet primò, pœnam primi peccati eſſe valde realem & ſenſibilem, non merè fictitiam & imaginariam, ut ſomniat Præadamita; Secundò poſitis Præadamitis, ad eos non potuiſſe extendi peccatum Ada-

mi,

mi, eo quod illius pœna, nempe terræ maledictio, & ſi quid eſt vanitatis in aliis creaturis, non incœperit niſi poſt Adamum. Imò ipſemet Vir Doctus *Syſt. lib* 5. *cap.* 3. oſtendit *pœnas ex imputationibus*, pervaſiſſe quoque *aliquando in alias res tum animatas tum inanimatas; non ut rebus illis imputaretur quod homines patraviſſent, verùm ut ex rerum illarum detrimento, quæ prodeſſent hominibus, gravius eis imputaretur quod ipſi deliquiſſent.* Itaque maledictio illa cui terra ſubjecta fuit, ſi ſpectetur reſpectu ipſius terræ fuit actus meri Dominii, juxta quod Deus poteſt terrâ & cæteris creaturis uti vel in pœnam & ſupplicium, vel in bonum & utilitatem hominis; ſi conſideretur reſpectu ipſius hominis, fuit ejus pœna, non ipſius terræ: Falſò autem dicit Vir Eruditus *eodem capite* 3. *lib.* 5. illam terræ maledictionem ex hominis peccato *nihil addidiſſe naturali terræ ingenio*; ſive nullam realem & ſubjectivam muratio-

mutationem in ipſa feciſſe: Nam ante hominis peccatum & ſub primæva benedictione, non inhorruiſſet ſpinis & tribulis adverſus ipſum: Nec veriùs cenſueris ex *naturali, terræ ingenio* eſſe, fraudare ſentibus & ſpinis ſpem agricolæ, aut duriorem illi per eas ſui culturam facere, quam ad naturale ingenium Creaturarum referas quod fateris *ibid.* quandoque *propter Iudæorum facinus, terram Iudæorum ferream factam, cœlum in æs obriguiſſe, & accenſos ignes qui conſumerent omnem arborem & viridem & aridam.*

18. Denique palmarium argumentum ſuum deſumit à Chriſti ſatisfactione & obedientia, cujus imputatio non fit hominibus ex fundamento traducis naturalis. Nam *cap.* 24. *Exercit.* urget Chriſtum *nullos natos* habuiſſe *ſecundum carnem, quibus imputaret ſuam gratiam*, ac ſtatuit ita imputatum fuiſſe peccatum Adami *omnibus hominibus præteritis præſentibus & futuris*,

futuris, quâ ratione Chriſti obſequium, quo vicem Adami penſavit, imputatum fuit omnibus hominibus præteritis præſentibus & futuris. Idem urget *Syſt. lib.* 5. *cap.* 8. & 9. Sed præterea quod falſum eſt omnibus omninò hominibus imputari obſequium Chriſti; nam omnes eos' juſtificari & ſervari oportet quibus actu imputatur; ſervari verò & juſtificari omnes homines aſſerere vel ſomniando optare poteſt Præadamita, probare ex Scripturis, quæ paſſim contrarium teſtantur, non poteſt; tam diſpar eſt ratio Adami & Chriſti, quam differunt hæc duo principia, Natura & Gratia; cùm ab Adamo per illam, à Chriſto per hanc pendeamus. Itaque conjunctio noſtri cum Chriſto ut ſua nobis imputetur juſtitia eſt myſtica per gratiam; At conjunctio noſtri cum Adamo, ut ſua tranſgreſſio nobis imputetur, eſt phyſica per naturam. Adhæc nemini ſaltem adulto imputatur juſti-

tia

tia Chriſti abſque actu aliquo ſuo perſonali, ſcilicet fidei ſuæ, quo Chriſti ſatisfactionem & meritum apprehendit ac ſibi applicat; Sed ad hoc ut imputetur alicui tranſgreſſio Adami nullus illius actus proprius & perſonalis requiritur. Interea tamen ſi pari modo, ſervatâ analogiâ inter myſticum & phyſicum, proceſſit imputatio tranſgreſſionis Adamicæ, quo ei ſucceſſit imputatio obedientiæ Chriſti, res erit in ſaluo ac tenebitur Vir Doctus dare gloriam Deo in ſui erroris revocatione & herbam porrigere veritati: Nam ſanè ut nemini imputatur juſtitia Chriſti ad ſalutem, qui non pendeat à Chriſto per traducem myſticam Gratię & Regenerationis, & quem non genuerit ſibi per ſemen incorruptibile verbi divini, ut accenſeatur illis ſuis filiis, de quibus dicturus eſt Heb: 11,13. *Ecce ego & filii quos mihi dedit Deus*; Ita nemini poteſt impu-

tari

tari tranſgreſſio Adami ad condemnationem, qui non pendeat ab Adamo per traducem phyſicam naturæ & generationis, & cui non inſit per ſemen corruptibile vetus Adam; prout omni cui imputatur meritum Chriſti, ineſt novus homo per Spiritum Sanctificationis, qui à Chriſto derivatur. Quare ut pari paſſu procedunt & indivulſe cohærent reſpectu eorum qui ſunt Chriſti, imputatio meriti Chriſti ad vitam, & quæ à Chriſto procedit inhærens cuique per regenerationis ſemen ſanctificationis gratia & novus homo, ita indivulſo nexu cohærent & coadæquantur, reſpectu eorum qui ſunt Adami, imputatio tranſgreſſionis actualis Adamicæ & propagatio per ſemen generationis ex ipſomet Adamo habitualis & cuique inhærentis corruptionis, quæ caro & vetus homo appellatur: adeo ut non magis cuiquam poſſit imputari peccatum

catum Adami qui ex ipſo non pendeat per generationem, quam poteſt cuiquam imputari meritum Chriſti, qui ab ipſo non pendeat per regenerationem: quod erat demonſtrandum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVÆ-

QVÆRITVR

Sextò, Num ex frequenti diſtinctione Scripturarum inter Iudæos & Gentiles colligere liceat hos non ex Adamo, ut illos, ſed ex Præadamitis eſſe oriundos? Neg.

PRæadamitarum Aſſertor preſentiens non poſſe placere populo Chriſtiano quas fecit fabulas, omni ope ſtudet ſe & eas inſinuare Judæis, inſtar illius qui dicebat apud Poëtam, *Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo.* Eò facit Alloquutio *ad Synagogas Iudæorum Vniverſas*, quæ præfixa eſt Syſtemati, in operis ſui editione priori in 4. ſed ad calcem repoſita in altera editione facta in 12. Ibi enim ipſis pollicetur ſuam *Reſtaurationem*, quam & *futuram eſſe certò ſciat*, & *ſi quid Deus agit ſecretis cogi-*

tationibus apud nos, (ne eum ex albo Enthuſiaſtarum & novorum Prophetarum diſpungendum quis autumet;) *brevi futuram* ſperet & confidat. Sanè in eo diſcurſu vix octo pagellarum ex craſſiori charactere, plura ferè errorum portenta ocurrunt quam vocabula. Quis enim ferat quod aſſerit hactenus quidem *veniſſe Gentilibus Gentilium Salvatorem* I E S V M *in carne*, ſed venturum brevi *eundem illum* C H R I S T V M, *ideſt* M E S S I A M *in Spiritu*; & *Gentilium eſſe* I E S V M, *Iudæorum* C H R I S T V M? Quaſi non venerit *Ieſus Chriſtus* utrique genti, aut nihil Spiritus ſui in credentes è Gentilibus & Judæis hucuſque effuderit. Item, Judæos ſperaſſe *in eum qui reſtituturus erat regnum Iſraël*, ſed *Ieſum in carne* evertiſſe *regnum Iſraël*? Ac ſi coruos hiantes deluſerit. Item eum qui Judæis *regnum* ſuum *evertit cum venit in carne*, *regnum* idem ipſis reſtituturum *cum veniet in Spiritu*?

Quaſi

Quaſi vel in conſummatione ſæculorum, cùm apparebit Chriſtus ad judicium univerſi, debeat renovari facies Reip. Judaicæ, vel alium Chriſti adventum expectemus quam eum quo viſibiliter redibit è cœlo, ut in cœlum aſcendere viſus eſt à ſuis Apoſtolis Act: 1, 11. Equidem ſuum Meſſiam adhuc præſtolantur Judæi, & varia comminiſcuntur ſigna quæ præceſſura ſint illius adventum, deſcripta authori libelli Judaici qui inſcribitur אבקת רכל. *Avechat Rokel, Pulvis Aromatarius*, cujus primam partem edidit, tranſtulit & refutavit Vir Doctus, R. Antonius Hulſius, *Theol. Iud. p. 1.* Verùm iſta omnis exſpectatio Judaica eſt Meſſiæ in carne, non in Spiritu; ut non immeritò Hulſius *præf. ſui operis*, Theologiam Judaicam quæ agit de Meſſia *Carnalem* vocet, ut *Spiritualem* eam quæ de anima, Dei cultu, ſeculo futuro ratiocinatur.

2. Et præterea quod polliceri Judæi

reſtitutionem eamque æviternam Reip. ſuæ per Chriſtum cùm veniet, ſit ipſis polliceri & quod repugnat Paulo, converſionem Judæorum quam prædicit connectenti immediatè cum reſurrectione mortuorum Rom: XI, 15. & quod pugnat cum Chriſtianiſmo, cùm Reip. Iſraeliticæ, qualis per Moſem inſtituta fuerat, ita fuerit implicita Ceremoniarum Legalium obſervatio, ut hac abrogatâ per Chriſtum, illa ſubſiſtere nequeat, quò facit vaticinium Jacobi Gen: XLIX, 10. & quod eſt præter ipſorum-met recutitorum expectationem. Sperant quidem ſe per Meſſiam in Palæſtinam reducendos & priſcum Reip. ſuæ decus recuperaturos; verùm hunc ſtatum ſub Meſſia non opinantur fore æternum; nam in Thalmude *in cap. Chelek*, ut refertur & explicatur à Doctiſſimo & Celeberrimo Viro Eduardo Pocockio, in ſuis *notis miſcell.* eruditiſſimis ſanè illis, ad *Portam Moſis*,

ſis, *not. cap. 5. pag. 110. 111. & 112.* R. Eliezer Regnum Meſſiæ facit tantum quadraginta annorum ante futurum ſæculum & reſurrectionem mortuorum; R. Eleazar f. Azariæ ſeptuaginta; alter Rabbi ducentorum tantum vel trecentorum; R. Juda Zabara ex R. Hillelis dicto *Non erit Iſraeli Meſſias*, breviſſimi temporis: *Poſtquam enim*, inquit, *facta fuerit collectio captivitatis, quid opus eſt nobis ut protrahantur dies Meſſiæ? Annon ipſa reſurrectio mortuorum longè præſtantior eſt Iſraeli diebus Meſſiæ?* Plures ſententiæ Rabbinorum de interſtitio ſatis brevi futuro inter Meſſiæ ſui adventum & mortuorum Reſurrectionem commemorantur *in Gemara Sanhedrin cap. 11. §. 37.* juxta editionem R. D. Cocceii; Sed & hodierni recutiti, ut Menaſſeh Ben Iſrael *de reſurr. lib. 3. cap. 2.* pertendunt tempus Meſſiæ ſtatim ſequuturam reſurrectionem mortuorum & conſummationem ſæculi; Adeo

nihil minus expectant quam ſuæ Reip. per Meſſiam reſtitutæ durationem æternam.

3. Quis ferat itidem quod *ibidem* habet Præadamita, non ſolum Deum reſtituturum Judæis regnum ſuum, *per Spiritum Ieſu & Chriſti ſui, ſed etiam* exoriturum (*ſi non exortus eſt*) Judæorum *ex oſſibus & fratribus, Vltorem & Regem* eorum, *qui virtute Dei & Spiritu Chriſti fretus, gentes* ipſis *inimicas conteret*, eoſque *in manu forti & brachio extento Patriæ* ſuæ *& Terra ſanctæ reſtituet*, *ut illam* IN ÆTERNVM CONFIDENTER ET SOLI *habitent*? Item quod de illo Rege Judæorum, à Meſſia diſtincto, contra N. F. expreſſam authoritatem Pſalmos 45. & 110. videtur explicare? Nam ſanè ut hi duo Pſalmi ad Jeſum Chriſtum pertinent, ſi credimus Paulo Heb:1,8. 9. 13. imò de poſtremo ipſi-met Chriſto Matth: XXII, 44. ita non alium Regem præter ipſummet Meſſiam expectant Judæi,

dei, qui omnes gentes ipſis inimicas ſit contriturus, & eorum captivitatem ſoluturus. Non diffiteor illos duos Meſſias ſibi ſuccenturiandos fingere, alterum filium Joſephi, alterum filium Davidis, quem regem Meſſiam κατ᾽ ἐξοχὴν vocant; ſed tamen ab hoc non ab illo, ſe plenè reſtituendos ſomniant. Ita diſertè habet author ſuprà citatus libri qui inſcribitur *Pulvis aromatarius*, tum apud Hulſium, tum ante eum apud Buxtorfium *Synag. Iud. cap. 36.* Nam huic authori ſextum ſignum præcedens adventum Meſſiæ, eſt quod *Deus impio imperio Idumæo*, ideſt Romano, *totius orbis regimen concedet*, & *quidam Romæ exorietur qui per novem menſes univerſo terrarum orbi dominabitur & magnas regiones deſtruet* & *populum Iſraël* valde *premet.* Sed *novem menſibus illis elapſis* ſuſcitabitur *Meſſias filius Ioſephi*, *cui nomen Nehemias filius Huziel*, qui aliquot tribubus Iſraeliticis fretus illum Regem Romanum

ſuperabit & occidet, Hieroſolymas occupabit, & magnam ſtragem edet. Verùm hæc lętitia brevis erit; nam poſtea Armillus impius, Romę miraculoſè genitus ex ſtatua marmorea cum qua concubuerint homines nequam illius amore capti, vir giganteæ molis & formę prodigioſę, cujus *longitudo & latitudo* ſit futura *duodecim cubitorum, & inter utrumque oculum ejus ſpithama ſpatium*, cum oculis profundis & rutilantibus, capillitio aureo, plantis pedum viridibus, & duplici vertice, inſurget in Meſſiam *filium* Joſephi, à quo quidem grandes accipiet clades etiam in valle conciſionis Joël: III, 14. ſic tamen ut eum ibi ſit occiſurus; unde magna anguſtia & novæ grandeſque calamitates incumbent Judæis, donec clangente tubâ Michaele revelabitur *Meſſias BenDavid & Elias Propheta*, ac Hieroſolymis conſidebit; contra quem iterum Armillus impius inſurget, ſed igne & ſulphure cœli-

cœlitùs demiſſo cum omnibus ſuis ad internecionem delebitur. Igitur non alicui Meſſiæ prodromo, ut hîc nugatur Præadamita, ſed ipſimet Regi Meſſiæ ſuo, tribuunt recutiti ſuam illam reſtitutionem quam præſtolantur, ac conſequenter ad illam ſupremam ſuam fœlicitatem. Nam paullò poſt Armillum cæſum procedet reſurrectio ex mortuis, tum Meſſiæ Ben Joſeph, tum aliorum Judæorum, & ſolenne illud epulum futuri ſæculi, in quo tres miſſus erunt præcipui, ex bove *Behemoth* qui quotidie mille montes depaſcitur, ex piſce *Leviathan* fœmella quam Deus, mare evirato ne generaret, mactavit & ſalivit in hunc uſum, & ex ave *Ziz* ſive *Barjuchne* toſta & aſſata; cujus cum ovum è nido aliquando decidiſſet, trecentas proceras cedros caſu ſuo proſtravit, & eliſum ſexaginta pagos inundavit.

4. Et quamabſurdè, vel ex ipſorummet Judæorum ſenſu, neſcio

quem larvatum Regem, à Meſſia diſtinctum, Vir Doctus promittit Judæis, ſub cujus ductu *in æternum* Palæſtinam inhabitent, ac ſi portio optima bonorum in terra deberet eſſe non in cœlo, tam parum Chriſtianè iiſdem pollicetur *Ieruſalem* ſuam *inſtaurandam*, & *Templum* ſuum illud *reſtituendam in quo erit requies Domini & requies* ſua. Nam Templum Hieroſolymitanum fuiſſe penitus evertendum, ipſe Chriſtus prædixerat in Euangelio: Nec poſſet reſtitui niſi revocato cultu Levitico cui deſtinatum fuerat: hunc vero ab Antichriſto eſſe reſtituendum, quidam crediderunt nullo firmo argumento, ſed revocandum Spiritus Chriſti auſpiciis, Chriſtianorum nemo unquam ſomniavit. Quinimò non defuerunt ex ipſiſmet Judæis qui negarent Templum Hieroſolymitanum unquam fore reparandum. Et Galatinus *lib. 5. de Arcan. cap. 10.* id ipſum probat ex non-

nullis

nullis Rabbinorum teſtimoniis, imo ex loco Jerem: v 11,4. quod verba ſint mendacia eorũ qui dicant, *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini*, ac ſi poſt duo priora tertium adhuc Hieroſolymis per Regem Meſſiam veniret expectandum: Quo argumento poſt Galatinum, utuntur apud Cornelium à Lapide *ad Ier. 7.* Vilalpandus, Petrus Niger, ipſemet Cornelius. Ejuſdem eſt furfuris, quod Præadamita nugatur Chriſto *in Spiritu* adventante ad reſtitutionem Judæorum, Spiritum Dei *planè* effuſum iri *ſuper omnem carnem*, cùm tamen illa Ioelis promiſſio, teſte Petro Apoſtolo Act:11,16. ad tempora Gratiæ & Novi Teſtamenti ſpectans, cœperit ſolemniter executioni demandari in prima Pentecoſte. Sed quid magis Achriſtianum in hoc homine, quàm quod ſe *unum* ex Judæis optat, & confidat ſe moriturum morte Judæorum, ut moriatur *morte juſtorum*,

Y 6 *quia*

qua, inquit ad Judæos, *veſtra eſt?* Suſpicor his blanditiis, Chriſtiano pectore indignis, hunc hominem velle ſeipſum, vel neſcio quem alium ſuum Achillem, obtrudere Judæis in Regem prodromum Meſſiæ Regis, num forte eos ſtultâ credulitate illectos queat ſuis pecuniis emungere, vel Barcozbæ aut Moſis Cretenſis, mutatis perſonis, fabulam denuo inter illos excitare. Sed huic fini bonus vir debuiſſet Judaicas hypotheſes adhibere, non verò nova iſta portenta excogitare quę nunquam *Judæus apella* ſit crediturus.

5. Neque in his ſolum conatur Præadamita Judæos demulcere, ſed eos inſuper in 2. *lib. Syſt. per totum*, multis paraſangis extollit ſupra omnes terræ populos, eoſque ſolos arbitratur *Queis meliori de luto Titan præcordia finxit.* Nolim hîc omnia abſurda vel referre vel refutare in quæ incidit, dum Judæos cum Gentilibus

con-

confert, & utrorumque elogia fabricatur ex variis Scripturæ locis, quibus ut plurimum vim infert manifeſtò, & ſenſum ab eorum ſenſu διὲς διὰ πασῶν remotum affingit. Sed cœteris miſſis intra propoſitæ quæſtionis circulum me continebo, & oſtendam ex diſtinctione jugi inter Iudæos & Gentiles, tempore quo ſtabat adhuc paries intergerinus, non poſſe colligi Adamitarum & Præadamitarum diſtinctionem; quod meo ſcopo in Præadamiticæ fabulæ refutatione ſatis erit. Igitur quam agnoſco varia proponi diſcrimina inter Iudęos & Gentiles, quamdiu ex ſpeciali & indebita Gratia ad illos ſolos pertinebant promiſſiones & revelationes Divinæ Pſal: CXLVII, 19. 20. Ioh: IV, 22. tam nego inde poſſe colligi ſolos Iudæos Adamitas eſſe cenſendos, & reliquorum originem ex Præadamitis arceſſendam. Nam primò ex uſu conſtanti Scripturæ, quoties Iudæorum nomen

non ſumitur ſtrictiùs pro tribu Iuda & ea parte tribus Benjamiticæ, quæ reliquis decem aliis tribubus ſub Ieroboamo ſecedentibus, in obſequio & fide Roboami ac Davidis ſucceſſorum permanſerunt; quo ſenſu Regnum Judæ, ab Iſraelis Regno frequentiſſimè diſtinguitur; non latiùs extenditur quam ad δωδεκάφυλες Iſraelis, ex duodecim Iacobi filiis propagatis, quorum videlicet poſteros ductu Moſis Deus eduxit ex Ægypto, & in ſpecialem ſuum populum conſtituit. Nec ultra hanc Remp. Iſraeliticam extenduntur ulla ex illis elogiis Judæorum, oppoſitè ad Gentiles, quæ corraſit Vir Doctus ex Scripturis, vel ex illis ſomniare voluit. Et quicunque eo ſenſu Judæus ſive Iſraelita non eſt, is ex ſtylo Scripturę, pro Græco, Gentili, præputiato, alieno à Rep. Iſraelis, habendus eſt: Iam verò Anticyras navigare & medio digito oſtendi debebit, qui

perten-

pertenderit ſolos nepotes Iacobi Patriarchæ & poſteros eorum quos Deus eduxit ex Ægypto, Adamitas eſſe cenſendos, & reliquos omnes ex Præadamitis derivandos.

6. Etenim etſi duodecim tribus Iſraelis ſolæ natę ſint ex Patriarcha Jacobo, (ſaltem per lineam maſculam, nam cui nupſerit ejus filia Dina, & quos poſteros reliquerit, incertum eſt;) tamen ex Iſaaco præter Jacobum & Iſraelitas prodierunt Idumæi ab Eſavo variè propagati, quos tantum abeſt, ut Judæi ejuſdem ſecum ſtemmatis velint agnoſcere, ut è contrario Idumæorum nomine intelligant Italos & totum imperium Romanum, & ferè quicquid eſt hodie Chriſtianorum in mundo, quos habent pro ſummis ſuis adverſariis, & nugantur per ſuum Meſſiam Ben Joſeph variis cladibus atterendos, donec per alium Meſſiam Ben David ad internecionem deleantur. Sic conſtat

ſt: tex Abrahamo multas alias gentes, præter Iſraeliticam per Iſaacum, prodiiſſe, quæ ſemper ab Iſraelitis pro ἀλλοφύλοις ſunt habitæ, partim ex Iſmaële Agaris ancillę filio, partim ex Keturæ ſecundæ ſuæ conjugis filiis ſex, quorum nomina & propagines referuntur Gen:xxv,2.3.4. Atque ut Abraham non fuit pater ſolius Iſaaci, nec Iſaac ſolius Jacobi, ſolorum Iſraelitarum parentis, ita Thare Abrahami pater, duos alios filios habuit, Haram & Nachor, quorum poſteri nunquam Judæis vel Iſraelitis accenſiti ſunt; & omnes Abrahami prædeceſſores, ad Semum uſque Noæ filium, ſuum genus latè diffuderunt, non in ſolum ramum illum ex quo Abraham prodiit, ſed in plures alios: Et quàm multæ gentes ex Semo, quam multę aliæ ex duobus illius fratribus Chamo & Iapheto prodierint, quas inter Judæos & Iſraelitas recenſere, ſummę foret inſaniæ, videre

eſt:

eſt apud Moſem Gen: x. per totum. Cùm ergo tot alias gentes habeamus in Scripturis ex Adamo per Noam propagatas, ab Iſraelitis ſive Judæis planè diſtinctas, inſanire imò furere eum oportet, qui ſolos Iſraelitas vel Judæos faciat Adamitas, ut cœteros omnes populos, qui diſtinctè à Judæis Gentilium nomine veniunt in ſacris Scripturis, ex Præadamitis neſcio quibus propagatos ſomniet.

7. Præterea notum eſt Judæos valde ſuperbè de ſe ſentire, & de reliquis gentibus valde contemptim: Ita ſe ſolos ſervandos & reſurrecturos arbitrantur, ut docet ex ipſorum monumentis Burtorfius *cap. 1. Syn. Iud.* & qui plura Judæorum teſtimonia de ſolis Iſraelitis reſurrecturis videre volet, adeat quod antea citavi *caput 6. not. miſcell.* Pocockii *ad portam Moſis, pag.180. & ſeqq.* Ita etiam vix alio loco habent cœteros homines, ſi præſertim Noachidarum ſeptem præcepta con-

contempſerint, quam canum aut pecudum, ut nec adulterii reatum contrahat Judæus qui alienigenæ uxorem compreſſerit, nec furti, qui bona ejus dolo malo interverterit, nec homicidii qui illum occiderit; prout negant Thalmudiſtæ capitale fuiſſe Judæo proſelytum Domicilii occidere, aut debere Judæum adjuvare Gentilem in ſubmerſionis aut alio vitæ periculo, eo quod proximus non ſit, ut videre eſt apud Seldenum *de jure nat & Gent. ad leges Heb. lib. 4. cap. 3*: Interea tamen nunquam ſomniarunt Judæi, Gentiles alterius eſſe ſtirpis quam Adamicæ, aut non arctiori vinculo eos ſibi attinere, quam nobis homines illos quos verſari in mundo Lunari, & ſi tales forent, verè Præadamitas, cùm Luna ſit biduo antiquior Adamo, nonnulli æquè perperam ac noſter illos alios imaginantur. Imò quantumvis Judæi cœteros negarent eſſe

eſſe ſuos *proximos*, ratione cognationis Iſraeliticę, Chriſtus tamen docet illos eorum eſſe proximos ratione cognationis Adamicæ Luc: x, 29. 30. & ſeqq. Act: xvii, 16. Hinc eſt quod omnes terrę populi vel familię à Vulgato Interprete Gen: xii, 3. omnium *cognationum* nomine exprimuntur, quoniam omnes inter ſe quodam cognationis vinculo ob communem ex Adamo ſtirpem connectuntur. Sępè itidem Chriſtus duos iſtos populos, Jüdæum & Gentilem, proponit inſtar duorum fratrum germanorum eodem patre ſatorum, ut Matt: xxi, 28. Luc: xv, 11. quod utique abſque grano ſalis ſumendum non foret ſi toto genere, etiam primæ ſtirpis reſpectu, diſtincti fuiſſent.

8. Nihil verò eorum quæ vel ad commendationem Judæorum, vel ad Gentilium depreſſionem facere videntur, eò ſpectare poteſt ut hi Præadamitis accenſeantur, illi ſoli Adamitæ.

mitę cenſeantur: Profert equidem Vir Doctus *Syſt. lib. 2. cap 1.* & alibi ſparſim *Electionem* Judæorum, ex qua *primogeniti* ſtatuantur. Sed ne dicam quam ſolemnia deliret hic homo circa Electionis doctrinam, ut quod aliam ęternam facit, aliam *myſticam*; quod hujus *originem* arceſſit ab Adamo, à quo *propagata ſit tanquam à ſtirpe ſua in filios ſuos & nepotes ſuos Iudæorum ramos omnes*; quod Electio Gentium ſit à Judæorum Electione repetenda, quod ſalutis & electionis origo ideo ab Adamo repetenda ſit, *à quo & perditio fuit*, quia *nimirum ſalutem omnibus hominibus propoſitam in Adamo* (forte voluit dicere *in Chriſto*) *nunquam accepiſſent homines, niſi Adamus illam perdidiſſet*; (quanquam valde impeditus foret ſi deberet explicare quomodo ex Adamo non ſolis ſuis lapſo, ſed omnibus etiam Pręadamitis, procedat ſolorum Judęorum Electio) Ut non diffiteor hanc fuiſſe pręrogativam ingentem

gentem populi Iſraelitici, quod Deus illum ſpeciatim in ſuum populum eligere dignatus ſit; unde Iſrael fuerit Dei primogenitus; Eccleſia Iſraelitica matrimonio ſpiritali conjuncta Deo; Deus Pater, Paſtor, Rex Iſraelitarum; (quod delirat de Deo *matre* Judęorum, alibi refutatum eſt) ipſi-met Iſraelitę, Dei filii ſancti, hęreditas, populus &c. Ita pernego, illam Electionem Gentiles facere *genere diverſos* à Judęis, aut probare illos *non oriundos eſſe ex ſtirpe & proſapia* eadem qua Judęi. Nam primò cùm Electio populi Iſraelitici celebrata omnibus iis Scripturę teſtimoniis quę corraſit Pręadamita, ſolas duodecim tribus ſpectet eductas ex Ægypto, abſurdè cœteros omnes hoc circulo ſecluſos, neque cum Iſraelitis ad Dei fœdus electos & adſcitos, feceris alterius proſapię & originis quam Adamicę. Deinde ut Electionis perſonalis ad ſalutem unius

unius prę altero, exempla varia nobis proponuntur in Scripturis fratrum germanorum; nam ita Abel & Cain, Sem & Cham, Abraham & Nachor, Iſaac & Iſmael, Jacob & Eſau, fratres germani fuêre; & duo poſteriores, ac etiam juxta nonnullos duo priores, ex eodem concubitu geniti ſunt; ſic etiam Electio nationalis unius populi præ alio ad Dei fœdus, magis ſupponit cognationem populi electi cum aliis præteritis, quam *ſtirpem* & *proſapiam* planè diverſam. Cur enim Deus magis in Electione nationali quam perſonali, originis & ſtirpis ſpectaſſet dignitatem? Cùm præſertim ipſe Præadamita fateatur totam hanc Electionem Judæorum ex *pura Dei gratia & miſericordia proceſſiſſe*, & immemor diſcriminis à ſe aliàs aſſignati inter *formationem* Adami ac Judæorum in ipſo, & *creationem* Præadamitarum ac Gentilium in illis, unde illos inter tantũ illi eminuerint, *quantum*

tum lenta ſolent inter viburna cupreſſi, agnoſcat Judæos *carne eadem & ſanguine eodem dilutos, quo Gentiles coaluerunt, nec non eodem luto compactos quo cæteri homines compacti ſunt.* Quid quod dum ipſemet *Syſt lib. 5. cap. ult.* etiam ad Præadamitas ſuos extendit Dei Electionem, non æternam modò ſed myſticam, eo ipſo fatetur ex Iudæorum Electione non poſſe ſtatui diſcrimen inter Adamitas & Præadamitas; cùm id duos ordines non diſtinguat quod utrique convenit? Saltem cùm negare nequeat Electionem æternam ad ſalutem in Chriſto, factam indiſcriminatim ex omnibus populis in communi & eadem maſſa conſideratis, adeoque ex eadem ſtirpe oriundis, non video quid diſcriminis Electio conſtituat quantum ad originem inter Judæos & Gentiles.

9 At, inquit, Judæi deſcribuntur tanquam *filii* Dei, qui inde dicunt Domino El: LXIII, 16. *Tu Domine Pater*

Pater noſter es, & Abraham neſcivit nos & Iſrael ignoravit nos; quod tamen ridiculè *Syſt. lib. 2. cap. 2.* interpretatur, ac ſi ita ſignificarit Propheta, *Deum Patrem fuiſſe Iudæorum, nondum natis patribus Iudæorum, quo tempore neſciebat Iudæos Abrahamus & Iſrael ignorabat illos*; cùm nequiverint gloriari Iudæi de Deo Patre, antequam ſui patres fuiſſent in rerum natura, nec agat Propheta de eo quod Deus fuerit Iudæis ante natos Abrahamum & Iſraelem, ſed de eo quod ipſis tunc erat tot ſæculis poſt denatos Abrahamum & Iſraelem Patres Suos, quos multo minoris faciebant quam ipſum Deum; cujus paternum amorem uberiùs, certiùs, diutiùs & conſtantiùs experti fuerant. Unde Chaldæus Paraphraſtes eum locum ita reddidit; *Tu es Pater noſter, quia Abraham non eduxit nos de Ægypto, & Iſrael non fecit nobis mirabilia in deſerto; Tu es Domine Deus noſter.* Quid veró ad diſtinctionem

inter

inter Adamitas & Præadamitas, quod Iudæi *Filii Dei* ſtatuantur oppoſitè ad Gentiles, quo tempore Deus iſtos viis ſuis ſinebat ambulare? Act: XIV, 15. Nam jure creationis & primævæ originis omnes homines ſunt Dei filii, quomodo Adamus ipſe cęterorum pater *Dei filius* dicitur Luc: III, 38. & Deus ſtatuitur *Pater ſpirituum* Heb: XII, 9. imò & *Pater pluviæ* Iob: XXXVIII, 28. & univerſaliter de omnibus non minus Gentilibus quam Iudęis dixit Apoſtolus ex Arato Act: XVII, 28. nos *Dei genus* eſſe; Iure verò recreationis & adoptionis per Chriſtum æquè Gentiles ac Iudæi eò dignitatis evehuntur.

10. Nec facit ad rhombum quod ait *Syſt. lib. 2. cap. 5.* Gentiles dictos eſſe *homines*, Iudęos verò *homines Dei*, (imò hos notat *ejuſdem libri cap. 1.* *Deos* appellari, ex locis duobus Eſ: XLIII, 1. & Pſal: LXXXII, 6.) item Gentiles *Filios hominum* dici *ratione op-*

 poſitionis

poſitionis eadem quâ Iudæi Filii Dei vocati ſunt. Nam ſi *homines Dei* dicerentur Ezech: XXXIV, 31. eo elogio ornarentur quomodo ibidem *grex* Dei nuncupantur, per dominium ſpeciale gratię, cùm ex dominio naturę omnes illi ſubjiciantur ceu homines ſui ligii, ut* jura feudalia loquuntur, quod ipſius ſit terra & plenitudo ejus Pſalm: XXIV, 1. Sed hic homo fumum propinat ſuis Lectoribus; Nuſpiam enim Iſraelitę in communi *homines Dei* appellantur; quamvis non negem Prophetas in communi *homines Dei* 2 Pet: I, 21. & eorum quemlibet quandoque *virum Dei* appellari, ut 1 Sam: IX, 6. 1 Reg: I, 11. imò quemlibet fidum paſtorem in N.T. 1 Tim: VI, 11. 2 Tim: II, 17. Et apud Ezechielem non vocat Deus Iudęos, homines ſuos; nec habet textus *homines mei*, ut citatur à Pręadamita, ſed ita habet juxta V. V. *Vos greges mei & greges paſcua mea, homines eſtis;* vel juxta Pagninum, *Vos pecus*

pecus meum, & pecus paſcuæ meæ, vos homines. Hîc igitur revera Iudæi ſimpliciter *homines* appellantur, quo nomine iste pertendit ſolos Gentiles deſignari; Et cùm dicitur Pſal: IX, 21. *Sciant gentes quod homines ſunt*, uſurpatâ voce אנוש *Enoſch*, quæ notat miſerum, infirmum & mortalem, nihil in eo eſt quod Iudęo ęquè ac Gentili non conveniat; Nam ſunt & fuerunt ſemper Iudęi *homines*, à quibus nihil humani alienum. Cœtera mitto; nam ut *homines* non negem dictos Gentiles, & ſępè eo nomine quod modò notavi, ita nego hoc dictum de illis per oppoſitionem ad Iudęos, ac ſi vel hi *homines* nec eſſent nec dici deberent, vel *homines Dei*, aut quod inſanius eſt, *Dii* ipſi dicerentur. Nam ut prius elogium nuſquam extat de Iudęis, ita poſterius falſò illis in communi deputatur; Illud enim Pſalm: LXXXII, 6. *Dixi dii iſtis*, non de Iudęis in communi, ſed

ſpeciatim de Principibus & Magiſtratibus dicitur, ut patet ex com: 1. Quomodo etiam Paulus omnem Principem & Magiſtratum inter Gentiles vel Chriſtianos, appellat πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα 2 Theſſ: 11, 4. Et quod illis dicitur à Pſalte, *Vos autem ſicut homines moriemini*, non eò ſpectat quaſi Iudæi eſſent morituri inſtar Gentilium; illis enim ipſe Præadamita in *Allocutione* ſua tribuit quod moriantur *morte juſtorum*; ſed quò inſinuetur primores illos æquè ac plebeios quoſlibet diem ſuum obituros; cùm pallida mors æquo pede pulſet & regum turres & pauperum tabernas. Neque etiam Eſ: XLIII, 1. dicit Deus, *Vocavi te* ô Iſrael *nomine meo*; Id nuſquam legitur apud Prophetam, ex quo tamen hic homo fingit Iudæos *Deum nomine ſuo vocaviſſe Deos*, ſed tantum, *Vocavi te nomine tuo*; Eâ ſcilicet fide citat Scripturas, in quibus potius corrumpendis & à legitimo ſuo ſenſu detor-

detorquendis totus eſt. Denique nullum proferet locum in quo diſtinctè à Iudæis ceu *filiis Dei*, Gentiles *filii hominum* appellentur; cùm hæc nomenclatura בני אדם *Bene Adam*, ut aliàs oſtendi, de hominibus in communi abſolutè, nec per Gentilium oppoſitionem ad filios Dei aut Iudæos, frequentiſſimè uſurpetur.

11. Ridiculè verò *Syſt. lib. 2. cap. 11.* profert locum Deut: XXXII, 8. *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael*, ut inde conficiat Iudæos *filios Adam* oppoſitè ad alias Gentes appellari, cùm è contrario id nominis ſit commune omnibus gentibus, quibus ſuam cuique ſedem, ut Iſraelitis ſuam, Deus aſſignavit. Nec eo quod Eſ. XLIII, 27. dicitur Iſraeli *Pater tuus primus peccavit*; ſcilicet Adam, ſequitur Adamum ſolorum Iudæorum patrem fuiſſe. Et ſic operam ludit Præ-

adamita dum *lib. 2. cap. 10.* ſtudet probare Adamum primum patrem eſſe Iudæorum, & hos filios Adami vocari: Nam fuit primus pater Iudæorum, quia omnium hominum; & hi filii Adam dicuntur, quia ab illa ſtirpe communi totius generis humani derivantur; Neque David Pſal: LVIII, 4. hypocritas è Iudæis quos com. 2. filios Adam appellaverat, confert cum Gentilibus *alienatis à vulva*, ſed illos ipſos hypocritas deſcribit naturâ filios irę & ab origine prima ſuo corruptos & depravatos; quo ſenſu *dicitur figmentum hominis eſſe malum à pueritia ipſius* Gen: VIII, 21. Quod vult probare *Syſt. lib. 2. cap. 6.* Gentiles dictos *atheos quia ſine Deo*, item *filios hominum, inſipientes, ſtultos, iniquos* &c. item *cap. 7. peccatores*, item *cap. 8. infantes, parvos & pauperes*, item *cap. 9. filios iræ, inimicos & hoſtes Dei, beſtias*, & pro talibus habitos Iudæis, (ut pręteream in iſtis Gentilium elogiis,

giis, quatenus à Iudæis diſtinguuntur, plurima eſſe falſa & impertinentia, & quæ ſi ad lancem Scripturæ & rationis exigerentur, leviſſima & vaniſſima deprehenderentur,) planè nihil facit probando Gentiles alterius originis & ſtirpis fuiſſe quam Iudæos: Nam pleraque ex illis elogiis deſcribunt conditionem hominum in ſtatu naturæ corruptæ jacentium, extra Dei fœdus viventium, ac Dei gratiâ deſtitutorum; At inde magis conſtat eos de quibus talia dicuntur, ab Adamo, in quo omnes peccarunt & per quem peccatum & mors in mundum introjerunt, eſſe oriundos. Et cùm fateatur Vir Doctus *cap.* 9. etiam nonnunquam Iudæos ſimilibus deſcribi coloribus, ſi quando *ad Gentilium mores* tranſfugerint, hinc deberet igitur agnoſcere, Gentiles quidem in ſtatu peccati, diſtingui à Iudæis veris & fœderatis, illis elogiis ratione *morum*, ſed non ratione originis & naturæ.

 12. Nun-

12. Nunquam igitur faciet *gentiles genere & naturâ* diverſos à *Iudæis*, per illam utrorumque anthitheſim, in qua velit conſiderari *Iudæos Electione & formatione ſuâ deorum loco poſitos; Gentiles creatione ſuâ homines ſimpliciter æſtimatos: Iudæos filios Dei, Gentiles filios hominum; Iudæos Sanctos, Gentiles iniquos & impios; Iudæos juſtos, Gentiles peccatores; Iudæos ſapientes & intelligentes, Gentiles ſtultos & inſipientes; Iudæos magnos & excelſos, Gentiles parvulos & homunciones; Iudæos divites, Gentiles pauperes; Iudæos filios dilectiõnis, Gentiles filios iræ; Iudæos amicos, Gentiles inimicos; Iudæos mundos habitos, Gentiles immundos & beſtias immundas infamatos.* Nam etſi tota hæc antitheſis obtineret inter Iudæos fœderatos & Gentiles relictos ſuæ nativæ corruptioni, inde non ſequeretur hos ab Adamo progenitos non fuiſſe: Cùm è contrario hæc omnia Gentilibus convenirent per corruptionem

tionem Adamicam, Iudæis verò per gratiam indebitam, abſque qua cœteris omninò ſimiles permanſuri fuiſſent. Prout nec Præadamita diffitetur *lib. 2. cap. 1. Iudæos natos eſſe naturaliter immundos ſicut cœteros homines*; Sed etiam uti dixi, in hac antitheſi multa ſunt abſurda & falſa: Falſum eſt, vel Iudæos Electione ſuâ poſitos *deorum* loco, quod nuſquam dicitur; vel eorum *formationem* à cœtetorum *creatione* differre; vel Gentiles uſpiam opponi Iudæis, ut diis meros homines; Falſum, Iudæis ceu Dei filiis Gentiles opponi ceu filios hominum: Nec Iudæi naturâ fuerunt præ cœteris ſtatuendi filii Dei, vel ſancti, vel juſti, vel ſapientes, vel mundi; ſed ex indebita gratia. Et quamvis vulgo Gentiles, ceu *peccatores* traducerentur apud Iudæos, quò ſpectant pleraque loca huic homini citata *lib. 2. cap. 7.* tamen Apoſtolus utroſque peccati peragit reos ex aſſe Rom: III, 9. Pu-

blicani quoque, qui tam ſæpe peccatoribus conjunguntur in Euangelio, non erant origine Gentiles, ut fingit Præadamita *ibidem & cap. 8.* ſed Iudæi: Nec Chriſtus profitendo ſe non veniſſe vocatum juſtos ſed peccatores ad pœnitentiam, opponit Gentiles Iudæis, quaſi neget ſe veniſſe hos vocatum, cùm è contrario profiteatur ſe non eſſe *miſſum niſi ad oves perditas domus Iſrael* Matth: xv, 24. Sed hominibus inter Iudæos ſuâ opinione juſtis & propriæ perfectionis imaginatione Phariſaicâ turgidis, eos qui ſenſu ſuorum peccatorum tangebantur & angebantur, prout tales ad ſe vocat inter Iudæos Matth: xi, 28. Nec ſimiliter opponuntur Iudæi & Gentiles in eo loco Pauli qui extat Act: xxiv, 15. ubi profitetur ſe credere reſurrectionem *juſtorum & injuſtorum*, ſed pii & ſancti cujuſcunque gentis fuerint, impiis & reprobis qui abſque fide in Chriſtum & in ſua iniqui-

tate

tate deceſſerint; nam teſte Chriſto *prodibunt qui bona fecerint in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerint in reſurrectionem condemnationis* Ioh: v, 29. Sed cùm nullius condemnationem hic homo credere videatur, mavult invertere mentem Pauli, quam improborum reſurrectionem ad mortem admittere.

13. Sic quamvis populus Iſraeliticus dicatur Deut: iv, 6. *gens maxima* ex ſpeciali Dei fœdere, ac *populus ſapiens & prudens* ex illuminatione verbi Divini, tamen nec facile probabit hic homo quod aſſerit *cap. 8. lib. 2.* Gentiles Iudæis opponi quà *parvos* & *infantes*; Nam vox Chriſti Prov: viii, 4. 5. indiſcriminatim quoſlibet compellat, prout omnes ſunt naturâ ſuâ *parvuli*, ut reddit V, V. ſive potius *fatui* & *ſtolidi*, priuſquam divinæ Sapientiæ radiis colluſtrentur. Neque Chriſtus Matth: xi, 25. opponit Gentiles Iudæis, ut hos ſtatuat *ſa-*

pientes & intelligentes à quibus Deo viſum fuerat ſua myſteria occultare, illos vero *νηπίους* ſive *parvulos* vel *infantes*, quibus illa fuerant revelata; Agit enim Servator de ſuis Diſcipulis & Apoſtolis qui tunc omnes erant genere Iudęi, oppoſitè ad Scribas & Phariſæos, qui ſe valde ſapientes & intelligentes imaginabantur, & de quibus id poterat uſurpari, Multos ad ſapientiam perventuros fuiſſe, niſi ſe jam eò perveniſſe credidiſſent: Videatur Paulus idem diſcrimen faciens inter ipſos Gentiles ſive Græcos 1 Cor: 1, 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. Et quæ porrò *ἀλληγορίζει* Præadamita circa parvulos clamantes Hozanna, non impediendos quominus ad Chriſtum veniant, non ſcandalizandos &c. ut in illis ruſpetur ſuos Gentiles oppoſitè ad Iudæos, tam ſunt inſubida, ut nuſpiam ſe magis puerum probet: Ac ſicut nullum locum profert, in quo *pauperes* Gentiles

les dicantur & Iudæi *divites*, (nam Epulo dives & Lazarus pauper erant cętero quin ejuſdem ſtemmatis, & pauperes in quos debuiſſet dives juvenis ſua bona erogare, erant *ipſius fratres amicti ſtercore*, ut habebat Euangelium ſecundum Hebręos Origeni & Hieronymo citatum) niſi quod ex Gentilibus *parvos* facit & ex parvis *pauperes*, quia ſcilicet *parvus Mycon* apud Virgilium *Eclogâ 7.* pauperem Myconem notat; quod ſcilicet eſt argumentum valde ſtringens & Syſtemati Theologico convenientiſſimum. Ita nec uſpiam Iſraelitæ dicti ſunt *filii dilectionis*, & Paulus Eph: 11, 3. ſe ac cœteros Iudæos non minus quam Gentiles credentes, quondam fuiſſe *naturâ filios iræ* aſſerit: *Eramus*, inquit, *naturâ filii iræ ut etiam reliqui.* Neque Iudęi naturâ ſuâ erant filii Dei, ſed electione & gratiâ. Et dum opponit Præadamita *lib. 2. cap. 9.* Gentiles *naturâ filios iræ*, *Iudæis qui naturâ electionis*

myſticæ filii dilectionis habentur, ſtultè opponit naturam naturæ electionis, cùm electio naturæ non ſit, ſed favoris & gratiæ. Ejuſdem ſunt commatis quæ fingit *ibid.* de Gentilibus ut Dei inimicis oppoſitè ad Iudæos ceu Dei amicos, licet nuſpiam Iudæi ita appellentur. Nec ſi Abraham κατ' ἐξοχὴν *amicus Dei* dictus eſt ex fide ſua Iac: II, 23. & Eſ: XLI, 8. inde ſequitur opponi Iudæos Gentilibus, ut Dei amicos ejus hoſtibus; nam & Iudæi naturâ ſuâ erant θεοςυγεῖς, ut cœteri Rom: I, 30. & dicuntur *inimici quoad Euangelium* licet *quod ad electionem dilecti propter Patres* Rom: XI, 28. & non minùs Iudæi quam Gentilis caro & φρόνημα σαρκὸς *eſt inimicitia adverſus Deum* Rom: VIII, 7. & quotquot veſtigia premunt fidei & obedientiæ Abrahami, ſive ex præputio ſint ſive ex circumciſione, accenſentur Chriſti amicis Ioh: XV, 14. 15.

14. Gentiles quidem pro *immundis*

dis habebantur à Iudæis, qui eorum convictu omni ſuperſtitioſè abſtinebant; ſed ab illo errore fuit liberatus Petrus per divinum ὅραμα Act: x, 28. Imò ſuam met immunditiem non rarò Iudęi confitentur, nominatim Eſ: LXIV, 6. Et ſi quæ illis mundities & ſanctitas coram Deo conveniebat oppoſitè ad Gentiles, quo tempore hi erant,ut deſcribuntur Paulo Eph: II, 12. *abſque Chriſto, abalienati à civili ſtatu Iſraelis, extranei quoad pactorum promiſſiones, ſpem non habentes & abſque Deo* & veri Dei notitia *in mundo*, illa omnis erat gratiæ, non naturæ & originis diſtinctæ à Gentibus. Sed nec uſpiam deprehendo Gentiles oppoſitè ad Iudæos *Beſtias* expreſſè appellari. Neque eo facit ullus ex locis citatis Pręadamitæ *cap. 9. lib. 2.* præter adagialem Chriſti loquutionem ad Cananæam, de non ſumendo pane liberorum & eo objiciendo catellis Matth: XV, 26. Prout non diffiteor tan-

tum diſcrepaſſe Iudęum à Gentili per fœderis gratiam, quantum differunt infantes à catellis in ædibus noſtris: Sed aliàs Pſal: LXXIV, 19. habet quidem V. V. *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi*; verùm textus originalis habet, *Ne tradas congregationi vel catervæ iſti animam turturis tuæ*; Quod ſi tamen vocem חיה *Chaja* in textu Hebræo reddere malis, *Animal*, vel *Beſtiam*, aut *Feram*, erit oppoſitio inter feritatem hoſtium, à quibus præſervari petit Synagagoga, & manſuetudinem quam ipſa profitebatur; Sed utrobique ſub metaphoris deſumptis à beſtiis; ut ibi beſtiæ ferę, hîc mitis & manſueta beſtia proponantur: Ita *Catuli Leonum*, ſive potiùs *Immanes Leones à quibus* petit liberari David Pſal: LVII, 5. LVII, 5. erant Iſraelitæ & Adamitæ origine, nempe Saul cum ſuis, ut patet ex com. 1. *Tauri* ſimiliter, *Leones, Vnicornes* & *Canes* commemorati Pſalm: XXII, 13. 17. 21. 22.

potius

potius Iudæos denotant, qui primas obtinuerunt in Chriſti crucifixione, quam Gentiles; Ac *Porci* &, *Canes* de quibus Chriſtus Matth: VII, 6. ſunt homines profani & impuri, cujuſcunque gentis, non Gentiles oppoſitè ad Judæos: nam illis quoque euangelizandum fuit: Quin Præadamita delirat cùm Luc: XII, 6. videt *paſſeres* & *corvos*, ut per illos Iudæos, per hos Gentiles intelligat; etſi paſſerum tantum fiat mentio in textu originali, & paſſeres aliàs non minus ſint beſtiæ quam corvi.

15. Hæc obiter dicta ſunto de antitheſi inter Iudæos & Gentiles, de qua ſibi tantopere gratulatur Vir Doctus, ut etiam Minerval ideo repetat à Iudæis. Quam autem ex illa non probetur Gentiles eſſe ex Præadamitis, & ex Adamo ſolos Iudæos, vel illi vident qui nondum ære lavantur. Nunc videamus quid porrò proferat ad hanc ſuam aſſertionem ſtabiliendam.

endam. Dilutius eſt quod argutatur *lib. 2. Syſtem. cap. 11.* Iudæos dici alterius *generis* & alterius *ſpeciei* à cœteris hominibus: Prius probat ex libro Iudith XVI, 20. *Væ genti inſurgenti ſuper genus meum.* Poſterius ex Pſalm: XLVII, 5. *Elegit nos hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob quam dilexit.* Quantum enim ad prius, præterea quod perperam inde vult probare Iudæos vocari *genus Dei*, quo elogio omnes homines inſigniri à Paulo jam ante viſum, non magis colliget inde reliquos populos, à quibus Iudæorum genus diſtinguitur, non eſſe Adamitas, eò quod Iudæi ab Adamo ſint procreati, quam ſi vellet argutari, ideo reliquas tribus non fuiſſe Iacobiticas, eò quod *genus ſacerdotale* dicatur Levit: VI, 29. VII, 6. Aaronis ſtemma, quod per Levi ex Iacobo originem trahebat. Quantum ad poſterius, ſi meminiſſet hic homo ſe alibi ſtatuiſſe, ut ſuo loco viſum, omnes homines, etiam

etiam ſuos Præadamitas, unum fuiſſe in Adamo unitate ſpecificâ, non auſus fuiſſet vel genere vel ſpecie, logico ſenſu, Gentiles à Iudæis diſtinguere, ſtatuendo *diſcretam eſſe Iudæorum ſpeciem à ſpecie gentilium*, quomodo *diſtincta eſt apud Philoſophos hominum ſpecies à ſpecie brutorum.* Nam ſanè hæc differentia eſt eſſentialis, quam nemo qui ſe hominem noverit, etſi dixerit Comicus, *Homo homine quid præſtat*, inter ſe & alios ullos homines ſomniabit. Neque Vulgatus interpres in loco Pſaltis citato, vocem *ſpeciei* ſumpſit logicè & ſecundò-intentionaliter, ſed primò-intentionaliter & phyſicè, prout ſpecies formam ac pulchritudinem notat, ut dixit Ovidius, *Et color & ſpecies floribus omnis ineſt*; Item, *Et monet ætatis ſpecie dum floreat uti.* Nam textus originalis habet vocem גאון *Geon*, quæ *excellentiam, ſplendorem, gloriam*, interdum & *ſuperbiam* ſignificat, nuſquam verò occurrit pro illa.

illa notione logica quæ *ſpecies* dicitur.

16. Adfert *ibid.* locum ex Deut: xxvii, 36. *Ducet te Dominus & Regem tuum in gentem quam ignoras, tu & Patres tui*; necnon & iſtud Pſalm: xviii, 44. *Populus quem non cognovi ſervivit mihi.* Vult in priori loco *Patrum* nomine Adamum ipſum venire; unde colligit *Ergo non omnes gentes ab Adamo & poſteris Adami Iudæorum patribus cognitas; Atqui non ignorant homines ſuas progenies, neque ignoratæ Iudæis fuiſſent eorumque Patribus gentes illæ, ſi ab illis vel eorum Patribus progenitæ fuiſſent; Gentes veró illæ Iudæis & Iudæorum patribus incognitæ fuêre veriſimiliter Americanæ, Auſtrales, Groenlandicæ, & cœteræ ad quas neque dum Iudæis vel Chriſtianis gentilibus penetrare licuit.* Verùm hîc eſt denſior coacervatio abſurdorum ſeſe mutuo inſequentium quam undarum in mari. Primò pertendit hîc omnes Iſraelitarum patres, ab Adamo uſque intelligi; at hoc planè alienum eſt ab uſu

Scri-

Scripturæ. Deinde vult eas gentes non eſſe ab Adamo, vel à Noa, quas illi non noverunt, quia *non ignorant homines ſuas progenies.* Atqui alibi pertendit nullam eſſe gentem præter Judæam, quæ ſuam originem & progeniem cognoſcat; & poſſim plura proferre exempla virorum magnorum, tam obſcuro loco natorum, ut neminem ipſi ex ſua progenie cognoverint. Id de Sixto V. P. R. & de Cardinali Oſſatio, notius eſt Eruditis, quam ut demonſtrari debeat. Tum etſi vir prudens ſtudeat non eſſe peregrinus domi ſuæ, & homines ſibi cognatos diſtinctiùs cognoſcere, nunquã tamen fando auditum eſt, quempiam debere noſſe quænam ſit futura ſua progenies longis ſæculis poſt ſe, quoſve ſit habiturus *natos natorum & qui naſcentur ab illis.* Et ſecundam de Groenlandia relationem meditabatur Vir iſte, dum delirabat Groenlandos, verbi gratiâ, non eſſe Adamitas, eó quod Adamo

Adamo & Noæ, vel Abrahamo, Iſaaco ac Jacobo, aut duodecim Patriarchis cogniti non fuerint. Et cùm agat Moſes de abductione Iſraelitarum cum ſuo Rege ad eam gentem in cujus medio idolorum cultui eſſent vacaturi, & quam, ut eſt in com. 49. è longinquo inſtar *aquilæ* in Iſraelitas Deus eſſet adducturus, non video cur hîc aliò reſpiceremus quam ad Aſſyrios, Chaldæos & Babylonios, quæ gentes tempore Moſis ſatis obſcuræ videntur fuiſſe, & cum qubus Patriarchis duodecim nihil commercii fuerat; ſi modò eventum hujus vaticinii ex Hiſtoria ſacra, uti par eſt, velimus repetere. Adhæc ex ſtylo Scripturæ, populus *ignotus* vel *non cognitus* Iſraelitis dicitur, non cujus originem planè neſciviſſent vel de quo nihil fando audiviſſent, ſed qui ipſis exterus foret & à Dei fœdere alienus: quo ſenſu in populis vicinis per Davidem ſub jugum miſſis, impletum eſt illud ipſius, *Populus*

pulus quem non cognovi ſervivit mihi, etſi in Groenlandiam nullam claſſem miſerit. Uno verbo à non noſſe Judæorum hanc vel illam gentem, ad illam non eſſe ex progenie Adamica non magis apud me procedit argumentum, quam ſi à contrario ſic urgerem Præadamitam, Noverunt Iſraelitæ Ægyptios & Phœnices & Philiſtęos & Gręcos & Samaritanos, ergo hi omnes populi Adamitæ fuerunt.

17. Profert *ibidem* locum Gen: XVII, 12. & 17. ubi mandatur Abrahamo circumciſio tam *vernaculi* quam *emptitii*, & omnis qui, inquit Deus, *non fuerit de ſtirpe veſtra*: unde omnes viri domus illius *tam vernaculi quam emptitii & alienigenæ pariter circumciſi ſunt*: Vult igitur hos emptitios & alienigenas, *qui non erant de ſtirpe Abrahâmi*, non fuiſſe *de genere Adami*, *quæ ſtirps Abrahami erat*; ſed *vernaculos* fuiſſe Abrahami *domeſticos populares & eodem genere Adamico atque ille oriundos*. Equidem

dem in lege circumciſionis promulgata Abrahamo ac omnibus Iſraelitis in ipſo, comprehenduntur duo genera hominum; primum liberi omnes, qui forent ex eorum ſtirpe, ſive ut habet textus originalis, *ex ſemine* ipſorum; deinde ſervi omnes, non ſolum domi nati & vernæ, ſed etiam recens acquiſiti & emptitii; Sed primùm hîc non poteſt ſpectari ſtirps Adamitica, ſed tantum ſtirps Abrahamitica & Iſraelitica; Nec enim ſtirps circumcidendorum in illa lege repeti poteſt altiùs quam ab eo qui illam legem prior accepit, vel latiùs diffundi quam ad illos qui ex eo juxta Dei promiſſionem erant ſeminaliter orituri; Nam ſi debuiſſet Abraham circumcidere quotquot ex ſua ſtirpe fuiſſent per lineam aſcendentem, aut collateralem ab Adami tempore, duram ſuſtinuiſſet provinciam, et quam exequi ei impoſſibile fuiſſet; & tota ſeries textus Moſaici oſtendit, neminem habitum fuiſſe

fuiſſe ex ſtirpe Abrahami in circumciſione præter ipſius filios. Secundò ita ſervorum circumcidendorum, duo proponuntur ordines; nam alii vernæ ſunt, alii emptitii; Vernæ autem, ut docent ICti, ſunt ſervi domi noſtræ nati ex ancillis noſtris; (partus enim, uti notum, ventrem ſequitur;) ut nec vernaculos Abrahami debeas ſomniare ſic dictos, quod fuerint ejus domeſtici populares & ex ipſius cognatione; nec exiſtimare emptitios alterius quam Adamiticæ ſtirpis fuiſſe. Nec te fallat quod videatur V. V. emptitios illos ſervos *alienigenas* facere. Nam juxta veritatem Hebraicam, non tam ipſi emptitii dicuntur alienigenę, quam empti ex alienigenis, qui incircumciſi cúm eſſent, non alios ſervos vęnales habebant quam præputiatos. Nam ſervus emptitius, ſive acquiſitus, dicitur Moſi com. 12. verbo ad verbum, ut reddit Junius, *Emptus pecuniâ de quibuſcunque alienigenis*, מכל בן־נכר

A a *Micol*

Micol Ben necar, *ab omni filio alienigeno*; & ſimiliter dicitur com. 21. *Emptus pecuniâ* מאת בן־נכר *Meeth Ben necar*, *à filio alienigeno*: Sed etſi ſervus emptitius diceretur *alienigena* per oppoſitionem ad vernam qui domi natus eſt, prout hic Hebraicè dicitur יליד בית *Ielid Baith*, *natus domi*, id non faceret ſervos Abrahami & Iſraelitarum alios Adamitas, alios Præadamitas, ſed alios vernas & domi ſuæ natos ex eorum ancillis, prout in expeditione Abrahami pro Lotho liberando armati leguntur ab ipſo vernæ *domi ſuæ* nati trecenti & octodecim Gen: xiv, 14. & alios alienigenas ſive alibi natos; utroſque tamen diſtinctos à filiis & liberis Iſraelitarum qui erant ſtirpis ſuę, ſive, ut habet Moſes, ex ſemine ſuo, ideſt ab ipſiſmet progeniti.

18. Cæteroquin notius eſt quam ut debeat fusè explicari *ſtirpem* proponi inter homines, vel propiorem & magis particularem, vel remotam & commu-

communem: Hanc ſi conſideremus, ſervi Abrahami erant per Noam & Adamum ejuſdem ſtirpis cum ipſo; Illius verò reſpectu, erant ipſi exteri & alienigenæ: Soli Sacerdotes erant *ſtirpis*, vel *de ſtirpe Aaronis*, ut loquitur frequenter Scriptura Levit. VI, 18. XXI, 15 XXII, 3. Qui tamen ex Judæis non erant Sacerdotes non ideo negabantur eſſe de ſtirpe Iſraelis, aut Abrahami. Imo ut *ſtirps Iſraelis* ceu communior commemoratur Num: XXIII, 10. ita celebrantur ut ſpecialiores ſub illa, *ſtirps Aaron* locis jam citatis, *ſtirps* Judæ vel *Aminadab* Num: II, 4. *ſtirps Ruben* Num: XXVI, 7. *ſtirps Simeon* Num: XXVI, 14. *ſtirps filiorum Ioſephi* Num: XXXVI, I. *ſtirps Levitica* Joſ: III, 3. *ſtirps Danis* Jud: XIII, 2. *ſtirps Davidis* Ier: XIII, 13. & multæ aliæ adhuc magis particulares. Ut autem qui non erant de ſtirpe particulari Davidis inter Iudæos, non deſinebant eſſe de ſtirpe communiori Iſraelis, ita qui

inter homines non erant de ſtirpe partiali Abrahami, vel Iſraelis, ſed ipſis exteri & alienigenæ, non ideo deſinebant eſſe de ſtirpe univerſali & communi Adami & Noæ. Et quî miremur partiales & diſtinctas ſtirpes conſtitui in Adamico genere ſub communiſſima ſtirpe, cùm etiam in privata qualibet familia, interdum ita diſtinctæ ſtirpes conſiderentur, ut qui ſunt unius ſtirpis, alios ceu alienigenas habeant & excludant? Patet quod dico ex *l. 2. C. de ſuis & legit. liberis*, ubi Imperatores ita loquuntur; *Nepotes ex diverſis filiis varii numeri avo ſuccedentes ab inteſtato, non pro virilibus portionibus, ſed ex ſtirpibus ſuccedunt.* Unde diverſitas ſucceſſionis in capita vel in ſtirpes in Iure notiſſima.

19. Atqui hæc obſervatio ſufficit etiam evertendæ alteri objectioni, in qua non minus ſibi plaudit Prȩadamita *ibid.* ab eo deſumptȩ quod frequenter Gentiles dicantur *exteri*, *alieni*, *allophyli*,

allophyli, peregrini, advenæ, generis non Iſraelitici, nec fratres Iſraelis; Nam tales cenſebantur Gentiles ad Iſraelitas quoad ſtirpem propiorem, Iudaicam, non verò quoad remotiorem & communiorem Noachi vel Adami. Ita qui ſunt populares & ſubditi ejuſdem Regni, poſſunt cenſeri exteri & peregrini in aliqua Regni urbe, comparatè ad illius urbis cives; & qui ſunt cives ejuſdem urbis, poſſunt tamen pro exteris haberi, in hac vel illa familia. Ipſe Præadamita, ſtirpem communem ex parte matris, uti loquitur, nempe terræ aſſignat omnibus, cur ergo eam ipſis denegat ex parte patris? Igitur quod *non numerati ſunt Gentiles inter fratres Iudæorum*, non ideo factum eſt, ut nugatur, quod eſſent *diverſi à genere Adamico*, ſed quod eſſent diverſi à genere Iſraelitico, & illo reſpectu *alienigenæ, advenæ & peregrini*. Nam ſic Rubenitæ erant peregrini & alienigenę reſpectu generis & ſtem-

matis Sacerdotalis in Iſraele, quamvis de eodem genere Jſraelitico eſſent cum Sacerdotibus & Levitis. Igitur etſi Gentiles ut docet Paulus Eph: 11. 11. fuerint *abalienati à ſtatu civili Iſraelis*, nec illius Reip. cives vel membra haberentur, *etſi extranei eſſent quoad pactorum promiſſiones*, quę tamdiu intra Iudaicæ gentis cancellos coarctabantur, retinebant tamen id commune cum Iſraelitis, quod eſſent homines, & per conſequens, licet alterius proſapię quam Abrahamiticæ vel Iſraeliticę, non tamen alterius quam Adamiticæ.

20. At, inquit iterum *ibid. Gentilium & populorum omnium ſtirps & origo prima confuſa & incognita eſt, quod à principio incognito & à ſæculis innumerabilibus Aborigines creati in terris omnibus, increſcente propagationis luxurie qua alii ſuper alios truſi & retruſi ſunt, necnon multiplici compoſitione quâ invicem permiſti & concreti ſunt, ortus ſui primi notitias conturba-*

turbaverunt. At quid tale Iudæis non accidit; Illorum etenim propria & certa conſtituitur origo & ſtirps in Adamo, à principio cognito, neque uſque adeo longè petito, continuâ itidem à Gentilibus ſeparationis ſerie adhuc uſque tempora derivato. Verùm primò falſum eſt univerſaliter loquendo Gentilium ſtirpem & originem primam eſſe penitus confuſam & incognitam: Nam plerarumque omnium gentium ſtirps & origo prima poſt Diluvium luculenter deſcribitur à Moſe Gen. 10. Tum hîc committitur Sophiſma à non cauſa ut cauſa: Nam vera cauſa ignotæ extra Moſem originis aliorum populorum, cognitæ verò Iudæorum, non eſt quod illi ſint multo antiquiores iſtis; cùm in communi ſtirpe non minus incœperit populus uterque, Gentilis & Iudæus, quam ex communi ſtirpe pependerunt Ammonitæ & Moabitæ, Eſavitæ & Iſraelitæ; Sed ideo perpetua & certa manſit cognitio originis Iudæorum,

non cœterorum, quod in gente Iſraelitica, ex ſpeciali beneficio & revelatione Divina ac ſecretione in Dei populum, remanſit notitia certa & diſtincta primæ omnium rerum originis, hiſtoriæ Diluvii, diſperſionis populorum poſt illud, & ſucceſſionis continuatæ ab Abrahamo ad Meſſiam ex cujus ſemine fuerat oriturus. Cùm è contrario in aliis gentibus ſemper defuerit 1. Character conſtans & ſpecialis continuatæ ab initio ejuſdem Religionis, quo ſecreti & immixti permanſerunt Iudęi ab aliis. 2. Authentica & divinitùs continuata Hiſtoria rerum apud ſe geſtarum ab initio, quę nulli alii genti quam Iſraeliticę competiit. Ne dicam, quod aliàs obſervavi, cœteras omnes gentes in linguarum confuſione, ſolâ Heberi familiâ exceptâ, ex qua Iſraelitæ ſunt propagati, oblitas fuiſſe ut prioris linguæ, ita etiam rerum ante ſe geſtarum ex quibus veram ſuam originem po-
tuiſſent

tuiſſent intelligere. Certè non ſunt ideo Nobilium familiæ recentiores Plebeiis, quod ſuas Genealogias habeant longè acuratiores & certiores atque per certa & publica documenta conteſtatas. Et mirum eſt non videri huic homini ita longè petitum principium quod ab Adamo repetitur, cùm rerum multo recentiorum hiſtoriæ, propter antiquitatem, nobis ſint obſcuriſſimæ & incertiſſimæ.

21 At, inquit *ibid.* Idumæi fuerunt *fratres* Iudæorum Num: xx, 14. Deut: xxiii, 7. & per conſequens *Iſmaelitæ, quâ, ratione ſemen Abrahæ dicuntur* Gen: xxi, 13. atque idem reputandum *de Ammonitis & de Moabitis*; imo & *de filiis Cain & de filiis Cham*; de quibus *notum eſſe debet generis hujus Iudæos nuſquam in alienigenas & Gentiles, ſed in Iudæos & in fratres Iudæorum reputatos*; quod *eadem ſtirpe & eodem Adamo* orti fuerint cum Iudæis: Gentiles verò nuſquam pro fratribus Iudæorum habentur.

Imò verò ſuprà monuimus utrumque populum, Iudæum & Gentilem, proponi nobis à Chriſto in Euangelio ſub imagine duorum fratrum, ejuſdem planè ſtirpis & originis. Nec ſui memor eſt Præadamita: Nam alibi Ægyptios Præadamitas ſtatuit & eorum profundas laudat Antiquitates; at ſi filii Cham Adamitæ debent ſtatui, & per Adamum fratres Iudæorum, deſinent Ægyptii eſſe Præadamitæ, cùm filios Chami eſſe Ægyptios univerſa doceat Scriptura, Pſalm: LXXVIII, 51. CV, 23. 27. CVI, 22. Quod ſi filios Chami, imò Caini, ac reliquos hîc nominatos pro Judæis genuinis velis obtrudere Synagogis Iudæorum quibus tuas næniás inſcripſiſti, fies ſtatim ἀποσυνάγωγος: Nuſquam Iſmaelitæ appellantur fratres Iſraelis, quos certum excluſos fuiſſe à benedictione ſpeciali & fœdere Dei Gal: IV, 29. 30. 31. Imò Iſmaelitæ ſive Mahumetani in hunc uſque diem magis oderunt

runt Iudæos quam alios. Multo minus Moabitæ & Hammonitæ, Lothi proles ex inceſto cum ſuis filiabus concubitu, uſpiam fratrum loco habentur ab Iſraelitis. Quin Lege Moſaicâ arcentur nominatim à congregatione Domini in decimam uſque generationem Deut: XXIII, 3. Et quamvis fraterno affectu, quoad politica, olim voluerit Iſrael agere cum Idumęis, quoniam Iacob & Edom ſive Eſau fratres gemini fuerant, tamen poſtea non minus Idumæi quam Moabitæ publicis hoſtibus Judęorum ſunt annumerati, & tanquam allophyli & peregrini habiti. Videantur loca Pſalm LX, 10, 11. CVIII, 10. CXXXVII, 7. Et ſuprà viſum quomodo Iudæi Romanos & Chriſtianos, quos ſub communi nomine Gentilium comprehendunt, ſpeciatim tanquam *Idumæos* deteſtentur. Nemo quoque neſcit Herodem magnum paſſim dici ἀλλόφυλον & alienigenam & pro tali conſtanter habi-

tum apud Veteres; jam verò pater ejus Antipater erat Idumæus gente, licet religione Iudæus & proſelytus; Et ſanè cùm Idumæi ubi ſacra Iudaica amplectebantur, deberent fieri *proſelyti juſtitiæ*, eo ipſo peregrinorum & advenarum loco, non fratrum, habebantur. Nam *proſelyti* omnes tam *juſtitiæ* quam domicilii tantum, גרים *Gerim*, id eſt, *alienigenæ & peregrini* appellabantur, originis ſuæ ratione, etſi civitate Iudaicâ per ſuum proſelytiſmum donarentur. Retorqueo igitur hoc argumentum Præadamitæ in ipſius crura; Nam ſi illi populi, quos conſtat propagatos ex Adamo & communiori ſtirpe cum Iſraelitis, fuere tamen ipſis exteri, peregrini, alienigenæ, & planè eodem loco quo cæteræ gentes, perperam ex eo quod Gentiles tales cenſentur Iſraelitis, colligitur eas ergo alterius ſtirpis quam Adamiticæ eſſe reputandas.

22. His immorari diutiùs nihil attinet,

tinet, cùm ſint futiliſſima; Sed palmarium Viri Docti argumentum extat *lib. 2. Syſt. cap. 5. & 6.* Nam vult Gentiles in Iudæis *adoptatos* imò *inſitos*, ac proinde oſtendi *genere & origine* diverſos à Iudæis. Id ut explicet, miros profert conceptus: *Genitura Iudæorum myſtica* (inquit *cap. 5.*) *natura quadam fuit myſtica, quâ* Iudæi *naturales tanquam filii habiti ſunt. Quocirca & dicitur Deus portaviſſe illos in utero ſuo & geſtaviſſe in vulva ſua Eſ: 46. Ad quam partem vel ad quem gradum naturæ, quia gentiles neque vocati neque electi ſunt, adoptio illis conceſſa fuit, quæ imitatio naturæ eſt, per quam adoptati in Iudæorum familiam Iudæorum filii habiti ſunt, non ſecundum carnem & naturam, ſed ſecundum adoptionem illam quæ electione myſticâ perficitur; Electione inquam eadem quâ Iudæi filii Dei ſunt gradu naturæ primo, quâque gentiles adoptati in Iudæis, filii etiam Dei dicuntur; ſed quia ſecundo adoptionis gradu veniunt, quâ adoptivi tantum dicuntur & reputantur*

tum apud Veteres; jam verò pater ejus Antipater erat Idumæus gente, licet religione Iudæus & proſelytus; Et ſanè cùm Idumæi ubi ſacra Iudaica amplectebantur, deberent fieri *proſelyti juſtitiæ*, eo ipſo peregrinorum & advenarum loco, non fratrum, habebantur. Nam *proſelyti* omnes tam *juſtitiæ* quam domicilii tantum, גרים *Gerim*, id eſt, *alienigenæ & peregrini* appellabantur, originis ſuæ ratione, etſi civitate Iudaicâ per ſuum proſelytiſmum donarentur. Retorqueo igitur hoc argumentum Præadamitæ in ipſius orura; Nam ſi illi populi, quos conſtat propagatos ex Adamo & communiori ſtirpe cum Iſraelitis, fuere tamen ipſis exteri, peregrini, alienigenæ, & planè eodem loco quo cæteræ gentes, perperam ex eo quod Gentiles tales cenſentur Iſraelitis, colligitur eas ergo alterius ſtirpis quam Adamiticæ eſſe reputandas.

22. His immorari diutiùs nihil attinet,

tinet, cùm ſint futiliſſima; Sed palmarium Viri Docti argumentum extat *lib. 2. Syſt. cap. 5. & 6.* Nam vult Gentiles in Iudæis *adoptatos* imò *inſitos*, ac proinde oſtendi *genere & origine* diverſos à Iudæis. Id ut explicet, miros profert conceptus: *Genitura Iudaeorum myſtica* (inquit *cap. 5.*) *natura quædam fuit myſtica, quâ Iudæi naturales tanquam filii habiti ſunt. Quocirca & dicitur Deus portaviſſe illos in utero ſuo & geſtaviſſe in vulva ſua Eſ:46. Ad quam partem vel ad quem gradum naturæ, quia gentiles neque vocati neque electi ſunt, adoptio illis conceſſa fuit, quæ imitatio naturæ eſt, per quam adoptati in Iudaeorum familiam Iudaeorum filii habiti ſunt, non ſecundum carnem & naturam, ſed ſecundum adoptionem illam quæ electione myſticâ perficitur; Electione inquam eadem quâ Iudæi filii Dei ſunt gradu naturæ primo, quâque gentiles adoptati in Iudæis, filii etiam Dei dicuntur; ſed quia ſecundo adoptionis gradu veniunt, quâ adoptivi tantum dicuntur & re-*
 putantur

putantur filii. Quo ſenſu intelligendus eſt D. Paulus Epheſ:1. ubi ait Deum prædeſtinaviſſe ſive elegiſſe Gentiles in adoptionem filiorum Dei, ideſt Iudæorum. Quibus multa alia æquè inficeta addit de adoptione; quod *natura & adoptio faciant filios, natura veros adoptio fictitios;* quod adoptio *gentem mutet, quod fictionis & imitationis eſt, genus verò non mutet, quod naturæ & veritatis eſt;* quod adoptio *filios faciat, ſed non faciat ex libertis ingenuos, vel ex ſervis liberos;* quod tamen in adoptione myſtica illius *virtute natura gentilium vertatur in naturam ipſam Iudæorum; quod imitatio naturæ quæ in adoptione civili eſt, natura ipſa ſit in adoptione myſtica; quod veritatis cujus imaginem fictio juris præfert myſterio adoptionis reipſâ generetur, &c.* Urget quoque *cap. 6.* inſitionem commemoratam Rom:xi. eamque *contra naturam, quia gentiles diverſi origine à Iudæis contra naturam ſui generis, oleaſter in olea ingenua inſiti ſunt.* Vult autem *gentiles annoſiſſimis*

&

& multo vetuſtiores Iudæis *creatione*, eſſe tamen *electione myſticâ juniores*, inſtar Eſau *qui natura Iacobo major natu, Electione minor fuit.* Summa autem argumenti ſui huc redit; *Gentiles origine & genere diverſos à Iudæis inducere erit, tum ex illorum adpotione, tum ex eorundem in Iudæis inſitione. Adoptio enim extranearum familiarum eſt; Arborum autem diverſi generis hæc in illa inſeritur.*

23. Illi ſanè rei non auſpicavi hodie, ut omnes abſurditates horum conceptuum ſigillatim refutem. Quis enim unquam audivit Electionis myſticæ duos gradus, alterum pro Judæis ad filiationem naturalem, alterum pro Gentilibus ad adoptivam? Ubi docet Scriptura, Judæos per Electionem myſticam habitos Dei filios non *ſecundum adoptionem*, ſed *ſecundum carnem & naturam?* Quid abſurdius quam vel Deum *matrem* fingere Judęorum ex loco Eſ: XLVI, 3. vel inde ipſorum neſcio quam genituram myſtico-naturalem.

lem, ex Dei *utero* & *vulva* tribuere? Cùm textus originalis nec uterum nec vulvam tribuat Deo, ut malè facit V. V. ſed dicat tantum, Deum geſtaſſe, bajulaſſe Iacobum, curam ſuſtinuiſſe illius, ideſt populi ſui, ab utero ejus & à vulva, מִּבֶּטֶן מִנִּי רָחַם מני בטם מני רחם *Minni Betem, Minni racham*, ideſt ab ipſius incunabulis, prout com. 4. promittit ſe porrò eum portaturum uſque *ad ſenectam* & uſque *ad canitiem*. Videatur Pſal: XXII, 11. ubi loquutione planè ſimili dicit Pſaltes ſe rejectum fuiſſe in Deum *ex vulva*, & Dominum, Deum ſuum fuiſſe *ab utero matris ſuæ*. Quid iniquius quàm Judæis heri ac nudius tertiùs natis in opinione iſtius hominis, Præadamitas, infinitis ſæculis vetuſtiores primâ illorum ſtirpe, Adamo nempe, facere *juniores* quoad Electionem myſticam, quæ cum diſtinguatur in Theologiâ ipſius ab æterna, debet utique factâ fuiſſe in tempore, nec potuerint myſticè

ſticè eligi in tempore poſt Judæos Præadamitæ, qui jamdiu cùm Judæi eligerentur deſierant eſſe? Non favet autem huic chimeręę exemplum Eſavi, qui licet major natu ſuo fratre, in Dei tamen judicio eodem actu & tempore fuit reprobatus quo hic electus, ut nec *junior*, nec *minor* electione ſtatui poſſit:. Et cùm juxta multos in hoc myſterio, Eſau primogenitus Judęorum Iacob Gentilium quendam typum ſuſtinuerint, non ſolum id myſterium nequit adaptari Præadamitis & Poſtadamitis, ſed etiam funditùs evertit hujus hominis cauſam; Nam ſi inter duos iſtos fratres myſticos, Eſau primogenitus eſt Judaicus, poſtgenitus Iacob populus Gentilis, prout Chriſtus Servator in Evangelio, ſemper Judæum intelligit per majorem natu, Gentilem per minorem, aut origine phyſicâ debent, ut Eſau & Iacob, ex eadem ſtirpe communi derivari, aut ſi diverſæ ſint ſtirpis, Judæus

dæus ex Adamo natus, quà primogenitus, erit antiquior & ſenior Gentili, qui per conſequens ex Præadamitis derivari non poteſt.

24. Verùm hîc cœteris miſſis ſufficiat tria obſervaſſe; Primò non magis nec aliter aliove titulo Judęos filios Dei poſſe ſtatui quam Gentiles; Secundò falsò ſupponi Gentiles in Judæis vel adoptatos vel inſitos fuiſſe; Tertiò ex Gentilium adoptione & inſitione nullâ ratione ſequi eos ſtirpis Adamiticę non eſſe. Primum quod attinet, duplici titulo potuerunt Judæi cenſeri filii Dei, Naturę & Gratię: Naturę, quoad originem in terra per creationem; Gratiæ quoad ſpem & hæreditatem cœli per regenerationem; Priori modo ſunt omnes homines pariliter filii Dei, ſive, ut loquitur Scriptura, *genus Dei*, jure creationis: nihil in eo poteſt concipi pręrogativæ Judæi prę Græco; Poſteriori, filiatio per Gratiam æqualis eſt & eadem omnium

credentium, tam Iudæorum quam Gentilium: Axioma enim eſt generale quod extat Joh: 1, 12. *Quotquot eum exceperunt dedit eis hoc jus ut Filii Dei ſint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus*; item Rom: VIII, 14. *Quotquot Spiritu Dei aguntur ii ſunt filii Dei*. Ac ſicut Gentiles ſunt facti filii Dei per *adoptionem* gratuitam Eph: 1, 5. Rom: VIII, 15. ita non alio titulo Judæi filii Dei potuerunt cenſeri ad hæreditatem cœleſtem, quam ejuſdem gratuitæ adoptionis in Chriſto Ieſu, ceu *primogenito inter multos fratres* Rom: VIII, 29. Etenim erant Judæi, æquè ac cœteri, teſte Paulo Eph: II, 3. *naturá filii iræ*, prout primæva eorum corruptio fuſé deſcribitur Ezech: XVI, 3.4. nec aliter quam per adoptionem indebitam, ex filiis iræ facti ſunt filii Dei, prout diſertè Paulus Rom: IX, 4. eorum referens privilegia dicit quod eorum ſit υἱοθεσία, *adoptio filiorum & gloria*. Et quamvis Judæi ordine temporis prius quam Gentiles adoptati

adoptati ſint in Dei filios & populum, tamen auſim dicere, quod ſi quid ſit differentiæ conſtituendum inter adoptionem utramq;, Judaica deprehendetur multum infra Chriſtianam ſubſidere, tantum abeſt ut propiore ad huc gradu quam nos, Judæi Deum contigiſſe ſtatui poſſint: Nam *Spiritus* quo ducebantur Judæi, comparatè ad eum quo donantur fideles Chriſtiani, erat ſuo ſenſu Spiritus *ſervitutis ad metum* Rom: VIII, 15. eò quod *hæres quamdiu infans eſt nihil differt à ſervo, quamvis ſit dominus omnium* Gal: IV, 1. cùm Chriſtiani acceperint *Spiritum adoptionis per quem clamant Abba Pater* Rom: VIII, 15. Gal: IV, 4. Hinc fit quod rariſſimè in Veteri Teſtamento, pii *Filii* Dei dicuntur, rariſſimè Deus ab ipſis tanquam *Pater* compellatur; Nam ut in illa infantia non differebant à ſervis, ita multo rigidiùs & ſerviliùs quã nunc habebantur, ut Deum potiùs tanquam Herum ſeverum

quam

quam ut benignum & miſericordem Patrem reſpicerent, prout jure Thalmudico non licebat ſervo ſuum Dominum Patrem ſalutare aut in Patrem adoptare, & etiamnum hodie multis in locis ubi ſub rigidiori diſciplina infantes & ephœbi continentur, Parentes ſuos non tam Patrum quam Dominorum ſuorum nomine docentur ſalutare: At ſub novo Fœdere Gentilibus omnibus ad illud evocatis[1], jus factum eſt clamandi Abba Pater & invocandi Patrem noſtrum qui eſt in cœlis.

25. Quoad ſecundum, Gentiles beneficio Euangelii ad Chriſti communionem evocati, ſunt adoptati, non *in Iudæis*, cùm è contrario reſecti ſint Judæi, rejecti & abdicati, ut illi adoptarentur & in eorum locum ſuccederent; ſed in Chriſto Dei Filio unigenito, ex quo *πᾶσα πατρία in cœlo & in terra nominatur* Eph: III, 17. neque in *Iudæos*, ſed in Dei filios, ut ſint *hæredes*

redes

adoptati ſint in Dei filios & populum, tamen auſim dicere, quod ſi quid ſit differentiæ conſtituendum inter adoptionem utramq;, Judaica deprehendetur multum infra Chriſtianam ſubſidere, tantum abeſt ut propiore ad huc gradu quam nos, Judæi Deum contigiſſe ſtatui poſſint: Nam *Spiritus* quo ducebantur Judæi, comparatè ad eum quo donantur fideles Chriſtiani, erat ſuo ſenſu Spiritus *ſervitutis ad metum* Rom: VIII, 15. eò quod *hæres quamdiu infans eſt nihil differt à ſervo, quamvis ſit dominus omnium* Gal: IV, 1. cùm Chriſtiani acceperint *Spiritum adoptionis per quem clamant Abba Pater* Rom: VIII, 15. Gal: IV, 4. Hinc fit quod rariſſimè in Veteri Teſtamento, pii *Filii* Dei dicuntur, rariſſimè Deus ab ipſis tanquam *Pater* compellatur; Nam ut in illa infantia non differebant à ſervis, ita multo rigidiùs & ſerviliùs quã nunc habebantur; ut Deum potiùs tanquam Herum ſeverum

quam

quam ut benignum & miſericordem Patrem reſpicerent, prout jure Thalmudico non licebat ſervo ſuum Dominum Patrem ſalutare aut in Patrem adoptare, & etiamnum hodie multis in locis ubi ſub rigi diori diſciplina infantes & ephœbi continentur, Parentes ſuos non tam Patrum quam Dominorum ſuorum nomine docentur ſalutare : At ſub novo Fœdere Gentilibus omnibus ad illud evocatis, jus factum eſt clamandi Abba Pater & invocandi Patrem noſtrum qui eſt in cœlis.

25. Quoad ſecundum, Gentiles beneficio Euangelii ad Chriſti communionem evocati, ſunt adoptati, non *in Iudæis*, cùm è contrario reſecti ſint Judæi, rejecti & abdicati, ut illi adoptarentur & in eorum locum ſuccederent ; ſed in Chriſto Dei Filio unigenito, ex quo πᾶσα πατρία *in cœlo & in terra nominatur* Eph: III, 17. neque in *Iudæos*, ſed in Dei filios, ut ſint *hæ*-

redes

redes quidem Dei cohæredes autem Chriſti Rom: VIII, 17. & cum veris Judæis & genuinis Abrahami filiis, *concives Sanctorum ac domeſtici Dei* Eph: II, 19. Nam *utrique habemus per* Chriſtum *aditum per unum Spiritum ad Patrem* Eph: II, 18. Stante priori Tabernaculo, qui fiebant *proſelyti Iuſtitiæ* per circumciſionem, lotionem & oblationem, inſerebantur Reip. Judaicæ & in Judæos adoptabantur; ſed ſublato pariete intergerino, qui ex Gentilibus convertuntur ad Deum inſeruntur Eccleſiæ Dei, in qua Judæi & Græci nullum eſt diſcrimen Gal: III, 28. & in Dei filios accuratè loquendo adoptantur: Quamvis non negem poſſe eos ſano ſenſu dici quoq; adoptatos in filios Abrahami, quatenus & ipſe Pater eſt omnium credentium & in ipſius ſemine, nempe Chriſto, benedicuntur omnes gentes. Ac ſicut nuſquam leguntur Gentiles *adoptati in Iudæis*, ita etiam nuſquam dicuntur *inſiti* in illis, ſed in Chriſto,

Chriſto, ut cum *eo plantati coaleſcant in ſimilitudinem mortis ejus* Rom: VI, 5. Quin tantum abeſt ut in Judæis inſiti ſint Gentiles ſub N. F. ad Chriſtum adducti, ut è contrario, Judæi ſint defracti per ſuam incredulitatem quò Gentiles eorum loco inſererentur Rom: XI, 17. Olea hæc Paulo commemorata, non eſt gens Judaica, ſed Fœdus Dei cum Abrahamo pactum & ratum in Chriſto; ejus rami *naturales* cenſentur fuiſſe Judæi, quia naturaliter ex Abrahamo, qui promiſſiones acceperat ſibi & ſemini ſuo, ſunt propagati, & Chriſtus ex illis eſt ſecundum carnem: populus Gentilis huic oleæ inſitus, ideſt ad Fœderis beneficia & benedictionem in Chriſto gratuitò evocatus, comparatè ad Judæos, naturales Abrahami ramos, erat *oleaſter*; quoniam extraneus quoad pactorum promiſſiones Eph: II, 12. In hac tamen inſitione aliquid diverſum obtinuit ab ea quâ vulgò utimur in hortis noſtris,

ſtris: nam taleis & truncis ſylveſtribus ut miteſcant & novam indolem conſequantur inſerimus ſurculos ſive clavolas ex ingenuis ac generoſioribus arboribus; ſed è contrario, ſurculi ſylveſtres huic oleæ frugiferæ inoculantur, ut illius indolem induant, & ſuam priorem feritatem deponant.

26. Quantum ad tertium, facile nunc eſt intelligere, quam abſurde ex adoptione Gentilium in Dei filios & inſitione eorum in Dei fœdus, colligat Præadamita, Gentiles ita *origine & genere* diverſos eſſe à Judæis, ut ex alio quam Adamo propagati fuerint. Nam primò etſi concedam lubens Gentiles *origine & genere* diverſos à Judæis, quoad propiorem & contractiorem Judæorum ſtirpem quæ in Abrahamo, (quanquam, ut ſuprà notavi, multi ex Abrahamo & Iſaaco propagati naturaliter fuerint, qui ſemper pro alienigenis & peregrinis Iſraelitis ſunt habiti;) nego tamen diverſos quoad

remo-

remotiorem & communiorem ſtirpem, Noam videlicet, Sethum & Adamum: Sic poſteri Davidis origine & genere diverſi erant à Sacerdotibus Leviticis, quoad ſtirpes contractiores utrorumque, illorum in Juda, horum in Levi; non tamen quoad communem utriuſque tribus ſtirpem in Iſraele. Præterea ad ſummum non dicerentur Gentiles ſuâ vocatione ad fœderis Divini communionem & fidem in Chriſtum, inſiti in familia Adami aut adoptati in Adami filios; ſed tantum inſiti in familia Abrahami; ut pari jure & loco cenſerentur cum naturalibus ipſius filiis, & adoptati in ejus filios per fidem, quo ſenſu Pater omnium credentium ſtatuitur; Iam verò non ſequitur Gentiles ſunt extranei & genere diverſi à Judæis, quatenus ab Abrahamo ſunt geniti, ergo ſunt quoque extranei & origine & genere diverſi ab illis, quatenus ab Adamo ſunt progeniti: Adhæc nec in

Judæos, nec in Judæorum filios, ſed in Dei filios ſunt adoptati, quo ſenſu revera adoptio eſt perſonę *extraneæ*, cùm procul poſiti ab hoc beneficio eſſent & naturâ filii iræ. Denique etſi ſe habuerint Judæi & Gentiles per reſpectum ad Dei fœdus pactum in Abrahamo, ut rami *naturales oleæ* ſativæ & *adventitii ex oleaſtro* deſumpti, adeoque ut arbores *diverſi generis* in genere morum, ut vulgo loquimur, ſive quantum ad jus morale circa Dei benedictionem & fœdus, tamen nunquam probabitur eos conſiderandos ut arbores *diverſi generis* in genere entis, & quantum ad ſuam phyſicam & naturalem propagationem ex Adamo. Iſaac & Iſmael in familia communi Abrahami, Iacob & Eſau in familia Iſaaci, ſe habebant ut *rami diverſi generis* quoad jus morale hæreditatis cernendæ & benedictionis conſequendæ; nam Iſmael non crevit hæreditatem Abrahami cum Iſaaco, nec benedictio-

ctionem Iſaaci Eſau cum Iacobo, tamen ex eadem ſtirpe phyſicè loquendo erant propagati. Iſraelitæ, Iſmaëlitæ, Idumæi, erant rami diverſi planè generis per reſpectum moralem ad Dei fœdus, à quo excluſi erant Iſmaelitæ & Idumæi, licet ex communi Abrahami ſtirpe quoad phyſicam propagationem eſſent oriundi. Danitæ & Levitę erant rami arborum diverſi planè generis quoad jus Sacerdotii exercendi, licet cæteroquin fratres eſſent & ejuſdem ſtirpis phyſicæ, per Iſraelem: Sunt moraliter rami *diverſi generis* in familiis hominum filii naturales & legitimi, etſi ſint phyſicè ejuſdem ſtirpis: Agnati quoque & Cognati, ſunt rami diverſi generis Iuridicè & moraliter loquendo, ut-ut phyſicè & naturaliter ad eandem ſtirpem pertineant. Quare nihil obſtat quominus Gentiles & Iudæi ex eadem ſtirpe Adamica ſint naturaliter propagati, licet tanquam

rami diverſi generis, nec minus inter ſe diſcrepantes quam rami oleæ ſativæ à ramis oleaſtri, veniant conſiderandi reſpectu fœderis cum Abrahamo pacti & ſanciti. Unde concludo oleum & operam luſiſſe Præadamitam ac ſibi & Lectoribus ſuis illuſiſſe, cùm ex jugi diſtinctione inter Iudæos & Gentiles ac utrorumq; comparatione circa Dei fœdus, cujus Iudæi ante Gentiles participes fuêre, voluit colligere Iudæos ſolos ex Adamo, Gentiles omnes ex ſuis imaginariis Præadamitis eſſe oriundos; quod probandum ſuſceperam.

QVÆ-

QVÆRITVR

Septimò An Noæ Diluvium fuerit univerſale? Aff.

QUemadmodum Veritates Catholicæ & Salutares eo nexu inter ſe cohærent ut ſe mutuo tueantur, ſic viceverſa ea eſt erroris natura, in ſacris præſertim, ut ſua pedamenta & fulcra non aliunde quam ab aliis erroribus nanciſcatur; tum quia Veritas detrectat ancillari mendacio, tum quia uno abſurdo dato, multo alia plura quibus contegatur ne perpluat ſequi neceſſe eſt. Id obſervare eſt in Præadamitarum Aſſertore, qui plurimas falſas hypotheſes commentus eſt ad hanc ſuam fabulam ſuffulciendam, quas inter & illa eſt quâ negat *Syſt. lib 4. cap 7.8. & 9. Diluvium Noacicum niſi effuſum ſuper univerſum terrarum or-*

bem, & ridiculè admodum pertendit illud ad ſolam *terram Iudæorum* ſpectaſſe, *ut Iudæos perderet non ut omnes homines obrueret.* Quid enim ineptius, quam ad Judęos reſtringere Diluvium, quod ferè 400. annis juxta Calviſium præceſſit natalia Iſraëlis & Judæ, à quibus populus Iſraeliticus & Judaicus ſuam primam denominationem accepit, & 800. annis aut circiter antiquius fuit Exodo, in qua primùm poſteri Iſraelis & Iudæ populum ſpecialem & Remp. ab aliis diſcretam conſtituere cœperunt? Verùm non opus eſt prolixiori refutatione hujus commenti, juxta quod Vir iſte non alios admittit Adami poſteros quam Iudæos, ac ut Præadamitis ſuis locum faciat in orbe, Iudæos & Adamitas ita pro ſynonymis habet, ut hos illis latiùs patere non patiatur: Sanè ſi iidem Iudæi qui Adamitæ omnes, eo ipſo ceſſare debet diſtinctio inter Cananæos, ac ex conſequenti Gentiles omnes

nes, & Iudæos, quamvis Præadamita alibi ex dicto Christi ad mulierem Cananæam Matt: xv, 26. voluerit colligere tantum juxta Scripturas eſſe diſcriminis inter Gentiles & Iudæos, quantum inter beſtias & homines: ſiquidem certum eſt Cananæos, ut ut Iudæis Gentiles, fuiſſe Adamitas, ex Adamo per Noam & Canaan progenitos. Sontica autem eſt illi cauſa Cataclyſmi Noachici univerſalitatem negandi, cùm eâ poſitâ debeant omnes incolæ terræ ex uno Noa, qui Adamita fuit, neceſſariò derivari. Et quamvis negatâ univerſalitate Diluvij, Præadamitę non neceſſariò ponantur, prout memini me apud Rev. & Doctiſſ. Virum D. Andræam Colvium vidiſſe quoddam Manuſcriptum D. Mylij, viri dum viveret non inerúditi, quo ſatagebat rationibus ex Geographia & Sphærica diſciplina deſumptis probare, quaſdam Indiæ partes, & ſi benè recordor nominatim

tractum Sinenſem, non ſenſiſſe Diluvium, adeoque iſthic perrennaſſe nonnullos ex Caini progenie; Repoſitâ tamen in arce narratione Moſaicâ de univerſali Cataclyſmo, ex quo nemo præter Noam cum ſua familia evaſerit, totam Præadamitarum à Iudæis diſtinctorum fabulam tenues in auras evaneſcere neceſſe eſt.

2. Illam autem univerſalitatem Cataclyſmi Noachici tota Scriptura luculentiſſimè comprobat. Primùm enim cauſa duplex adfertur illius, altera generalior, altera ſpecialior; quarum utraque omnes omninò illius ævi homines involuebat: Nam generatim dicitur Gen: VI, 11, 12. quod *corrupta erat terra coram Deo & terra repleta iniquitate, ac omnis caro viam ſuam corruperat ſuper terram*; item com. 5. quod *multa malitia eſſet hominum in terra & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* Quin Ovidius illorum temporum deſcriptionem talem habet,

Vivitur.

Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero; fratrum quoque gratia rara eſt;
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti;
Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.

Speciatim verò obſervatur com. 2. & 4. quod hæc corruptio æquè eos occupaſſet qui *filii Dei* ac illos qui *filii hominum* dicebantur, ſublatâ diſtinctione utrorumque per connubia mutua ex quibus editi Gigantes, qui mole corporis & robore virium feroces, cœlum ipſum ſtultitiâ ſuâ petebant, & pro ſanis ſuis, impiis ac Cyclopicis planè moribus, Deum ipſum bello laceſſebant.

Neve foret terris ſecurior arduus æther,
Affectaſſe ferunt regnum cœleſte Gigantes;

Idque non tam ſaxis & lapidibus grandioribus, quorū meminit Solinus *cap. 14.* quam impietate Titanicâ &

aperto Atheiſmo. Apud Toſtatum *ad cap. 6. Gen. q. 2.* refertur inſuper ex Pſeudo-Methodio, quod jam anno mundi quingenteſimo cœperant homines abuti *uxoribus fratrum ſuorum*, per adulteria frequentia, & quod ſæculo ſexto *mulieres in inſaniam verſæ ſuper gredderentur viris ſuis*: Quouſque libidinis proceſſerint illi primi homines, patet ex Polygamia per ipſos invecta, cujus primum ſpecimen edidit apud Moſem Lamech *ſanguinarius & homicida*, qui *primus unam carnem in duas diviſit uxores*, inquit Hieronymus *lib. 1. contra Iov.* unde ſubdit, *Fratricidiũ & digamiam eadem cataclyſmi delevit pœna; de altero ſepties, de altero ſeptuagies ſepties vindicatum eſt.* Quin ſi Alcorano fides foret adhibenda *Azoara 70.* quæ *de Noa* inſcribitur juxta verſionem Gallicam, licet locum citet Seldenus *Prol. de diis Syris cap. 3.* tanquam ex *Azoara 81.* ad alias eorum temporum corruptelas generales acceſſerat

ceſſerat Idololatria: Nam ibi refertur Deum Noam ſubmiſiſſe ad homines ad meliorem frugem revocandos, ſed hos Patriarchæ admonitionibus parere noluiſſe, & ſibi mutuò dixiſſe, *Ne deſerite Deos veſtros; Ne relinquite Od, Soa, Igour, Iaoc & Neſer*, quæ ſunt nomina Idolorum. Et præterea quod teſte Hieronymo *in quaſt. Heb. plerique Hebreorum arbitrantur* circa dictum Moſis Gen: IV, 26. *quod tunc primum in nomine Domini & in ſimilitudine ejus fabricata ſunt Idola*; Tertullianus *cap. 4. de Idolol.* meminit Idololatrarum ex libris qui Enochi nomen pręferebant, adeoque perſuaſus fuit jam tum id crimen inter cœtera viguiſſe. Prout autem corruptio erat univerſalis victaque jacebat Pietas, non tantum unius gentis, ut fingit Præadamita; cùm nequeat ſi ſapit ſibi perſuadere, imaginariis ſuis Iudæis & Adamitis, reliquos Gentiles & Præadamitas meliores & ſanctiores fuiſſe;

——— Non domus una perire,
Digna fuit, quà terra patet fera regnat
Erynnis,
In facinus juraſſe putes;

Ita Deum indignatum univerſæ ſpeciei *pœnituit quod hominem feciſſet in terra* Gen: VI, 6. unde ſic introducitur loquens com. 7. *Delebo*, inquit, *hominem quem creavi à facie terræ uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cœli; pœnitet me feciſſe eos.*

3. Præterea ſi Diluvium non futurum fuiſſet univerſale, non opus fuiſſet Noæ Arcam grandem ſtruere magno molimine & per tempus diuturnum annorum centum & viginti, in quam ſe reciperet per annum integrum, non ſine grandi incommodo, ab undis & ventis hinc inde miſerè jactandum cum ſuis; nam longè facilius ei fuiſſet ſecedere ex Palæſtina, quam ſolam inundatam nugatur Præadamita, in vicinam Ægyptum, quam idem aſſerit immunem ab hoc Diluvio permanſiſſe,

ſiſſe, itinere minus moleſto quam fuit vel Abrahami ex Chaldæa in Palæſtinam, vel Jacobi ex Palæſtina in Ægyptum tempore famis: Sanè longè veroſimilius eſt Deum indicaturum fuiſſe viro ſancto locum in quem ab imminenti clade ſe reciperet, ſi ullus ab ea futurus fuiſſet immunis in orbe terrarum, ut Tſohar conceſſa fuit Lotho in locum refugii quo tempore igne & ſulphure Sodomæorum & Gomorrhæorum crimina Deus ulciſcebatur, & dantur Eccleſiæ in Apocalypſi alæ aquilinę, quibus in tutum ſe recipiat ab eo grandi aquarum flumine quo Draco rufus eam ſubmergere volebat, quam illum per tam longum tempus, tam incommodæ jactationi exponere: Fruſtra enim fieri per plura quod non tantum æquè commodè, ſed longè faciliùs & commodiùs poteſt fieri per pauciora, vel ipſi pueri norunt: Neque ſolet Deus ad miracula tam immania procedere, ubi ordinaria,

dinaria, faciliora & magis naturalia rei conficiendæ media ſuppetunt. Noluit Chriſtus ſe dejicere deorſum ex pinnaculo, quia gradus ſuppetebant per quos deſcenderet. Nec tantum argumento eſt certiſſimo univerſi terrarum orbis per Diluvium ſubmerſi, quod non alia ſuppetiit ratio Noam ab eo liberandi quam Arca, ſed & idem evidenter comprobat, quod omnium animantium genera tam reptilium quam quadrupedum & avium, *ad conſervandum ſemen eorum ſuper faciem univerſæ terræ* Gen: VII, 3. Arcæ unà cum familia Patriarchæ includi debuerint. Si enim illa clades unam Palæſtinam ſpectaſſet, ut potuiſſent aves pleræque evolare in provincias vicinas, ad quas Diluvium non erat perventurum, ita beſtiis cœteris in Palæſtina aquâ ſubmerſis, earum tamen ſpecies integræ non periiſſent, ſed in variis ſuis individuis alibi fuiſſent conſervatæ, adeoque non opus fuiſſet Noæ ex omni-

omnibus ſpeciebus nonnulla individua ad ſe recipere in Arcam, tanquam in unicum & commune aſylum, ad conſervandum ſemen earum ſuper faciem univerſæ terræ.

4. Tota quoque deſcriptio Moſaica oſtendit univerſale hoc Diluvium fuiſſe, adeoque per illud periiſſe quicquid erat hominum & beſtiarum in rerum natura, exceptis iis qui cum Noa in Arca fluctuabant: Nam primò Deus ad id contulit quicquid aquarum evomere quiverunt, tum *rupti omnes fontes abyſſi magnæ*, tum *apertæ cataractæ cœli* Gen: VII, II. ideſt reverâ quicquid & nubes imbre denſiſſimo per quadraginta continua νυχθήμερα, & mare & fluvii & in ſpecubus ſubteraneis latentes aquæ, effractis omnibus ſuis repagulis, ſimul effundere potuerunt. Quod Ovidius ingenioſé his verbis expreſſit;

Nec cœlo contenta ſuo eſt Iovis ira ſed illum,

Cœru-

Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.

Uni autem Palæſtinæ ſubmergendæ tanta vis aquarum minimè requirebatur. Deinde ut Deus hoc ſuum conſilium illis aperuit verbis ad Noam Gen: VI, 17. *Ecce adducturus ſum aquas diluvii ſuper terram ad perdendum omnem carnem ſpiritus vitalis ſub cœlo; quicquid eſt in terra expirabit*; ita cùm illius executio deſcribitur à Moſe, non tantum refertur quomodo invaluerint aquæ *quam plurimum* ſuper terram, ut operirentur *omnes montes altiſſimi qui ſunt ſub univerſo cœlo*, imò *quindecim cubitis* altiſſimos montes aquæ ſuperarent Gen: VII, 18. 19. 20. quod expreſſit Ovidius ipſe his verbis,

Iamque mare & tellus nullum diſcrimen habebant,
Omnia Pontus erat, deerant quoque littora Ponto; & paullò poſt,
Obruerat tumulos immenſa licentia Ponti.

Pulſaban-

Pulſabantque novi montana cacumina fluctus; Sed etiam conceptis verbis dicitur Gen: VII, 21. 22. 23. quod ita *exſpiravit omnis caro quæ reptabat ſuper terram, volucrium, pecudumque & beſtiarum, & omnium reptilium quæ repunt ſuper terram, & omnis homo; Omne cujus in naribus halitus erat ſpirationis, ex univerſis quæ degunt in ſicco mortuum eſt; & deletum eſt omne corpus vivens quod erat in ſuperficie terræ, tum homines, tum pecudes, reptilia & volucres cœli, deleta ſunt inquam è terra; ſed ſuperſtes relictus eſt tantummodo Noach & quæ cum eo fuerunt in arca.* Hæc ſanè omnia ſunt expreſſiora, quam ut poſſint aut Diluvii univerſalitatem dubiam facere iis quibus Scriptura ἀξιόπιςος, imò αὐτόπιςος eſt, eo quod ſit θεόπνευςος juxta Paulum 1 Tim: III, 16. aut ſuſpicionem injicere cuiquam ullos alios homines, præter Noam cum ſua familia, ex primo illo mundo ſuperſtites fuiſſe. De Methuſala quidem avo Noę omnium hominum

minum Moſi commemoratorum vivaciſſimo, apud nonnullos fuit dubitatum ex Verſione Græca V. T. juxta quam vita ejus propaganda foret aliquot annis ultra Diluvium; unde finxerunt eum tantiſper in Paradyſo terreſtri cum Henocho aſſervatum fuiſſe; quod meritò poſt Auguſtinum reſpuit Carthuſianus *in Gen. art. 31.* Sed ſcrupulum omnem tollit Veritas Hebraica, ex qua conſtat virum pium & ſanctum, paullò ante Diluvium ad meliores abiiſſe, quod in confeſſo eſt apud omnes; & variaſſe quoque olim verſiones LXX. circa hoc, adeo ut juxta quędam earum exemplaria Methuſalem toto ſeptennio obierit ante Diluvium, author eſt Auguſtinus apud Strabum *in Gloſſa Ordin. Gen. 5.*

5. Nonnulli quoque deliri ex Judæis aliquid voluerunt mutire de Og rege Baſan, quem putarunt ante Diluvium genitum fuiſſe, & ad tempora uſque Moſis ſuper fuiſſe, eo quod dicatur

catur Deut: XI, 11. *ſolus* reſtitiſſe *de ſtirpe* Rephaim ſive *Gigantum*. Et ſanè quæ narrant Thalmudiſtæ de iſto homine huic fabulæ ſtatuminandę inſerviunt. Nam *in Bereſith Rabba*, juxta textum fuſè relatum Raymundo Martino *pug. fidei 3. p. diſt. 3. cap. 22. §. 25.* ex Angelis Apoſtatis qui cum filiabus hominum ſe miſcuerunt ad Gigantum procreationem Gen: VI, 2. fuerunt *Scemchuſai* & *Azael*, qui cùm promiſiſſent Deo ſi ſibi permitteret deſcendere ad homines ſe inter illos ſanctè converſaturos, nec paſſuros ut hominum figmentum malum ſibi dominaretur, ſtatim tamen voluptatis illecebris capti fuerunt: Nam prior visâ formosâ quadam muliere cui nomen Aſthira, eam ad ſtuprum ſollicitavit: illa vero negavit ſe conſenſuram, donec ſibi aperuiſſet nomen Dei expoſitum, ad cujus prolationem ipſe quoties vellet aſcendebat in cœlum; De quo edocta illud illicò pronunciavit

& ejus

ejus virtute in cœlum aſcendit; quâ & viſâ Deus in hæc verba prorupit; *Cum hæc ſic fugerit tranſgreſſionem, faciam illam exemplum cujus in æternum ſit memoria*, & ſtatim eam inter ſeptem Pleiades in firmamento defixit: Quanquam alii volunt, ex ea factam Venerem, quæ inter Planetas & Phoſphorus & Hêſperus ſolet appellari. Id ubi factum viderunt *Scemchuſai* & *Azael*, uxores duxerunt & genuerunt liberos, prior nominatim *Hija* & *Chija*, quorum filii reſpectivè fuerunt *Seon* & *Og*. Itaque Og juxta hanc fabulam natus fuit ante Diluvium ex avo *Schemchuſai* Angelo, quem tamen fingunt pœnitentiam egiſſe ſui peccati & ſeipſum ſuſpendiſſe inter cœlum & terram in hunc uſque diem capite deorſum, *quia non erat ei apertio oris coram Domino ſancto benedicto*. Og vero ejus nepotem tantæ faciunt proceritatis, ut potuerit in mediocris alicujus montis vertice conſtitutus, non ſubmergi

mergi ab aquis Diluvii: Nam quod commemoratur Moſi de lecto ejus ferreo novem cubitorum, ad ipſius cunas cum recens natus eſſet referunt; quamvis R. Salomon Jarki apud Lyranum *ad Deut. 3.* mavult de ſponda ejus ordinaria id interpretari, ſed quæ fuerit novem cubitorum non ordinariorum, ſed ipſiusmet Gigantis; qui quam procerus fuerit vel inde liquet, ſi fabulonibus credendum in libro *Berachoth* apud eoſdem Lyranum & Raymundum, quod cùm capiti ſuo impoſuiſſet prægrandem montem, tres leucas latum, quo uno impetu volebat obruere Iſraelitarum caſtra, & Deus per formicas ad id ſubmiſſas perforari curaſſet eum montem, quo ad os ipſius delapſo ac per illius dentes derepente excreſcentes ibi retento non poterat ſe expedire, acceſſerit Moſes, ipſe valde procerus & ulnarum decem, qui arreptâ ſecuri decem item ulnarum, & in altum ad decem ulnas

ulnas proſiliens, eum ita percuſſit in pedis malleolo, ſive *cavilla*, ut inde miſer Og occubuerit. Sanè qui poterat montem tantæ molis ſuo capiti tam facilè imponere & in quo plantæ pedis ad malleolum diſtantia erat triginta ulnarum, enitendo in montem mediocrem tempore Diluvii, vix potuiſſet ad ſuras uſque madefieri, & interea epulari quiviſſet ex circumnatantibus beſtiis, eas colligendo ut pueri conchas in littore maris. Verùm præterea quod hæc fabella ſuâ abſurditate ſatis ſe refutat, non omnes Judæi volunt Og ex antediluvianis Gigantibus fuiſſe, ſed ut retur Salomon Jarki ex iis quos Kedorlaomer & ejus ſocii debellarunt Gen:xiv,5. Saltem ſi debeamus obſtrepere Moſi omnium hominum ſubmerſionem per Diluvium referenti, præſtaret hanc fabulam recutitorum pro hiſtoria authentica adoptare, quam neſcio quos Præadamitas ſomniare ad quos Diluum non pervenerit.

6. Sed

6. Sed & ea quæ Moſes narrat contigiſſe poſt Diluvium, ſatis comprobant ejus univerſalitatem; Nam Gen: VIII, 21.22. Deus ſibi proponit *nequaquam ultra* maledicere terræ propter hominem, nec *ultrà* percutere *omnem animam viventem* ſicut fecerat, ſed deinceps *quamdiu erit terra*, ſementem & meſſem, frigus & æſtum, æſtatem & hiemem, diem & noctem non deſituros. Quis enim inde non videat, & cladem illam fuiſſe univerſalem, quâ *omne vivens* extinctum fuit, & totum ordinem naturę ad tempus interverſum fuiſſe? Siquidem eum jure poſtliminii Deus poſtea reſtituit in perpetuum, & apud ſe conſtituit nunquam ſimilem cladem immittere terris: quod de Diluvio aliquo particulari dici non poſſet, tum quia nullum particulare diluvium ordinem naturæ & tempeſtatum in mundo immutare potuit, tum quia multi particulares cataclyſmi poſtea in orbe acciderunt.

derunt. Sic etiam Gen: IX, 1. Deus Noæ & ſuis poſt Diluvium benedixit ſpeciatim, ſub eadem formula quâ uſus fuerat erga primos homines dicendo *Creſcite & multiplicamini & replete terram*; quod eos non minus quam iſtos mitteret in ſedes vacuas & incolis penitùs deſtitutas. Legem quoque illis præſcripſit Gen: IX, 5. de homicidio cavendo & puniendo, quâ omnes homines naturaliter teneri, non ſolos Judæos, eſt certiſſimum. Imò ſeptem Noachidarum præceptis decantatiſſimis, ideo potiſſimum Rabbini volunt omnes omninò teneri homines, ut nequidem inter proſelytos domicilii ſit admittendus ab Iſraelitis, qui illa agnoſcere & ſervare detrectaverit, quod omnes poſt Diluvium ſint Noachidæ, & per Noæ filios à quibus ſunt propagati, ad illa obſtricti & obligati. Adde his quod Gen: IX, 9. 10. 11, 12. 13. 14. 16. 16. 17. ſpeciali pacto Deus promittit Noę & toti illius

illius poſteritati, imò omnibus animantibus & beſtiis terræ, ſe non amplius interfecturum *omnem carnem* aquis Diluvii, nec fore deinceps *Diluvium diſſipans terram*, vel aquas Diluvii *ad delendum univerſam carnem:* Dicemus ne illud pactum divinum cum ſolis Judæis initum, neque ad alios populos pertinere? Quod ſi certa hinc ſtat toti orbi facta promiſſio de univerſali Diluvio nunquam futuro; Quod ſi Iris, inter θαυμαςὰ naturæ reponenda, maximè ex ſua ſignificatione, quam ideo Rabbini tradunt creatam cum novem aliis rebus ſingularibus inſtante primo Sabbatho, & quæ ob ſignificationem favoris thronum gratię circumdat Apoc: IV, 3. ad totum genus humanum & omnes beſtias terræ ſpectat, & ſingulis individuis pignus eſt nunquam totam ſpeciem per univerſale Diluvium abolitum iri; Quis quęſo neget & univerſale fuiſſe illud, quod non amplius fu-

turū promittitur omnibus,& homines toto orbe terrarum diſperſos,ſub hoc pacto comprehenſos ,imò omnes beſtias ac volucres quæ nunc ſunt in domun, poſteros & propaginē eſſe eorum & animantium & hominum quos Deus per Arcam Diluvij ſubduxit undis?

7. Adde quod Moſes Gen: x. per totum , ſolidè oſtendit omnes populos toto terrarum orbe diſtributos, quales erant ſuo tempore, ex poſteris Nohæ fuiſſe propagatos, adeoque non ſolos Judæos , ut imaginoſus noſter Prędamita imaginari vellet: Videatur eruditus Commentarius quaſi perpetuus in iſtud caput Doctiſſimi Bocharti, quem *Geographiam ſacram* inſcripſit ; Videantur & *Notæ* Celeb. Franciſci Junij *ad idem caput* , quibus in multis facem prętulit Bocharto , licet hic etiam in multis aliter ſentiat ; Videantur quotquot *ad Geneſim* aliquid fuerunt commentati ; & ſi Chriſtiani non ſufficiant, adeatur inſuper

Joſephus

Joſephus *lib. 1. Antiq. cap. 7. & Iuchaſin* R. Abrahami Zachuth, cujus explicationem de diviſione Gentium ex Gen: x. repræſentat & doctis obſervationibus vel corrigit vel illuſtrat Bochartus *Geographia Sacræ p. 1. ſive Phalegi lib. 4. cap. 38.* Nec enim noſtri inſtituti ratio vel patitur vel exigit ut eamus per ſingula: Quod ſi necdum ſufficiunt hæc argumenta ex Veteri Teſtamento pro univerſalitate Diluvij, audiantur quoque probationes ex Novo: Chriſtus Matt: xxiv, 37. 38. 39. confert cum diebus Noę ultimum ſui adventum ad judicium univerſi, & nominatim monet homines prioris mundi non agnoviſſe Diluvium *uſque dum veniſſet & ſuſtuliſſet* OMNES; quod ſanè ad paucos Palęſtinæ incolas reſtringi nequit, eo minus quod comparatio Chriſti claudicaret, nî æquè ſpectaſſet Diluvium ad omnes, vel aquis ſubmergendos vel liberandos in Arca, ac ultimus Chriſti reditus ſpe-

ctabit ad omnes, vel glorificandos ex Gratia, vel in æternum condemnandos ex Juſtitia. Chriſto ſuccinunt Apoſtoli. Nam Paulus Heb. XI, 7. ait Noam divinitùs admonitum de iis quæ nondum cernebantur veritum fuiſſe & per fidem conſtruxiſſe *Arcam ad ſervandam domum ſuam*, & *per* eam Arcam *mundum* condemnaſſe: & Petrus I. III, 20. commemorans *paucas ideſt octo animas* ſervatas in *Arca*, ſatis innuit nullos homines præter octo Diluvium evaſiſſe. Ac 2. III, 6. agens de univerſo mundo, & de eadem terra quæ in prima creatione *ex aqua & in aqua* conſtiterat, dicit etiam quod is *qui tum erat mundus aquâ inundatus periit*, prout com. 7. obſervat hunc noſtrum mundum, utique totum, *aſſervari igni* in diem condemnationis & exitij improborum. Quibus ſanè verbis non ſolum veterem mundum Diluvio ſubmerſum à præſenti diſtinguit, ſed etiam oſtendit duplicem hanc παλιγ-

γενεσίαν

γενεσίαν deberi mundo, primam ex aqua per Diluvium univerſale, ſecundam per ignem per univerſale incendium. Adamum utramque prædixiſſe, & inde Sethum duabus columnis diſtinctis, alteri lapideæ, alteri lateritiæ, Aſtronomiæ præcepta inſcripſiſſe, teſtis eſt Joſephus *lib. 1. Ant. c. 3.* Id autem neque ipſos Gentiles penitùs neſciviſſe, non ſolum ex Platone poſſit demonſtrari, ſed etiam liquet ex Ovidio qui deſcribit ſuum Jovem ideo immittentem Diluvium mundo, quod olim eum igni ſubjiciendum intelligeret;

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, corruptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

8. Quod ſi tot evidentia ex Scripturis argumenta nondum Præadamitam convincunt de Diluvij univerſa-

litate, cogitet quęſo, nullam fuiſſe ferè gentem apud quam ſubobſcura ſaltem memoria hujus Diluvij univerſalis non reſtiterit; jureque Hug. Grotium *de verit. Rel. Chriſt. lib. 1.* ita loquutum fuiſſe; *De Diluvio notandum in ejus hiſtoriam fermè omnium gentium memoriam deſinere, etiam earum quas diu incognitas, parentum noſtrorum ætas noſtræ notitiæ tradidit; unde & Varroni omne id tempus ignotum vocabatur*, quod videlicet pręceſſit Diluvium; *Sed quæ à Poetis fabularum licentia involuta legimus, ea ex vero, ideſt Moſi convenienter, vetuſtiſſimi Scriptores tradiderant. Chaldæorum Beroſus* (apud Joſephum *Ant. lib. 14. cap. 4. & lib. 1. contra Appionem*). *Aſſyriorum Abydenus* (cujus verba extant apud Euſebium *lib. 9. de præparat. cap. 12.* & Cyrillum *lib. 1. contra Iul.*) *qui & columbæ emiſſæ meminit ut & ex Græcis Plutarchus* (libro quo inquirit, *terreſtria-ne an aquatica animantia plus habeant ſolertiæ*,) *& Lucianus qui apud Hierapolim*

rapolim Syriæ vetuſtiſſimam ait extitiſſe hiſtoriam & de arca & de ſervatis per eam non modò hominibus ſelectis, ſed & de animantibus cæteris; Apud Molonem quoque (ſcriptorem antiquum citatum Euſebio *lib. 9. præparat. cap. 19.*) *& Nicolaum Damaſcenum* (apud Joſephum V. S.) *hiſtoria eadem extabat, quorum hic Arcæ quoque nomen habebat, quod & in Deucalionis hiſtoria apud Apollodorum reperitur. Sed & in Americæ partibus Cuba, Mechoacana, Nicaraga, Diluvij, animalium ſervatorum, quin & corvi & columbæ ſervatam memoriam; Diluvii ipſius etiam in ea parte quæ nunc Caſtella aurifera vocatur, Hiſpani complures teſtantur.* Non potuit autem tam univerſalis traditio remanſiſſe univerſalis Diluvii, cujus & omnes ferè circumſtantias graphicè expreſſit Ovidius, licet Deucalionem pro Noa ſubſtituat, & montem Parnaſſum pro montibus Armeniæ, niſi revera fuiſſet univerſale: cujus & argumentum Philo profert ex

conchis quę in montium quorundam ſummitate reperiuntur. Ipſe Plinius *lib.* 5. *cap.* 13. dicit Joppem Phoenicum *terrarum inundatione* antiquiorem haberi, & *lib.* 3. *cap.* 14. eandem inundationem in Italiam penetraſſe aſſerit. Quid commemorem Thebas Ægyptiorum, ab Oſiride juxta Diodorum *lib.* 1. & Boëticas ab Ogyge juxta Varronem *lib.* 3. *de re ruſt.* conditas, utraſque quaſi in memoriam Arcæ Noachi quæ Hebraicè תבה *Theva* dicitur, ut aliàs obſervavi? Quid referam Sinenſes apud Maffeium *de reb. Ind. lib.* 6. affirmantes univerſum mundum ex aqua conditum fuiſſe, quaſi ex ſubobſcura memoria terrarum ex aqua poſt Diluvium emerſarum? Quid obſervem ex Stephano *de Vrbibus* Tarſum Ciliciæ, cui imminet mons Taurus ad quem pertinent montes Armeniæ in quibus Arcam ſubſtitiſſe & Moſes & Veteres Scriptores multi perhibent, ſic dictam à τερσαίνω *areſacio*, quod

quod in argumentum terræ primò ibidem exſiccatæ Tarſus civitas condita ſit? Huc facit quod Tarſis, hujus urbis ut videtur conditor, fuit filius Javan, nepos Japheti apud Moſem Gen: x, 3.

9. Neque filiorum Noæ nomina, qualia referuntur à Moſe, tam latè toto terrarum orbe fuiſſent propagata, & inter Ethnicos diſſeminata, adeo ut nequidem ipſi Latini, quibus Adamus fuit incognitus, neſciverint nomina Semi vel Semonis, *An tibi Semo Pater, tu mihi Sancus eris*, inquit Ovidius; Chami vel Hammonis, unde *Iupiter Hammon*, tam celebris; & Japheti ſive Iapeti, patris communis Europæorum, qui inde Horatio *audax Iapeti genus* dicti; ideſt revera trium Noachi filiorum; neque ipſe Noa tam celebris famæ extitiſſet apud Veteres, ut quadantenus μυριώνυμος dici queat, cùm ſit revera Veterum Xyſuthrus, Ogyges, Deucalion, Oſiris, Saturnus,

 turnus,

turnus, Prometheus, Janus, Bacchus, Dionyſius, Liber Pater &c. niſi & illi terrarum orbem inter ſe poſt Diluvium fuiſſent partiti, & hic gentis humanæ ſtirps communis ac reparator, & ut loquar cum Hieronymo *lib. 1. contra Iov. ſecunda radix* humani generis, poſt tantam cladẽ habitus fuiſſet. Verùm ſi per hoc argumentum fuſiùs deberem decurrere, in immenſum mea creſceret oratio, & ſufficit digitum in fontes intendiſſe; præſertim cùm nunc ſcopus meus non ſit ex monumentis Gentilium fidem adſtruere narrationis Moſaicæ, ſed tantum id quod in confeſſo eſt apud omnes Chriſtianos, de Noę & filiorum ſuorum celebritate apud Veteres Ethnicos, proferre in demonſtrationem Univerſalis Diluvij; abſque quo Noæ & filiorum ſuorum nomina, ultra Judaicæ gentis & Palæſtinæ fines nunquam innotuiſſent. Agnoſco quidem Ogygis & Deucalionis Diluvium recen-

tius

tius ſtatui Noachico apud Chronologos, & eâ ratione utrumque tantum particulare fuiſſe; Sed interea id non impedit quominus Antiquitas utrumque confuderit cum Noachico, unde factum ut Poetæ Ogygium & Deucalioneum tanquam univerſale deſcripſerint, & Ogygis ac Deucalionis nomine ipſummet Noam graphicè depinxerint. At cùm debeam meminiſſe me verſari in Elencho Præadamitæ, negantis univerſalitatem Diluvii Noachici contra conſtantem & communem ſententiam omnium Chriſtianorum, Judæorum & Mahumetanorum, ac ipſorummet Gentilium ubique terrarum & temporum jugem traditionē tot argumētis ex Scriptura&ratione ſuffultā, ſufficiet eidem veritati conſtabiliendæ hominis iſtius argutias omnes ordine refutaſſe.

10. Primùm igitur *Syſt. lib. 4. cap. 2.* viam ſibi ſtructurus ad cuniculos per quos conatur ſubruere Scriptu-

rarum Sacrarum Authoritatem & Fidem, ſallè ridet eos qui aſſerunt *Arcam Noæ primam fuiſſe navium omnium*, ac ſi ſuę aſſertionis hanc unicam haberent rationem, *quia prior non legitur in Geneſi. Quaſi verò* (inquit) *Adamus qui ſecundum vulgatam hypotheſim formatione ſua artes omnes edoctus eſt, Nauticam ignoraviſſet, artium omnium tum mage egregiam, tum ſocietati hominum mage neceſſariam, tum naturali & quotidiano uſu natandi deprehenſu mage facilem*: Sed præterea quod imponit Chriſtianis ac ſi ideo demum ſtatuerent Arcam Noę navium omnium primam fuiſſe, quia prior non legatur in Geneſi, (nemo enim unquam tam ſtolidè ratiocinatus fuit,) mirum eſt quod Nauticæ cognitionem vendicet Adamo ex ea hypotheſi quam ipſe tamen rejicit; Nec ſi theoreticè cognoverit Adam in ſtatu integritatis eam eſſe fluviorum & maris indolem, ut etiam homines dorſo ſuo æquè ferre poſſent ac

cœtera

cœtera animantia, inde ſequitur ipſum poſt lapſum, vel ad iſta unquam reflexiſſe, urgentiori neceſſitate preſſum, quâ cogebatur aquis relictis ex terrâ cum ſudore & labore victum & amictum ſibi & ſuis comparare; vel naves fabricatum fuiſſe & artem nauticam ſuos docuiſſe. Eſt quidem illa ars egregia, ſed periculoſa; Nec ſi his temporibus quotidianus videtur uſus natandi in regionibus ſaltem maritimis, (nam in mediterraneis paucos urinatores vel natatores unquam reperias) ideo talis fuit ab initio mundi, multo minus *naturalis* ſtatui debet: Nam cùm cœtera animantia naturaliter natent, imò & ipſæ ſues, ſolus homo ſatis difficulter addiſcit illam artem, & plures quotidie ſub ipſis tyrociniis ſubmerguntur: Evaſit quoque ars Nautica neceſſaria valde generi humano, poſt ipſius multiplicationem, avaritiam & luxum; Sed neceſſariam ita fuiſſe primi mundi in-

colis

colis nemo dixerit, cùm nec eo uſque excreverint ſpatio 1656. annorum, ut loci mediterranei & qui terreſtri itinere erant acceſſibiles ipſis ſufficere nequiverint; nec eo uſque luxui & avaritiæ fuerint obnoxii, ut non contenti iis quæ cuique ſua proferebat tellus, gulæ & aliorum malorum irritamenta periculoſis & longinquis navigationibus ex oris remotiſſimis arceſſere debuerint. Et quâ conſcientiâ quis ſibi perſuadeat artem Nauticam exercitam fuiſſe, uti nunc, ante tempora Diluvij, ſi modò cogitaverit, & paucis ab hinc ſæculi atque demum poſt acum magneticam repertam eam ἀκμὴν ſuæ perfectionis eſſe aſſequutam in qua nunc eſt, & multas repertas Gentes quæ hactenus ut ut ad mare ſitas illâ caruerant?

11. Ut verò ſtatuatur mundus Navigationis tyrocinia poſuiſſe in Arca Noæ & hæc fuiſſe rudimenta artis utiliſſimæ, quod multorum etiam è Ve-

teribus

teribus authoritate comprobat Polydorus Virgilius *lib. 3. de rer. inu. cap. 15.* multa poſtulant. Nam Ethnici nihil habent quoad navium originem apud ſe quod non ſit multo recentius; ſive ad Jaſonem reſpiciant, Argonautarum ductorem, ſive ad Danaum fratrem ſuum Ægyptum ratis beneficio fugientem. Sunt qui putent ab avibus navium fabricandarum conſilium primum deſumptum fuiſſe, quò volunt facere affinitatem illarum duarum vocum *avis* & *navis*; Sunt qui velint ipſos piſces primum exemplum navium hominibus ſuggeſſiſſe, quò ſpectat locus eximius Plinii *lib. 9. cap. 29.* Sed revera non eſt credibile homines unquam de navigando cogitaturos fuiſſe, niſi Deus illis præluxiſſet in Arcæ fabrica. Hinc dixit ipſemet Horatius, *Illi robur & æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commiſit pelago ratem Primus.* Quod ſi tempore Noæ navigationis uſus fuiſſet inter homines,

non

non debuiſſet Patriarcha tam ſpecialem arcæ fabricandę deſcriptionem immediatè à Deo conſequi; Quanquam non negem voluiſſe Deum hanc primam navem fieri formâ valde diverſam ab iis quas poſtea homines in uſum ſuum erant fabricaturi; Caruit enim carinâ curvatâ, prorâ & puppi, antennis, malo, velis, remis, contis, rudentibus, anchoris, & omni illo apparatu quo noſtræ naves ſunt inſtruendæ ad fœlicem navigationem; quia Deus ipſe Nauclerus futurus erat, volebatque hominibus conſtare eos ſuam incolumitatem Gratię non Arti debere. Quùm autem ſubſtiterit Arca hæc in montibus Armeniæ, videtur primum Tyriis & Phœnicibus navium fabricandarum conſilium ſuggeſſiſſe. Nam hi apud Veteres crediti ſunt primi navium repertores, unde Tibullus, *Prima ratem ventis credere docta Tyros*; Qua de cauſa Tyrij & Sidonij navem habebant
cuſam

cuſam in ſuis nummis, ut notat Pierius *Hierogl. lib. 45. cap. 10.* Quin apud Latinos Jani bifrontis, quem Noam itidem fuiſſe Eruditi meritò arbitranſor, quod viderit utrumque mundum, Symbolum fuit *Navis*, non ſolum quod Navis vel Arcæ beneficio Diluvium evaſerit, ſed etiam quod artem navigandi homines docuerit. Hoc dixit utcunque Ovidius *Faſt.* 1.

At bona poſteritas puppim ſignavit in ære
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

12. Quâ autem temeritate negat Præadamita, contra communem omnium Chriſtianorum conſenſum, navium antiquiſſimam fuiſſe Arcam Noe, eadam vanitate ſuggillat *ibidem*, quod vulgò ſtatuitur ex Sacra Scriptura, Noam *plantaviſſe primam vineam*; Id autem ſtatuitur non ſimpliciter, ut nugatur, *quia nulla prior legitur plantata apud Moſem*, ſed quia Noach dicitur ſe ex fructu vitis inebriaſſe & denudaſſe in ſuo tentorio: Parciùs pro-

proculdubio bibiturus nec ſe tam liberaliter invitaturus, ſi jam ante vini vim & efficaciam perſpectam habuiſſet. Hoc dixit ante nos Hieronymus *ad Euſtoch de cuſtodia virg. Noë vinum bibit & inebriatus eſt; Poſt diluvium rudi adhuc ſæculo & tunc primum plantata vinea, inebriare vinum forſitan neſciebat.* Neque hactenus quiſquam Eruditorum inter Chriſtianos dubitavit Noam eum eſſe vitis primum cultorem & vini repertorem qui Ethnicis Liber Pater, Oenotrius, Bacchus, Lyæus, Methymnæus, Dionyſius, Vertumnus, Sabazius, Oſiris, Janus &c. dictus eſt. Notius eſt quam ut multis ſit explicandum, Janum bifrontem ab Hebraico יין *Iain* quod *vinum* ſignificat derivari: & hinc factum ut *vini* nomen ſit apud omnes populos univerſaliſſimum, quod ab uno hoc homine ejus prior inventio proceſſerit. Imò qui attenderit ad ea quæ Noæ tribuuntur à Moſe Gen: ix,

20. quod

20. quod terram colere cœperit, (operoſiùs utique quam antea, quoniam aquæ Diluvij ſuâ ſalſedine, acrimoniâ & penetratione, primævam terræ pinguedinem exſuxerant,) & plantaverit vineam, videbit ei ſoli convenire quod Tibullus Oſiri tribuit *Eleg. lib. 1. 7.*

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris
Et teneram ferro ſollicitavit humum;
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus;
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura ſapores,
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

Quâ autem occaſione Patriarcha eò proceſſerit, refertur apud Nauclerum *generat* 11. & Carthuſianum *in Gen.* 9. ex Comeſtoris *Hiſt. Schol.* ſcilicet caprum emiſſum in montem Corycum Ciliciæ, & ex labruſcis ibi depa-

ſtis inebriatum, cœpiſſe cornu petere alia animantia; quod cùm Noa vidiſſet, prudenter fuiſſe ſuſpicatum vim aliquam ſpecialem ineſſe illi plantæ, quam reſperſam ſanguine leonis, ſimiæ, agni & porci, aliò plantaverit, ex eaque primam eamque optimam vindemiam fecerit. Priori de capro labruſcarum & vini primo indice videntur adſtipulari Mythologi, apud quos hircus Baccho ſacer; ſed poſterius merè eſt Symbolicum, ad ſignificandam diverſitatem effectorum quæ vinum producit in hominibus, pro varia conſtitutione ſingulorum: Nam alios facit moriones ac luſibundos inſtar ſimiarum; aliis adſpergit pugnacitatem leonum & eos concitat ad rixas; alios tanquam porcos ad vomitum, ſordes, vel ſordidas voluptates incitat; aliis indit ovium ſimplicitatem & ſtuporem.

13. Necquicquam verò huic veritati de vino à Noa primùm reperto

ſe op-

ſe opponit Præadamita his verbis ; *Quaſi verò terra quæ arbores peperit omnigenas quando creata eſt, in ipſa mundi juventute & hilaritudine vitem non protuliſſet, hilaritudinis datricem & juventutis inſtauratricem ; Adamus verò inſignis agricola, plantationem vineæ neglexiſſet, agricolationis partem ſuaviorem, & vinum deſeruiſſet, quod Scripturâ ipſâ teſte, lætificat Deum & homines.* Etenim in confeſſo eſt vitem ab initio mundi extitiſſe : Sed inde non ſequitur vini uſum cognitum fuiſſe ante Noam. Pluribus fuit perſuaſum, quod tamen admittere nolim, carnium uſum neſciviſſe incolas primi mundi, quòd is eſſet ſuccus, ea vis in naturæ juventa, frugum, holerum & pomorum, ut abundè ſufficerent hominum nutritioni : Sed paullò probabilius eſt, non ante vinum cœpiſſe inter homines, quam operoſior ipſis per aquas Diluvij evaſiſſet cultura terræ, Deo liberaliter id concedente mortalibus

in

in levamen laboris d urioris , cui deinceps ſubjiciebantur. Imò cum vinum abeat junioribus in venenum, ſed puls & lac ſenum è contrario ſtatuatur, eò minus debuit convenire illi mundi juventuti quam hic deprædicat Vir Eruditus. Neque ideo debuit vitis excoli ab Adamo, in uſum vini, quod *inſignis agricola* extiterit; Nam illius agricultura acquieſcebat in neceſſario, neque ſuperflua & luxum anhelabat. Nec dubium quin natura ſub illis initiis pauciſſimis contenta fuerit: Non etiam ibi ſemper coluntur vites, ubi cæteroquin optima & ſolertiſſima agricultura viget. Multæ quoque ſuperſunt gentes ſub Cælo quæ vel vitem neſciunt, vel quod magis eſt vitibus optimis abundantes, ut de Sinenſibus refert Maſſejus *rer. Ind. lib. 6.* tamen uuas condere ſolent, exprimere in potus uſum non ſolent.

14 Sed propiùs veniunt excutiendi ca-

di cavilli quibus Præadamita conatur *Syſt. lib. 4. cap. 7. 8. & 9.* Cataclyſmi Noachici univerſalitatem evertere, ac eum ad unam Palæſtinam reſtringere. Primò itaque ſupponit cauſam diluvii immittendi fuiſſe ſingularem culpam Adamitarum, quos *Iudæos* ſtolidè appellat, quod in conſortium ſuum gentes admiſerint & filios hominum, eorum filias ſibi matrimonio conjunxerint, & ita progenuerint Gigantes, *ratione illa qua fortes creantur fortibus, & divinum humano commiſtum heroas generat.* Sed ſuo loco probatum dedi filios Dei à filiis hominum diſtinctos, fuiſſe Sethi poſteros oppoſitè ad impiam Caini & reliquorum Adamitarum poſteritatem, quæ Caini premens veſtigia, ſecura Numinis Impietati partim, partim forte Idololatriæ litabat. Nec enim defuerunt ex Hebræis, referente Lyrano *ad Gen. 4.* qui putarint Iabalem primum fixiſſe tentoria Idolis (quæ fortè cuderat vel

fuderat

ſuderat Tubalkain) & Iubalem eorundem cultui & venerationi ſua muſica inſtrumenta conſecraſſe: & quid de Idololatria primi mundi ſentiant ipſi Arabes ſuprà viſum. Juſto autem Dei judicio factum, quod non tam *heroes*, ut nugatur Præadamita, quam monſtra hominum, Cyclopicâ feritate præditi, prodierint ex *illa mixtura* illicita Sethianorum cum Cainitis, cum quibus tamen primitùs, dum paullò ferventiùs vacabant cultui divino, & eo reſpectu filios Dei ſe nuncupabant, nihil ſe commercii habituros, ſolemni juramento promiſerant. Et cùm uuiverſalis fuerit corruptela omnis carnis, nec meliores proculdubio fuerint *filii hominum*, quam qui *filii Dei* dici voluerant, non eſt cur Præadamita cauſas Diluvii rejiciat in ſolos ſuos imaginarios *Iudæos*, ut Deus nequioribus parcendo, nempe *filiis* hominum quos Gentiles iſte facit, ſolos deleret filios ſuos, cœterorum ne-

quitia

quitiam afflatos & contagio corruptos : ſicque illud obtineret quod Divinæ repugnat Iuſtitiæ , *Dat veniam corvis vexat cenſura columbas.*

15. Secundò vult iſte homo, horum verborum Moſis, *Delebo hominem quem creavi à facie terræ, ab homine uſque ad animantia*, eum eſſe ſenſum, ut *terræ nomine* Palæſtinam ſolam debeamus intelligere; *hominis quem creaverat*, *Iudæos Adami filios*; *animantium* verò, *gentiles Iudæis permiſtos & peccati Iudæorum cauſas.* At ſanè hæc retuliſſe refutaſſe eſt. Abſurdum eſt *hominem* indefinitè poſitum, quæ vox vel primam ſtirpem hominum vel totam ſpeciem notat, ſumere pro ſolis Judæis , etiam cùm nondum ulli Judæi füiſſent in rerum natura : Abſurdum , animantia homini oppoſita gentiles ſtatuere ; Quidnam enim ſignificabunt Moſi, ſi ſtulta hæc allegoria debeat continuari, *reptilia & volucres cœli*, quæ unà cum animantibus terræ & genere humano

Deus delere conſtituit ? Et cùm ipſemet Novator *animantia revera ipſa omnia terræ* illius deleta agnoſcat, quâ fronte vel conſcientiâ audet hîc tam ineptè ἀλληγορίζειν ? Imò quò conſtet nihil eum penſi habere quid dicat vel effutiat, modò ſuam Giganto machiam in Deum & authoritatem Divinam Scripturarum exerceat, cùm inter Adamum & ſuos Præadamitas id diſcriminis finxerit, quod ille *formatus*, horum quiſque *creatus* ſtatui debeat, hîc tamen ſui immemor, *per hominem quem* Deus *creaverat* vult intelligi *Iudæos Adami filios*; *Adami inquam illius quem Deus creaverat, ideſt formaverat*; *Idem* (inquit) *eſt hoc loci creaverat quod formaverat*. At ſi alibi ſemper creatio & formatio differunt, cur quæſo hîc idem ſunt; aut ſi idem hîc ſonant, cur alibi differunt ? Id præſertim eſt hominis ſimpliciter impudentis, ut quondam de Paſcentio Ariano loquebatur Auguſtinus, ad Palæſtinme

læſtinam velle reſtrictum ea Moſis dicta de quibus fatetur quod *ſi ad verba ſola ſpectes ſonare videntur terras omnes quà Sol utrumque reſpicit hæmiſpherium cataclyſmo illo fuiſſe involutas.* Neque *oratione prophetica & dicendi genere entheo*, ut hic homo loquitur, *omnia* hyperbolicè *exaggeravit Geneſis*; ſed rem narravit hiſtoricè iiſque terminis & formulis variis ex quibus Diluvii univerſalitas debet omninò colligi. At, inquit, *montes Armeniæ* in quibus *Arca ſtetit, corrivatis aquis Diluvii, quà Palæſtinam reſpiciunt partem Syriæ conſtituunt, Palæſtinæ conterminam*: Quid tùm? Nec enim hinc ſequitur Diluvium ſolam Palęſtinam inundaſſe, ſed potius è contrario inde liquet & Syriam & Armeniam & procul diſſitas à Palæſtina Provincias Diluvio fuiſſe ſubmerſas. Quis enim non videt Syriam & Armeniam totam ideo inundatas fuiſſe, quod non tantum in altiſſimos montes quibus diſterminan-

 tur,

tur, corrivarentur aquę Diluvii, ſed eos paraſangis aliquot ſuperarent?

16. At, id obtinet *more Hebræorum ut nomine terræ ſimpliciter dictæ* Palæſtina intelligatur; Quæ ratio, nititur axiomate generali quod proponit *cap. 3. lib. 4. Erratur quoties generaliùs accipitur quod ſpecialiùs debuit intelligi. Tenebræ in morte Domini factæ fuerunt ſuper totam terram Iudæorum, non ſuper univerſum terrarum orbem.* Eodem fine profert quæ *ibid.* diſſerit de ſtella Magorum in Euangelio commemorata, & *capp. inſequentibus* de Solis retroceſſione tempore Ezechiæ & ſtatione tempore Joſuæ. Non eſt ſanè mei vel otii vel negotii hîc diſſerere de Ecclypſi miraculoſa Solis, quæ dicitur toti terrę incubuiſſe in morte Domini, an ad ſolam Judæam, an ad orbem univerſum ſpectarit; Diſcrepant in eo ſententiæ Eruditorum inter quos nolim agere Palæmonem. Qui prius affirmant cum Præadamita ſuas habent rationes,

tiones ; hanc maximè, quod hîc contrarium evenerit ejus quod olim obtinuit in Ægypto, cùm ſolis Iſraelitis ſplenderet Sol in terra Goſçen quo tempore denſiſſimæ & Cimmeriæ tenebræ toto triduo toti reſiduæ Ægypto incumbebant. Hoc namque portento ſignificatum tenebras viceverſa Judæis imminere & lucem Divinam ad reliquas Gentes toto orbe tranſlatum iri : Qui poſterius, urgent Dionyſium Areopagitam verſantem in Ægypto, hanc Ecclypſim & vidiſſe & miratum fuiſſe ; Ejus quoque ajunt ex Ethnicis meminiſſe Phlegontem & Thallum, & mentionem factam, indicibus Tertulliano & Luciano, in *archivis & actis* Romanorum, & pro univerſali à pleriſque Veterum habitã ac creditam. Non eſt quoque quod expectet Præadamita ut ſecum diſputem de ſtella *quæ apparuit Magis*, quam dicit *faculam* fuiſſe *in aere*, *non ſtellam in cœlo* ; in quo nihil

hil novi aſſerit, cùm plerique Interpretes id phænomænon ad ea meteora retulerint quę in aëre viſuntur, quò & Cometas volunt multi pertinere. Quanquam non video quid faciat hæc materia vel probando in communi quædam dici generaliùs in Scripturis, quæ tamen cum reſtrictione ſunt intelligenda, vel demonſtrando in particulari Diluvium univerſale non fuiſſe. Sed paucis ſiſtendum circa ea quæ *ejuſdem lib. 4. cap. 4. & 5.* diſſerit de motu Solis retrogrado tempore Ezechię 2 Reg: xx, 10. 11. Eſ: xxxviii, 8. ac de Solſtitio tempore Ioſuę cap. x, 11, 12. 13. Vult igitur in miraculo Ezechię non retroceſſiſſe Solem in cœlo, ſed tantum umbram in horologio Achazi: adeoque hoc ſignum non univerſum orbem ſpectaſſe, ſed ſolam terram Judaicam; Quod ſanè prior non dixit; nam Cornelius à Lapide obſervat Vatablum, Burgenſem, Ariam Montanum, Sanchem & alios
in

in eadem eſſe ſententia. Idem videtur ſtatuere Capellus *in Hiſt. Aug. ad ann. mundi 3283.* Vult itidem in Solſtitio Joſuæ, non tam Solem ipſum, quam lucem ex ipſo, etiam poſt occaſum, perſeveraſſe in Gabaon, nec longam diem illam *extra regionem Gabaonitidem* extendi debere. Fateor quod ſi iſtæ ejus interpretationes obtinere poſſent, non amplius deberent Eruditi diſputare, num in his miraculis retroceſſio motus univerſi, vel illius deſitio, fuerit terræ, ex hypotheſi Copernici & Carteſii, an ipſiuſmet Solis & Syderum juxta Ptolemæi ſententiam: Verùm non video quî poſſint ſubſiſtere. Nam umbra horologii nequivit retrocedere, niſi Sole retrocedente verſus Orientem, ex communiori ſententia, aut terrâ retrocedente verſus Occaſum ex hypotheſi Copernici, ut non ſolebat procedere niſi Sole verſus Meridiem & Occaſum procedente, ſive realiter, ſive δοξαςικῶς; Et

 diſertè

diſertè Eſaias, cujus authoritas omni exceptione mihi major eſt, aſſeritSOLEM ipſum decem lineis per gradus quos deſcenderat reverſum fuiſſe: Imò non potuit umbra retro cedere tot gradibus in horologio, quin ea ratione dies ſolito prolixior fieret: Licet enim momento retrogreſſa ſit umbra per decem illos gradus, tamen ut idem ſpatium remetiretur, vel decem horis opus fuit ſi unicuique gradui hora aſſignetur, vel minimum horis quinque, quod gradus quilibet juxta Junium eſſet ſemi-horæ; ſi modò jam tum horarum diſtinctio, de quo meritò quis dubitet, nota erat: Nequivit autem id fieri quin tanto diutiùs Sol ſupra Horizontem conſiſteret. Hinc fabulati ſunt Judæi aſſignantes cuique gradui unam horam, decem horas fuiſſe ſubtractas diei illi quo Achaz impius fuerat tumulandus, ne ſatis regiè ſepeliretur, ſed eaſdem fuiſſe reſtitutas quo die Eze-
chias

chias ejus filius ægrotavit, ne quid naturæ deceſſiſſe videretur.

17. Quod ſi in ſolo Achazi ſcioterico id prodigium contigiſſet, non miſiſſet Rex Babyloniæ in Judæam inquiſitum *de portento quod acciderat ſuper terram* 2 Paral: XXXII, 31. Videntur enim obſervaſſe & ipſi Babylonii diem illum ſolito prolixiorem fuiſſe; ſed cùm neſcirent cauſam tanti prodigii, & fando audiviſſent id divinitùs conceſſum fuiſſe Regi Ezechiæ, legatos miſerunt in Iudæam, qui certiora de his rebus cognoſcerent. Frivolum itaque eſt quod obſervat Præadamita, hoc portentum dici factum *non in cœlo ſed ſuper terram*: Licet enim retroceſſio Solis ac Syderum contigerit in cœlo; momento hominibus imperceptibili, tamen diuturnior Solis mora ſupra horizontem ad terram ſpectavit. Æquè abſurdè fingit accidiſſe ſignum hoc *ſuper terram Iudaicam non ſuper alias terras*; quia (inquit) non debuiſſent Ba-

 bylonii

bylonii *interrogare Iudæos de portento, ſi vel Babylone accidiſſet, vel ſi Sol in cælo retroceſſiſſet. Vidiſſent quippe illud & ipſi portentum.* Nam præterea quod nemo vidit Solem retrocedere, ſed retroceſſiſſe tantum apparuit, tum in ſcioterico Achazi, tum ex Solis morâ ſolito prolixiore ſupra horizontem, ſanè Babylonii non miſerunt inquiſitum de facto, quod ipſi obſervarant, ſive in ſuis horologiis, ſi jam talia habebant, ſive ex prolixitate diei, ſed de cauſa facti quam ſatis agnoſcebant ſupernaturalem fuiſſe. Necquicquam ergo urget Vir Doctus *reducendum miraculum ad horologium Achaz*, cùm nonniſi miraculi indicium & effectus in horologio iſto apparuerit; ſed ipſum miraculum in Solis retroceſſione *per decem gradus*, ideſt per tantum ſpatii quantum ſolebat emetiri ad illos decem gradus horologii ſuperandos. Nec difficilius fuit Deo, grande hujus mundi horologium, retroacto ejus indice

dice per decem gradus, retardare ad paucas aliquot horas, quam cuilibet Automatario, ſimile quid in noſtris Automatis artificialibus præſtare; Nec certè crediderim *Solem ſolum retroceſſiſſe in Zodiaco*, ſed potiùs retroceſſiſſe *primum mobile* & cum eo Solem & Sphæras *inferiores omnes*, ſi modò tales Sphæræ diſtinctæ dantur in cœlo. Nec debet metuere Præadamita eâ ratione everſum iri *Ephemeridas & tabulas Aſtronomicas*, cùm necdum forte eo tempore Ephemeridas aut tabulas Aſtronomicas conſcripſiſſent mortales, & vix ad calculos totius anni perturbandos potuiſſet facere quinque horarum aut fortè minus alteratio in uno die. Nec ideo factum debet negari, quod nemo Ethnicorum ejus meminerit; cùm illius meminiſſe Sacram Scripturam abundè ſufficiat; ac id penitùs non neſciviſſe Ethnicos poſtea videbitur. Saltem cùm hæc ſit plerorumque Theologorum ac Interpretum me-

lioris notæ, imo magnorum Mathematicorum ſententia, non video tanti momenti proferri rationes à Præadamita ob quas foret deſerenda.

18. Quoad Solſtitium Ioſuæ, multo minus eſt difficultatis. Stitit enim Ioſua ſuis precibus utrumque luminare, majus & minus; nec tantum mandavit Soli ut conſiſteret, ſed etiam Lunæ, ne vel ille ſuo motu diem abſolveret, vel hæc ſuo accelararet noctem cujus habet imperium, antequam plenam de hoſtibus ſuis victoriam reportaſſet. Nec ſanè video quî minus Solis quam Lunę motum, de quo non dubitatur, ſufflaminatum hîc ſtatuamus. Et cùm dies ille fuerit longiſſimus; ac inſtar duorum aliorum, ut Syracides teſtatur, (etenim ut habetur apud ipſum Ioſuam, *non feſtinavit Sol occumbere ſpatio unius diei*,) non eſt cur imaginemur id miraculi ultra Horizontem ſenſibilem Ioſuæ & Gabaonitidis non proceſſiſſe, aut in *Atmoſphe-*

moſphæra vel regione vaporum illa quæ Civitati Gabaonitæ cœli & aëris medio incubabat, ut Vir Doctus pertendit, vel ex repercuſsione montis oppoſiti, fulgorem Solis *ſine Sole ipſo* per 12. horas aut amplius in illo ſolo tractu ſuperfuiſse. Nam ſanè Ioſua ipſiusmet Solis occaſum voluit retardare, nec fulgor Solis, eo planè abſente, & jam multis gradibus ſub Horizonte latente, potuit in Horizonte remanere, ac noctis ex umbra terræ imminentis tenebras diſpellere. Quod verò Lunam progredi in Ajalon vetuit Ioſua, non eſt ita ſumendum ut fingit Præadamita, acſi *ſplendor Lunari ſimilis in valle Ajalon Solari ſucceſſerit donec inimicos ſuos omnes ultioni mactaviſſent Iſraelitæ*, ſed eò è contrario ſpectavit, ne ſuo motu noctem accelleraret. Et cùm Solem ſibi præſentem & conſpicuum alloquutus fuerit Ioſua, eumque dicat Scriptura ſtetiſſe *in medio Cœli*, nec feſtinaſſe *ad occaſum* quaſi diem integrum,

grum, (quamvis iſtud medium non debeat ſumi ſecundum ἀκρίβειαν Aſtronomicam, ſiquidem jam Luna corniculata index noctis haud ita procul à Sole viſebatur,) non eſt cur de motu utriuſque luminaris miraculoſè ſufflaminato ullâ ratione dubitemus: Optimè verò Reverendiſſ. Uſſerius *Annal. Vet. Teſt. p. 1. ætate 4. pag. 39.* hîc duo obſervat ex Laur. Codomano; I. *Cùm Ajalon vix uno milliari Germanico diſtet à Gibeone verſus occaſum, veriſimile eſſe Lunam tum fuiſſe decreſcentem & falcatam*; II. *Cùm ambo luminaria ſimul ſtare cœperint ac deſierint, moram illa n calculum Aſtronomicum non impedire, quemadmodum in concentibus Muſicis ſalua manet harmonia nec ſoni diſcrepant ſi voces in ſigno convenientiæ conquieſcant, & poſtea ſimul juxta ſuas cujuſque notas cantum pergant abſolvere.* Ipſemet quoque R. Uſſerius agens de præcedenti miraculo, *pag. ejuſd. libri 102.* ſic loquitur; *Ad Solis autem regreſſum quod attinet (Eſ. XXXVIII. 1. Eccleſ.*

8. Eccl. ſ: XLVIIII, 26.) quemadmodum ad preces Ioſuæ Sole ſtante ſimul etiam ſteti ſſe Luna dicitur, (Ioſ: X, 12. 13.) ita hic & Lunam & reliquam cœleſtem machinam unà cum Sole retroactam eſſe apparet, tantumque nocti detractum quantum diei fuit additum; Licet enim in partibus τοῦ νυχθημέρου ſive diei civilis anomalia extiterit admiranda, ita tamen divinâ providentiâ eam fuiſſe temperatam ut conſtans & ſibi perpetuò ſimilis cœleſtium corporum motus nullum inde detrimentum caperet, tres illæ Lunares Eclipſes ex Ptolemæo à nobis paullò ſuperiùs propoſitæ fidem faciunt; quarum calculus à noſtris temporibus retrò ſupputatus, idem nobis tempus exhibet quod à Chaldæis fuerat annotatum, perinde ac ſi nullus ejuſmodi retrogradus Solis motus omninò interveniſſet.

19. Et ſanè nullus dubitem vel ab alterutro vel ab utroque hoc miraculo, de quo aliquid cognoverant Gentiles, deſumptum eſſe quod finxerunt Poëtæ, ſchemate quadantenus inverſo;

ſo, de nocte à Iove duplicata ut frueretur diutiùs Alcmenâ ex qua Herculem genuit. Neceſſe enim fuit tamdiu differri ortum Solis in alio hemiſphærio, quamdiu Sol ſtetit & morabatur in iſto. Nam ita loquitur Soſias Plautinus *in Amphit.*

SO. *Certe Edepol ſcio, ſi aliud quicquam eſt quod credam aut certò ſciam,*
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormiviſſe ebrium.
Nam neque ſe Septentriones quoquam in cœlo commovent,
Neque ſe Luna quoquam mutat, atque uti exorta eſt ſemel;
Nec Iugulæ, neque Veſperugo, neque Vergiliæ occidunt.
Ita ſtatim ſtant ſigna, neque nox quoquam concedit die.

ME. *Perge nox ut occœpiſti, gere patri morem meo:*
Optimo optimè optumam operam das: datam pulchrè locas.

SO. *Neque ego hac nocte longiorem me vidiſſe cenſeo.*

Niſi-

Niſi item unam verberatus quam pependi perpetem.
Eamque quoque edepol etiam multo hac vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire Solem, atque appotum probè.
Mira ſunt niſi invitavit ſeſe in cœna pluſculum.

Ex his autem quæ obiter de utroque hoc miraculo diſſeruimus, patet nec juſtam fuiſſe cauſam Viro Docto, quo cum mihi res eſt, utriuſque veritatem lancinandi & univerſalitatem negandi, nec inde quippiam poſſe colligi ex quo Diluvium ad ſolam Palæſtinam veniat reſtringendum. Quod ſi enim dixerit contigiſſe tantum utrumque hoc miraculum in terra Palæſtina, quamvis pro univerſali vulgò referatur, ſupponit pro vero quod falſum eſſe modò oſtendi. At inquies, id ſaltem pro illo faciet quod cùm apud Joſuam juxta V. V. hæc verba extent, *Non fuit antea nec erit poſtea tam longa dies*,

dies, non poſſint illa verba intelligi niſi de terra Canaan, ſiquidem multo prolixiores dies naturaliter extent & plurimorum dierum *in regionibus polaribus*; Quam ad rem commemorat *certamen magnum quod*, inquit, *erat Mathematicus egregius*, (voluit dicere *Mathematico egregio*, vel *inierat* pro *erat*) *cum Theologo minorum proſeucharum*; Verùm ipſius & Theologus & Mathematicus micabant in tenebris: Nam textus originalis ſolùm ita habet; *Non fuit talis dies ante illum nec poſt illum, ut exaudiret Dominus vocem hominis*: Nihil ibi de longitudine illius diei, ſed tantum de illius modo, quod Sol ad vocem hominis conſtiterit ſuo loco, & tamdiu alluxerit Joſuæ ſuos hoſtes inſequenti donec eos ad internecionem deleviſſet; Dies illi prolixiores in regionibus polaribus, fiunt per converſionem ordinariam Solis: At hic factus eſt per ejus miraculoſam & ſecum aliorum omnium Syderum ſtationem

nem. Quin minus fuit meo judicio Solem retroceſſiſſe tempore Ezechiæ, cùm naturâ ſuâ ad motum ſic factus, & naturaliter quoque Planetæ aliquando retrogradi ſtatuantur, quam tamdiu immotum ſtetiſſe cum univerſo ſuo exercitu, donec Iſraelitæ plenam victoriam retuliſſent; de quibus illud meritò potuit uſurpari,

ô fortunati nimium queis militat æther
Et conjurati veniunt ad claſſica venti;

Imò non venti tantum, ſed Sol & Luna & cœtera Luminaria mundi.

20. Saltem, inquies ut ad Diluvium revertamur, negari nequit quin ex ſtylo Scripturæ *totius terræ* nomine ſæpè intelligatur ſola Palæſtina, prout Euangelium docet tenebras factas fuiſſe ſuper univerſam terram in morte Chriſti, quæ tamen ultra Palæſtinam extendi non debent: Cur non igitur pari ratione ad Palęſtinam reſtringamus Cataclyſmum, quem toti terræ incubuiſſe teſtantur Sacræ literę?

Reſpondeo

Reſpondeo nolle me inficiari quin ſæpiùs terra Iſraelitica hoc nomine communi vel indefinito *terræ* aut *totius terræ* debeat intelligi in Scripturis: Nimiùm in illis peregrinus fuerit, quid id iverit inficias. Etiam ſtylo Rabbinico vulgus Iſraelitarum *populus terræ* appellatur; Quò facit Phariſæi deſcriptio in libro *Aruch* quàm acceptam debeo Doctiſſimo Pocockio *Not. Miſc. ad portam Moſis, cap. 9. Phariſæus eſt qui ſe ſeparet ab omni immunditie, à cibo polluto, & à populo terræ, qui non adeo accuratam in cibo ſumendo diligentiam adhibet.* Sed duo ſunt hîc obſervanda; Primum Palæſtinam tunc indefinito *terræ* nomine intelligi, cùm qui loquitur vel ſcribit, in Palæſtina ſcribere vel loqui intelligitur, & de iis rebus quas ad ſolam Palęſtinam ſpectare aliæ circumſtantiæ ſatis evincunt: Nam ut ſatis intelligimus πᾶσαν οἰκουμένην deſcribendam ex Auguſti Edicto Luc: 11, 1. ad ſolos limites Imperi

perii Romani pertinuiſſe, non verò ad eos populos in quos nihil juris Auguſto competebat, ita ſi qui loci de Palæſtina paullò univerſaliùs loqui videantur, facilè colligitur ex circumſtantiis aliis eos ad ſolam ſpectare Palæſtinam. Sed nec Moſes erat in Palæſtina cùm ſcriberet hiſtoriam Diluvii, & illam iis deſcripſit circumſtantiis, quę uti ante viſum, nullam reſtrictionem queunt admittere. Alterum verò majoris momenti hoc eſt, quod nomen indefinitum terræ non tribuatur Palæſtinæ Hebræorum more, niſi ex quo cœpit eſſe propria Iſraelitarum; at verò non fuerunt in illius poſſeſſione ante tempora Joſuæ, ut liquet ex Hiſtoria Sacra. Et tantum abeſt ut jam ante Diluvium prædeceſſores Iſraelitarum, Palęſtinam tanquam ſuam ſpecialem poſſederint, in qua Deus *illos collocaverit tanquam in horto concluſo*, ut dicit Vir Doctus *Syſt. lib. 4. cap. 7.* & *cujus*

aditus

aditus non pateret gentibus, ut è contrario Deus Adamum quem facit Iudæorum, excluſivè ad Gentiles, primum patrem, ejecerit ex horto illo concluſo Hedenis (quem hic homo perperam de Palæſtina explicat) & Abrahamum poſt Diluvium ex propriá ſua Patria, quę Chaldæa fuit non Palæſtina Gen: XII, 1. traduxerit tanquam peregrinum in Palęſtinam, cum promiſſione tamen illius olim ſuo ſemini conferendę. Nec ante Palæſtina fuit terra Iudæorum, ab ipſis ſolis incolenda ſecluſis Gentibus *ad quas nefas eſſet Iudæis accedere*, quam in illius poſſeſſionem per Joſuam immiſſi fuiſſent, pluſquam 900. annis poſt Diluvium.

21. Quam ineptè autem ex univerſa terra in hiſtoria Diluvij, facit hic homo ſolam Palęſtinam, ita vitioſè per abyſſum magnam cujus rupti fuerunt fontes omnes, intelligit *mare ipſum Palæſtinorum à quo fontes Palæſtinæ omnes ſcaturiunt*. Cur enim ad particulam

culam maris mediterranei reſtringas illam magnæ abyſſi nomencluturam, quæ conſtanter in Scriptura denotat illam voraginem in quam Deus congregavit omnes aquas inferiores tertio die Hexaemeri, quæ cum Oceano & mari complectitur quoque ſpecus ſubterraneos ex quibus fontes ac flumina prodeunt; prout Plato in *Phadone* diſſerens de magno illo barathro, ait *in hoc receptaculum omnia confluere flumina & rurſus effluere.* Adeo ut fontes effracti magnę abyſſi denotent tum diſrupta maris quâ latè patet repagula, tum effractas aquarum ſubterranearum cavernas, ut omnia pontus fierent, & priſtini chaos informem formam reciperent. Ideo Ovidius introducit Neptunum ſic amnes ad hanc rem compellantem, & eos juſſa ejus exequentes;

——— *Non eſt hortamine longo*
Nunc, ait, utendum, vires effundite veſtras;

(Sic

(Sic opus eſt) aperite domos ac mole remotâ ,
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Iuſſerat ; hi redeunt ac fontibus ora relaxant ,
Et defrænato volvuntur in æquora curſu:
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit ; at illa
Intremuit , motuque vias patefecit aquarum.
Expatiata ruunt per apertos flumina campos. &c.

His verò aquis inferioribus ſuas conjunxerunt aquæ ſuperiores , imbre denſiſſimo per quadraginta dies & noctes effuſo , quod per *cataractas cœli apertas* intelligi haud gravatè concedo Præadamitæ. At cùm dicat Moſes opertos fuiſſe aquis montes excelſos omnes *ſub univerſo cœlo* , ineptè admodum id reſtringit ad montes Palæſtinæ ; non ſolum quod hæc detorſio repugnet ſenſui communi , ſed etiam quod

quod extra Palæſtinam in aliis montibus longè excelſioribus veſtigia ſuper ſint Diluvii, ut notat nominatim Solinus *cap. 14.* de Theſſaliæ montibus altiſſimis, adeo ut non ſit *in terris omnibus quod meritò ad iſtas eminentias comparetur*, in quibus tamen *durant veſtigia non languidæ fidei* Diluvialis irruptionis: *Nam in latebroſis rupium cavaminibus, quæ fluctuum conflictiis tunc adeſa ſunt, reduviæ Conchyliorum reſederunt, & alia multa quæ affatim mari incitò expuuntur. Ita ut ſint licet facie mediterranea, apparent tamen ſpecie littorali*; hæc Solinus. Puer præterea ſit in Geographicis qui Armeniæ montes altiſſimos, quos tamen operuit Diluvium, inter montes Palæſtinę recenſere voluerit. Eſt quidem *tralatitium cœlum ſuum regioni cuique aſſignari*, ut ait Vir Doctus; ſed valde abſonum foret uni vel regioni, vel urbi, vel provinciæ, tribuere quod ſit ſub univerſo cœlo: *Orbis major eſt urbe*, inquit Hierony-

 mus,

mus. Et quamvis cum quadam hyperbole dicatur Deus immiſſurus Iſraelis formidinem *in populos qui habitant ſub cælo*, cùm voluit eum intromittere in terram ſanctam, abſurdè tamen id reſtringas ad incolas ſolius Palæſtinæ: multo enim latius patuiſſe terrorem nominis Iſraelitici, & in mediam uſque Africam delatum fuiſſe, multis poſt ſæculis probatum dedit illa columna adhuc ſuperſtes in Africa tempore Procopii, cujus iſta fuit inſcriptio; *Nos Mauriſci ſumus, qui fugimus à facie Ioſua filii Nun prædatoris.* Nec dubium quin fama,

Tam ficti pravique tenax quam nuncia veri,

longè lateque hunc terrorem, totque prodigia & miraculoſos ſucceſſus quibus excitabatur, diſſeminaverit.

22. At inquit, Joſephus *lib. 2. contra App.* his verbis utitur; *Beroſus ſcripſit de Arca in qua generis noſtri Princeps ſervatus*

vatus eſt : Non igitur princeps generis humani , ſed tantum Judæorum : Sed præterea quod hæc extant *lib. 1. contra App.* non 2. injuriam nimis apertam fecerit Joſepho qui ei affinxerit illam opinionem de particularitate Diluvii : Graphicè ejus univerſalitatem deſcribit *Antiq. lib. 1. cap. 4.* ubi ideo monet *omnes Barbaricæ hiſtoriæ ſcriptores , & in his Beroſum Chaldæum* . Diluvij & Arcæ meminiſſe, quo magis conſtet non fuiſſe cladem particularem Palæſtinæ, ſed toti orbi communem ; & *cap. 6.* oſtendit quomodo poſt confuſionem linguarum , *Noæ poſteri per totum terrarum orbem ſedes ſibi occupaverint*. Et *contra App.* ita loquitur ; *Hic Beroſus antiquiſſima ſcripta ſequens, eadem quæ Moſes narrat de Cataclyſmo & hominum ſub illo interitu, ac de Arca in quam Noe generis noſtri princeps ſervatus eſt*. Potuit autem Noam dicere generis noſtri principem univerſaliter , ideſt revera totius generis humani ; vel ſi id

 reſtrin

reſtrinxit ad ſuam gentem, per id noluit ſtatuere ſolos Judæos eſſe Noachidas, ſed tantum Iudæos habere ſuæ antiquitatis, nam de ea diſputabatur, monumenta ſpecialia præ aliis gentibus; ſiquidem per continuatas Genealogiarum ſucceſſiones poſſent oſtendere ipſum-met generis humani reparatorem Noam, generis ſui principem extitiſſe. Sed quantumvis aliquos præter Noam in cacuminibus quibuſdam montium altiſſimorum ſervatos fuiſſe exiſtimaſſet Ioſephus, quod fateor videtur inſinuare, forte ut ſe magis accommodaret palato Gentilium, tamen non ideo ſtatuiſſet Diluvium ad ſolam Palæſtinam pertinuiſſe.

23. Urget præterea vehementer Vir Doctus *Syſt. lib.* 4. *cap.* 8. quod columba non potuerit folium oleæ referre ad Noam, niſi reſectum ex arbore cui aquæ Diluvii lutulentæ & cœnoſæ non incubuiſſent; Hinc fingit

git illam columbam *centum vel circiter milliaria emenſam & reverſam die uno*, & in *campis ſuperioris Aſiæ elatioribus*, ad quos Diluvium non pervenerat, *legiſſe ex olea quadam cataclyſmi & limi pura ramum illum virentibus foliis, quo virentem nec marcidam ſalutis ſpem Noæ oſtentaret*; aliàs non opus futurum fuiſſe ut tam diu emaneret, & *mane* emiſſa nonniſi *veſpere* rediret, cùm *marcidum & turpatum limo termitem carpere* juxta Arcam ubique potuiſſet. His addit inſuper ſuas conjecturas de campis *ſuperioris Aſiæ*, *montibus Armeniæ*, *quos Diluvium operuerat*, elatioribus, & ſuo modo philoſophatur de declivitate terrarum ex fluviorum decurſu in mare. Sed multa hîc limam requirunt. Nam primùm miſſis Geometricis quæſtionibus de declivitate requiſita in fluviis particularibus ad ſuum curſum, ex quibus in natura conſtituta perperam vellemus ferre judicium de horrenda & univerſali illa

turbatione naturæ quam Cataclyſmus invexit, gratis aſſumitur cacumen montium ſupremorum Armeniæ multo declivius fuiſſe planitie Aſiaticâ ab illis per centum milliaria diſtante. Tum ſi excelſior fuit terra ad milliare centeſimum ab his montibus, quam vel ut madefieret dum illi obruebantur aquis, cur non potius miſſus eſt Noach in Aſiam ſuperiorem, ubi tutus fuiſſet à Diluvio, quam ita moleſtè concluſus in Arca per annum integrum cum omnibus animantibus, ad illud ſuperandum? Adhæc ſi ad centeſimum milliare ab his montibus nihil planè fuit Diluvij, oportebit minus ſaltem fuiſſe aquarum ad quinquageſimum milliare, quam in ipſo vertice montium, quod tamen nemo ſanus dixerit. Præterea declivitas terræ per quam aquæ decurrunt incipit à locis montuoſis & excelſis ex quibus manant, non verò ad illos terminatur. Multa quoque hic adduntur textui,

ut violetur; Unde enim probabitur emiſſam fuiſſe *mane* columbàm, eo quod redierit *tempore veſpertino*, quo ſolent columbæ, etſi dimiſſæ poſt meridiem, ad ſua columbaria redire? Unde conſtabit folium illud quod retulit, fuiſſe penitus virens & limi purum? cùm qualecunque fuerit, ſuffecerit demonſtrando *jam levatam eſſe aquis ſuperficiem terræ*, ut Noach dicitur cognoviſſe ex illo folio Gen: VIII, 11. quia dèbuit omninò revelli per columbam ex arbore quę caput extra aquas extuliſſet: etenim *non eſt hujuſmodi columba ut poſſit fructus latentes ſub aqua eruere*, inquit Ambroſius *lib. de Arca & Noe cap.* 19. Imò verò ſi potuiſſet decerpi & adferri hoc folium aliunde quam ex loco per Diluvium prius ſubmerſo, nullam indicationem certam præbuiſſet Noæ ejus quod ſcire volebat, *num* videlicet *terra aquis levata eſſet* Gen: VIII, 1. & æquè potuiſſet columba primâ vice evolare

in campos ſuperiores Aſiæ, ad illud illinc referendum ac octiduo poſt. Nec ideo non rediit ante veſperam, quod debuerit longiùs evolare ad folium hoc quærendum; ſed quod hinc inde poſſet conſidere & *conſiſtere, pro iſtius avis indole, diutiùs emanſitavit, prout primâ vice illicò rediit quod nuſquam conſidere potuiſſet.

24. Denique cùm olea perpetuo vireat, juxta Plinium *lib. 16. cap. 16.* adeoque ſub ipſis aquis ſuum virorem retineat; Cùm jam multum decreviſſent aquæ ex quo ſubſtiterat Arca in montibus Ararat; ſiquidem hi montes non ſunt forte omnium qui in orbe, quos tamen Diluvium operuit, celſiſſimi; Cùm à tempore quo Arca ſubſtitit uſque ad diem quo apparuerunt cacumina montium ferè tres menſes, & ab eo quo viſa primum fuêre illa cacumina uſque ad diem quo columba retulit folium olivæ non minus quam duo effluxerint, ut patet

ex

ex Moſe Gen: VIII, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Cùm toto illo tempore, ſereno ac ſudo cœlo potuerint & per ventum diſiici quæcunque hæſiſſent ſordes foliis arborum, & per Solem ipſa folia non tantum ex ſiccari ſed etjam vegetari & recreari; Non eſt cur ſuſpicemur folium oleæ non potuiſſe adferri aliud à columba quam *marcidum & turpatum limo*, niſi decerperetur ex eo loco qui Diluvio intactus fuiſſet; Adeoque non eſt quod ſimus valde ſolliciti undenam illud folium decerpere potuerit. Satis eſto quod debuerit decerpi ex loco qui prius fuerat ſubmerſus; aliàs indicium non feciſſet Noę levatam eſſe aquis ſuperficiem terræ. Quod ſi volebat Præadamita revulſum hoc folium ex loco cui pepercisſent aquæ Diluvii, quid opus ei fuit novam fabulam comminiſci, de Aſia ſuperiori intacta Diluvio, quod nemo unquam ſomniavit? cùm potuiſſet veteres & rancidas fabulas

 adop-

adoptare, quæ finxerunt vel ex Paradiſo tereſtri columbam tum rediiſſe, cùm tamen æquè obnoxius fuerit ſubmerſioni ac reliquæ orbis partes; vel ex monte Sion & olivarum, ad quem, quaſi ſacrum, non perveniſſe Diluvium, quoſdam Judæos nugari refert Cornelius à Lapide *ad Gen:* 8. Verùm id credat æquè facilè ac Præadamitę aſſertionem Iudæus apella & cui pepo pro corde eſt. Quidni enim pari loco hæc omnia habeantur cum alia fabella Rabbinica apud Lyranum, quę narrat corvum à Noa emiſſum non defunctum fuiſſe legatione ſibi commiſſâ bonâ fide, ſed indeſinenter iviſſe & rediiſſe Gen: VIII, 7. quod cum fœmellam ſuam haberet in Arca ſibi malè metuebat à Noa, ne uſus abſentiæ ſuæ commoditate eam interea conſtupraret?

25. Objicit præterea Vir Doctus *Syſt. lib. 4. cap. 9. diviſas & poſſeſſas fuiſſe poſt Diluvium à filiis Noë non terrarum om-*

nium

nium plagas omnes, *ſed regiones tantum terræ ſanctæ*, *vel illi conterminas.* Sed non ſolum *Phaleg* Bocharti, quem alibi laudat, ſufficienter illi os obſtruit, verùm etiam ipſe Moſes Gen: x, 32. docens à poſteris Noæ diviſas eſse gentes in terra poſt Diluvium: & impudentiæ eſt intolerandæ quod gentes nominatas Moſi, inter quas ſunt Aſſyrij, Armeni, Iberi, Ægyptii, Æthiopes, Medi, Lydi, Germani, Græci, Moſchi &c. faciat vel Palæſtinas, vel Palęſtinis conterminas: Interea eò ipſo quod agnoſcit ex Noa propagatos *Philiſtæos*, *Hethæos*, *Iebuſæos*, *Amorrhæos*, *Gergeſæos*, *Hevæos* &c. quos expulit Deus ex terra Canaan, ut eam daret Iudæis poſſidendam, debet fateri Iudæorum genus multò arctius quam Noachidarum eſſe. At, inquit, Phaleg fuit ita dictus, quod *in diebus ejus diviſa fuerit terra*, non ubique univerſa, ſed ſancta & Palęſtinæ. Imò non tam à diviſione terræ Pha-

lego nomen, quam à confuſione linguarum quæ circa illius natalia contigit, & occaſio fuit diſperſionis hominum per varias mundi plagas, dum quæque familia & lingua quærit quod ſibi commodius vel convenientius arbitratur. At, inquit, *Poſſibile ne vel factu vel creditu erit tantam ſuppetiiſſe hominum copiam intra quintam generationem filiorum Noæ, (quintus enim numeratur Phaleg à Sem generis ſui authore) ut & Sinam & Americam & terram Auſtralem & Groenlandiam & quicquid inter illas undequaque interjacet dividere & habitare potuerint?* Sed potuerunt ita orbem inter ſe diviſiſſe, ut multas plagas conſequuti fuerint non jam per ſe replendas & habitandas, ſed olim per ſuas propagines. Nec omnes gentes commemoratæ Moſi ſtatim actu extiterunt quintâ aut ſextâ generatione poſt Diluvium, ſed tantum plerarumque ex illis radices & ſtirpes, quæ jam tempore Moſis in ramos ipſi commemoratos

memoratos ſe diffuderant. Qui verò reputaverit poſteris Noæ ſpecialem adfuiſſe Dei benedictionem ad multiplicationem generis humani, & quod alibi monuimus de numeroſiſſima prole Adami intra ſpatium 134. annorum, haud difficulter concipiet non aliunde derivari debere quicquid eſt hominum hodie ſuper terra; maximè cùm conſtet non ſimul habitatas fuiſſe omnes terræ plagas, ſed per partes & ſucceſſivè.

29. At inquit, quis crediderit inſulas Gentium *ſparſas per æquor omne* ac totam *Europam*, filios Iapheti *intra tertiam generationem* inſidere & habitare potuiſſe? Verum neque id dicit Moſes, nec quiſquam ſomniat: Sed tantum docet populos Europæos & Inſulanos celebriores, *audax* fuiſſe *Iapeti genus*, & ab illa ſtirpe jam tum propagatos abundè ſuo tempore. Sannis verò magis eſt excipiendus hic homo quam argumentis refutandus,

dus, dum *inſulas gentium* à Iapheti poſteris occupatas, quærit in continenti Palæſtinæ, quæ inſulas nullas habuit. Tam ſtolidæ imaginationes contemptu & ſtomacho tantum dignæ forent, niſi cederent in probrum authoritatis Divinæ, & patentes januas impietati aperirent. At Euſebius *in Chronico* Abrahami natalem rejicit in Nini annum 43. Dynaſtiâ decimaſextâ Ægyptiorum, quo tempore regnabant Thebæi, qui præfuerunt Ægyptiis annis 190. *Atqui ſecundum Iudæos helleniſtas nondum erant exacti trecenti anni à Diluvio Noæ, ad natum Abraham*: Tantillò verò ſpatio quî potuerit per 43. annos ſtabilitum fuiſſe imperium Aſſyriorum, Ægyptus ſexdecim Dynaſtias vidiſſe, Thebanorum præfectura in Ægyptios per annos 190. viguiſſe? Verùm hæc fruſtra ſunt. Nam Euſebii calculum in Chronico ſæpè falli, in comperto eſt. De Dynaſtiis Ægyptiorum diximus *ad quæſt. 3. §. 43. & ſeqq.*

ſeqq. Abraham, ex Tornielli, Capelli & aliorum calculo, juxta Chronologiam Sacram & veritatem Hebraicam, (nam in Helleniſtis multà extare menda notiſſimum eſt,) natus eſt anno mundi 2003. ideſt ferè 350. annis poſt Diluvium, cùm anno præcedenti Noach ſuum diem objiſſet, & jam pluſquam 200. ante annis in Nimbrodo cœpiſſet & Babylonicum & Aſſyrium imperium; ut per conſequens mirum non ſit jam tum ſatis firmatum illud fuiſſe: Ac prout Nimbrod tot annis ante natum Abrahamum jecerat fundamenta imperij Aſſyriorum, ita vel Cham ejus avus, vel Miſraim ejus patruus, primam condiderat Dynaſtiam in Ægypto poſt Diluvium, quicquid nugivendulus Manetho, de Dynaſtiarum Ægyptiacarum numero & ordine prò lubitu confinxerit & Euſebio obtruſerit, qui aliquam inſtituturus harmoniam inter Chro-

Chronologiam Sacram & Manethonem, ad 16. Dynaſtiam Ægyptiorum rejicit natalem Abrahami, qui revera ad primam aut ſecundam pertinuit. Nec abs re fuerit hîc retuliſſe quod habet Alſtedius *in Theſ. Chron. cap. 22. Regnum Ægyptiorum dividitur in Dynaſtias XXXII. uſque ad Monarchiam Auguſti. Ex his octo priores cum dimidia ſunt proleptica & fictitiæ, hoc eſt ab Ægyptiis qui jactabant ſe eſſe* προσεληναίους *longé ante creationem mundi introducta, reliquæ ſunt hiſtoricæ, ita ut 110. annus nonæ dynaſtiæ concurrat cum anno mundi primo & annus 74. dynaſtiæ decimaſextæ concurrat cum anno diluvii; Hanc dynaſtiam Cham proculdubio inſtauravit; ille namque eſt Hammon Ægyptiorum.* Jam autem juxta hunc calculum Euſebio ex Manethone ſua fides conſtabit. Quod ſi lubet illam dynaſtiam ſub qua natus eſt Abraham vocare *Thebæorum*, ſive præfecturam *regum Thebanorum*, quod Thebę Ægyptiacę conditę à Chamo

vel Miſraim & ab Arca Noæ ſic denominatæ prima ſedes fuerint illius regni, nihil id oberit veritati. In eo quoque deceptus creditur Euſebius quod Ninum & Semiramidem fecit coævos Abrahamo. Hos enim rejicit Rev. Uſſerius, qui poſt alios hæc accuratiùs tractavit *in Annal. V. T.* ad annum mundi 2789. adeoque facit juniores Abrahamo pluſquam 700. annis, pluſquam mille ipſo Diluvio; in quo ſane ſibi adſtipulatorem habet Auguſtinum *lib. 18. de Civit. Dei, cap. 22.* ſic loquentem; *Poſt diluvium anni non multo amplius quam mille tranſierant, quando Ninus Aſiam totam exceptâ Indiâ ſubjugavit.* Hoc autem reſpectu nihil habet difficultatis quod urget Præadamita, poſuiſſe Juſtinum *lib. 1. Nino antiquiores regnatorem Ægypti Vexorem & Scythiæ regem Tanaum* : quanquam qui & quando illi fuerint ex Veterum monumentis vix haberi queat. Saltem poſito etiam quod Abraham Nino

coævus

coævus fuerit, licet Nimbrodi ceu Jovis Beli filius vulgò credatur, ut nihil obſtat quo minus quidam, quamvis poſtdiluviavi ſæquè ac ipſe, ante eum & apud Schytas & apud Ægyptios regnarint, (etſi non repugnet quoque apud quaſdam gentes aliquam ſubobſcuram memoriam conſervatam fuiſſe rerum ante Diluvium patratarum & expeditionum bellicarum quæ contigerint inter antediluvianos accolas Scythiæ & Ægypti;) ita hinc liquet Nini originem Diluvio recentiorem eſſe, licet apud Gentiles *tam altè petita* fuerit, monente Præadamitâ, *ut non ſolum ad fabuloſa, ſed & incognita recurrerit tempora.*

30. At, inquit, *Quidni & ſuam particularem concedemus Palæſtinæ illuvionem*; cùm particularia fuerint diluvia Boethiæ ſub Ogyge, Theſſaliæ ſub Deucalione, & antea plura alia commemorata Platoni *ex Sacerdote Ægyptio in Timæo*; imò ſuum jactent Sinenſes,

Ame-

Americani, *utrumque vero ex eorundem computo à Noaci Diluvii temporibus longè* diſtans? Sed à poſſe ad eſſe non valet argumentum; & quominus Noachicum particulare ſtatuatur, obſtant ante allatæ rationes. Ac ſicut ad fabulas pertinent quæ narrantur *in Timæo*, ita nonniſi ex hiſtoria & memoria certa Diluvii quondam univerſalis proceſſit tum quod circumfertur apud Americanos & Sinenſes, tum quod olim Ogygium & Deucalioneum pro univerſali habitum fuit. Quod verò, ut addit Vir Doctus, *negant & pernegant Ægyptii Palæſtinorum ipſorum contermini Diluvio unquam ullo labefactatam fuiſſe Ægyptum*, nihil facit ad rhombum: cùm id repoſuerint Schythis inde ſuam majorem antiquitatem colligentibus, quod diutiùs Ægypto, ceu depreſſiori terrę, aquæ diluvii incubuiſſent, ut aliàs ex Juſtino notavi. Nec video quo colore neget Vir Eruditus Ægyptum fuiſſe ſubmerſam tempore Noæ,

cum

cum Palæſtinæ ſit vicinior & eâ multo depreſſior quam Armenia, quâ tamen non inficiatur opertam aquis fuiſſe. Quod item ex Strabone *lib.3.* profert Turdetanos Hiſpanorum doctiſſimos, habuiſſe *metris incluſas leges à ſex millibus, ut ajunt, annorum*, meritò tanquam falſum & inane rejicitur à Bocharto *p. 2. Geog. Sacræ, lib. 1. cap. 34.* ubi oſtendit & Turdetanos Phoenicum fuiſſe colonos, & ſi pro ſex millibus annorum ſexcenti reponantur, rationes conventuras cum tempore Nabuchodonozoris, quem & Strabo ipſe *lib 15.* & Euſebius *lib 9. præpar.* ex Megaſthene ajunt in Hiſpaniam uſque penetraſſe & eam ſubjugaſſe. Quod mouet quoque de Troja, eam debuiſſe eſſe expertem Diluvii, imò Adamo ipſo antiquiorem, quia juxta Servium *duobus millibus octingentis annis regnaviſſe dicitur*, cùm tamen exciſa ſit 408. vel circiter annis ante primam Olympiadem, quam Scaliger refert

ad

ad annum mundi 3074. Sed nec Olympiadum initium ſatis eſt conſtans apud Chronologos; Capellus primam Olympiadem conjicit in annum mundi 3224. Uſſerius in annum 3228. Scaliger *lib.5. de emend. temp.*& Sethus Caluiſius in annum 3174. ſeculo integro ſeriùs quam hîc dicitur; Nec tempus vel conditæ vel everſæ Trojæ ita certum fuit apud Veteres; Sethus Calviſius Trojam dicit conditam à Troe Dardanorum Rege 3. anno mundi 2582. Capellus fretus authoritate Clementis Alexandrini & Euſebii, illius urbis natalia facit recentiora uno ferè ſæculo & ea rejicit in annum mundi 2674. pluſquam mille annis poſt Diluvium. Ejus verò everſionem rejiciunt Calviſius in annum mundi 2767. Capellus in annum 2816. adeo ut vix ultra ducentos annos ſteterit. Salianus ei aſſignat annos 208. & ſex Reges, Danaum, Erichtonium, Troem, Ilium, Laomedonta & Priamum. Ser-

vius

vius verò non affirmat eam tamdiu ſtetiſſe, ſed tantum refert id dici, ab iis ſcilicet qui deſtituti circa illa antiquiora & ad tempus μυθικὸν ſpectantia omni verâ Chronologiâ, omnia in majus ſolent extollere, ut trans denſam nebulam objecta juſto grandiora videntur. Et ſive à Dardano, ſive à Teucro, ſive à TroeIlienſis regni auſpicia deducantur, ſemper multum conſiſtent infra tempus Diluvii. Quin ſi annos apud Servium lunares ſive menſtruos intelligamus, quadrabit computi ratio cum calculo Chriſtianorum: nam 2800. menſes non multo amplius faciunt quam annos Solares 200.

31. Ejuſdem eſt commatis quod urget Vir Doctus ex Solino *cap.* 52. ſive ut meum exemplar habet 65. quod à Libero patre ad Alexandrum, numerentur *annorum ſex millia quadringenti quinquaginta unus additis & amplius tribus menſibus.* Nam quicunque is Liber

ber Pater fuerit, non fuit ſanè ſenior Noacho, ſi ipſe non ſit; Imò cùm Lactantius *Divin. Inſt. lib. 2. cap. 14.* aſſerat Noam *non modo Liberum, ſed etiam Saturnum atque Vranium multis anteceſſiſſe ætatibus*, impoſſibile eſt tantum interſtitii fuiſſe inter Liberum & Alexandrum. Nec tantum ſpatium debuit hoc fuiſſe, eo ipſo quod ita ſcripſerit Solinus, & ita ex eo legendum in Plinio cenſuerit Salmaſius; qui equidem indicat quid dixerit Solinus, non tamen approbat quod dixit: Imò mendum videtur eſſe manifeſtum in hoc calculo, eo quod juxta Solinum colligatur *habitâ per reges computatione, qui centum quinquaginta tres tenuiſſe medium ævum*, ideſt regnaſſe in India inter Liberum Patrem & Alexandrum, *deprehenduntur*. In florentiſſima ſanè Galliæ Monarchia ſpatio 1200. annorum, ſexageſimus quintus rex numeratur; Et cùm à Diluvio ad Alexandrum bis mille anni interceſſerint,

ſpatium eſt ſufficientiſſimum exhauriendis apud Indos regibus centum quinquaginta & tribus; præſertim cùm ex nullis monumentis conſtet hos ſibi mutuo ſucceſſiſſe; ſed è contrario conſtet multos ex illis ſimul regnaſſe diſtinctis in locis Indiæ, ut patet ex Curtio *lib. 8.* qui referens expeditionem Alexandri in Indiam multos reges diſtinctos ibi ponit, quorum alii citiùs alii ſeriùs jugum Alexandri admiſerunt. Sic & Solinus ipſe loquens de Megaſthene refert quod *apud Indicos reges aliquantiſper* verſatus fuerit. Adde quod Dionyſius Ægyptiorum fuit eorum Oſiris, quem volebant tot chiliadibus vetuſtiorem Alexandro fuiſſe apud Diodorum *lib. 1.* Oſiris verò non alius cenſeri debet quam Miſraim nepos Noachi: Dionyſius verò Semeles filius, cujus celebratur expeditio in Indiam, natus perhibetur à Chronologis, circiter annum mundi 2611. ideſt mille ferè annis poſt Diluvium

vium. Quin Salianus Euſebio fretus, eum refert ad annum mundi 2761. à Diluvio 1109. Longiuſculè itidem petitum eſt quod adfert Vir Doctus Semiramidem vixiſſe juxta Scaligerum *intra ſaculum Diluvii primum*; ejus coævum *Sanchoniathonem* fuiſſe; hoc *vetuſtiorem* extitiſſe *Iombalem*, quamvis neuter inter filios Noachi numeretur; & *extra Arcam* debuiſſe conſervari *volumina Ammonaeorum illa in qua Sanchoniathonem incidiſſe teſtatur Euſebius.* Nam ſupra viſum accuratiores & recentiores Chronologos Semiramidem multo recentiorem facere Diluvio: Porphyrius apud Scaligerum *in frag.* eam facit coævam bello Trojano: Negat verò Scaliger Sanchoniathonem fuiſſe æqualem Semiramidi; cùm vel inde ſequatur eum Ilii excidio multo juniorem eſſe, quod *apud Philonem Biblyenſem conditum Tyri tanquam rem antiquiſſimam memoret, Tyrus verò ſit condita anno 76. ante Ilii excidium.* Et quamvis diſ-

ſentiat hîc à Scaligero Doctiſſimus Bochartus *lib. 2. Phoen. ſuorum*, ideſt *ſecundæ partis Geograph. Sac. cap.* 17. ac pertendat revera Trojano ſæculo vetuſtiorem fuiſſe Sanchoniathonem, non tamen eum collocat in primo ſæculo poſt Diluvium : Sed oſtendit & arcanas literas *Ammonæorum* ex quibus hauſit, fuiſſe monumenta Templorum in Solis honorem conſecratorum, & *Iombal*, ut exprimit Vir Doctus, ſive potius *Ierombal*, ut habet Porphyrius, qui eum dicit fuiſſe Sacerdotem Dei Iao, ideſt Iehovę, Sanchoniathone vetuſtiorem & ex quo ille multa mutuatus eſt, fuiſſe *Ierubabal* ſive Gedeonem in ſacris literis commemoratum; adeo ut quocunque ſe verterit Præadamita, nihil hîc habeat quod multis ſeculis Diluvio recentius non ſit.

32. Quod inculcat iterum non potuiſſe adinveniri *Aſtrologiam*, *Theologiam & Magiam Chaldæorum*, brevi illo ſpatio quod fluxit ab Adamo, nedum

dum à Noachico Diluvio, ad Abrahamum ſub quo florebant, ſuo loco refutatum dedi. Aſtronomiæ præcepta & veræ Theologię principia, Babylonii qui & Chaldęi, acceperant poſt Diluvium à Noa & ipſius filiis; ſed poſtmodum illa infecerunt vanitatibus Aſtrologiæ divinatricis, hæc verò planè corruperunt Superſtitione, Idololatriâ & Magiâ; quibus ſanè introducendis in mundum, ductore & ſeductore Satanâ, longâ morâ opus non fuit, cùm nullis nitantur experimentis longo temporis tractu acquirendis; Et quam Præadamita putat *impoſſibile* eſſe *probare* vel *inventam artem* Magicam, *vel de integro reparatam à diluvio ad Abrahamum,* quaſi verò id temporis non abundè ſuffecerit Patri mendacii ad homines per ſuam ipſorum præpoſteram curioſitatem faſcinandos ac corrumpendos; cùm non putent Iudæi alienum à ratione Idololatriam & Syderum cultum ab Enoſo

filio Sethi incœpiſſe occaſione Aſtronomiæ, in qua excolenda is tertius Adami filius totus fuerat, apud Iſhac Atias *Theſ. præc. parte 2. præc. neg. 1.* tam foret impeditus ſi deberet probare jam tum Abrahami tempore præter Aſtrologicam vanitatem & Idololatriam ex illa, Magicas diſciplinas inter Chaldæos viguiſſe. Nam ridiculum eſt & ſua Camarinâ fœtidâ dignum, quod notat *Vr Chaldæorum* quam habitabat Abrahamus *Camarinam* dici Euſebio, hanc verò ſignificare *Aſtrologorum* civitatem, & *Camarinos* dictos Chaldæos eoſdem *qui Aſtrologi & Magi*, quia *Chaldæorum nomen gentis & artis fuit. De Camarinis porrò Magis* (inquit) *ſcriptum eſt Iob capite 41. ſuſcitare illos Leviathan, qui Dæmon eſt. Leviathan autem terreſtrem & aqueum dari conſtat, vel quod idem eſt Dæmones terreſtres & aqueos, à quibus ſcilicet derivatos ſubtiliſſimè cenſuit Doctiſſimus idemque linguæ Hebraicæ peritiſſimus, Philippus Co-*

durcus

durcus Commentario ſuper Iob, Spiritus illos quos vernaculè appellamus, Luithons, vel Luthins. Parum abeſt quin hîc dicam, *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.* Sanè illa Codurci frigida conjectura, digna eſt & ipſo, homine tipulâ leviore, & Præadamitâ noſtro, quos merito illis accenſeas qui vernaculè *Eſprits follets* appellantur. Dæmonas alios *terreſtres* alios *aqueos* facere cum Tritthemio, illi ſoli poſſunt qui eos contra naturam formalem ſpirituum, corporeos & materiales ſtatuunt; Et tam coacta eſt allegoria eorum qui ex Leviathan faciunt dæmonem, quam abſurdè fingeretur Leviathan alter terreſtris, alter aqueus. Camarinorum quoque aut Magorum ſuſcitantium Leviathan, nulla eſt mentio apud Jobum, aut alibi in Scripturis, & nomen כמר *Camar* nuſpiam *magum* ſignificat, aut Aſtrologum, aut *Chaldæum*, ſed *Sacerdotem* ſive *ſacrificulum* in communi, nihilque

videtur differre à nomine כהן *Cohen*, niſi quod hoc de Sacerdote Dei, illud de Sacerdote idoli uſurpetur; unde Jud: XVII, 5. Chaldæus Paraphraſtes prius per poſterius interpretatur; Et cùm verbum ipſum כמר *Camar* in Niphal ſignificet *incaleſcere & aduri*, potuerit non tam Euſebius, quam Eupolemus apud eum *de præpar. lib. 9.* Vr Chaldæorum eo nomine tanto commodiùs expreſſiſſe, quod ipſum *Vr ignem* quoque denotet: unde Thargum Jeroſolymitanum *Vr Chaldæorum* Gen: XV, 7. interpretatur *fornacem ignis Chaldæorum*. Quo ſanè reſpectu *Camarina* vox nihil ſacerdotale ſignificaret, niſi fortè valdè remotè quod ibi ignis ſacer coleretur, in quem dicunt Abrahamum fuiſſe conjectum ab Idololatris, quoniam illis ſe opponeret, & ex eo miraculoſè à Deo liberatum; nihil verò vel Aſtrologicum vel Magicum.

33. Sed hæc obiter de hac Codur-

ciana

ciana ſubtiliſſima imò perridicula obſervatione; Ut ad Magiam redeam, quamvis facile à Diabolo potuerit obtrudi hominibus poſtdiluvianis, abſque ulla præcedenti traditione eorum qui vixerant ante Diluvium, apud quos eam viguiſſe nullo invicto argumento poſſet probari, tamen non ſufficeret rejiciendę propagationi maleficarum diſciplinarum ex priori mundo in ſecundum, quod habet Præadamita his verbis; *Theoremata Magiæ, necnon horrenda Deoque exoſa carmina illa, quibus ſuſcitabant Magi* Spiritus, *nefas eſſet cogitaviſſe, condita fuiſſe in Arca ne Diluvio immergerentur.* Etenim Caſſianus *Collat. 8. cap. 21.* poſtquam oſtendiſſet quam ſublimi rerum omnium cognitione Adam præditus fuerat, adeo ut noſſet *diſpoſitiones orbis terrarum & virtutes elementorum, initium & conſummationem & medietatem temporum, annorum curſus & ſtellarum diſpoſitiones, vim ſpirituum & cogita-*

tiones hominum, differentias arborum & virtutes radicum & quæ ſunt abſcondita & improviſa, ſubjungit ſequentia; *Hanc ſcientiam omnium naturarum per ſucceſſionem generationum ſemen Seth paternâ traditione ſuſcipiens, donec diviſum à ſacrilega propagine perduravit, quemadmodum ſanctè perceperat, ita etiam vel ad Dei cultum, vel ad utilitatem vitæ communis exercuit. Cùm verò fuiſſet impiæ generationi permiſtum, ad res prophanas ac noxias quæ piè didicerat, inſtinctu quidem dæmonum derivavit, curioſaſque ex ea maleficiorum artes atque præſtigias, ac magicas ſuperſtitiones audacter inſtituit, docens poſteros ſuos ut ſacrâ illâ culturâ divini Nominis derelictâ, vel elementa hæc, vel ignem, vel aereos dæmones venerarentur & colerent. Hæc igitur quam diximus curioſarum rerum notitia, quomodo Diluvio non perierit, ac ſupervenientibus ſæculis innotuerit, licet hoc minimè abſolutio propoſitæ quæſtionis expoſcat, tamen quia nos occaſio hujus expoſitionis admonuit, perſtringendum brevi-*

ter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noa qui ſuperſtitionibus iſtis & ſacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, ſciens nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librum in Arcam prorſus inferre, in qua erat unà cum patre juſto ac ſanctis fratribus ingreſſus, ſceleſtas artes ac profana commenta diverſorum metallorum laminis, quæ ſcilicet aquarum non corrumperentur injuriâ, & duriſſimis lapidibus inſculpſit. Quæ diluvio peracto eadem quâ illa celaverat curioſitate perquirens ſacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ ſeminarium tranſmittit ad poſteros. Igitur potuerunt juxta Veteres extra Arcam in illis lapidibus & laminis Chami aſſervari, *Theoremata Magiæ* de quibus tam ſollicitus eſt Præadamita, ut præceptiones Aſtronomicę aſſervatæ dicuntur in duabus illis columnis Sethianis quas commemorat Joſephus *lib. 1. Antiq. cap. 3.* & quarum lapideam, contra Diluvium perduraturam, ſuo adhuc tempore ſuperſtitem fuiſſe in Syria affirmat.

34. Sed necdum finis eſt argutiarum: Nam iterum *Syſt. lib. 4. cap. 14.* (fruſtra enim methodum hîc quæras, vel lumen logicum) ſumit probandum falli eos *qui origines omnium hominum deducant à Noaci nepotibus.* Verùm ſi hi falluntur, fefellit igitur eos Moſes qui id aſſerit tam expreſſè, Gen:x,5.20. 31.32. oſtendens, & ſigillatim ac diſtributivè de triplici Noachidarum ſtirpe, & univerſim ac collectivè de omnibus Noę nepotibus, quod *ab illis juxta populos, linguas, & nationes ſuas*, ideſt ex ipſis prognatas, *diviſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.* Neque nepotes Noæ profugi ad illas gentes, ſuum nomen illis communicarunt, ut fingitur *Italus* Rex Siciliæ *nomen Provinciæ* dediſſe, (cùm tamen ſecundum Timęum & Varronem apud Gellium *lib. 11. Noct. Att. cap. 1.* Italia ſic appellata fuerit quod *armentoſiſſima*, bobus & vitulis, quos veteres Gręci *Italas* vocabant, abundaret;)

ret;) vel prout *Franci* Galliam occupando, *Franciam ex Gallia fecerunt*: quę ſimilia profert Præadamita: Sed juxta Moſem per ſingulas è Noachidis familias ſingulæ quoque gentes conditæ fuerunt & ex illis ſuarum ſtirpium capitibus primùm ſuum nomen obtinuerunt; ut Medi ex Madai, Gręci ſive Iones ex Iavane, Ægyptii & Cananæi ex Mitzraim & Canaan, &c. Diſputat equidem Præadamita contra Grotium, ſtatuentem Americanos propaginem eſſe Germanorum qui tranſierint ex Dania in Norvegiam, ex Norvegia in Groenlandiam, ex Groenlandia verò in Americam; Sed tamen nihil habet quod opponat validius, niſi Groenlandiam ſuos habuiſſe incolas *Schlegringos* dictos, cùm primum eò Norvegi appulerunt. Nam aliàs in ſua *Relatione Groenlandica quam Gallico ſermone* edidit, & ad quam hîc provocat, fatetur eſſe qui ſentiant Americam eſſe con-

tinentem Groenlandiæ, & juxta ipſiuſmet Tabulam Geographicam fretum ſatis anguſtum eſt inter Groenlandiam & Americam. Et quoad ſuos *Schlegringos*, quos fortè commodiori vocabulo in *Relatione Groenlandica* vocat conſtanter *Skrelingros*, videntur illi aliud quid fuiſſe quam homines; ſiquidem ſua *Relatio pag. 41.* refert quod in horum Skrelingrorum tractu, fuerit magna armentorum copia, ſed *populus nullus, nec Ethnicus nec Chriſtianus.* Vereor ne bonus relator cum *lemuribus* ſive dæmonibus ſuis terreſtribus luctetur, ac ſumat pro Aborigibus Groenlandiæ ſpectra & terriculamenta Norvegorum, quæ ſuſpicor illo nomine ſignificari, & illum poſuiſſe *Skrelingros* pro *Schriklingeren*; nam & qui res Iſlandicas ſcribunt, ut refert diſertus & doctus D. Cheureau in libro quem inſcripſit *Tabulam fortunæ, le Tableau de la fortune, lib. 1. cap. ult.* narrant circa montem Heclam

clam inſtar Ætnæ ardentem, ſpectra frequentiſſima conſpici. Sed eſto fuerint tui Skrelingri homines non phantaſmata, quos Norvegi in penultimis ſuis expeditionibus in Groenlandiam iſthîc repererunt, non tamen inde ſequetur illos juxta mentem Grotii jam olim ex aliis Norvegis propagatos non fuiſſe.

35. Sed nolim cum quoquam funem contentionis ducere de Gentium illarum origine, quam fateor nobis adhuc eſſe obſcuram, eo quod nondum ſatis conſtet quâ parte America continenti adhæreat. Ipſe Præadamita *Relationis ſuæ pag. 5.* monet credi à nonnullis, Groenlandiam adhærere Tartariæ; quod incertum dicit, falſum non dicit. Id ſi verum ſit, non difficile fuerit ex Tartariæ finibus homines in Groenlandiam & Americam penetraſſe. Doctiſſimus Brerewoodius in Erudito ſuo tractatu *de Ling. & Relig. cap. 13.* multis aſſerit Americano

eſſe

eſſe propaginem Tartarorum Aſiæ, ad quos ingenio, feritate & moribus incultis proximè accedunt; ac omninò putat adhærere Americam Aſiæ continenti, eo quod plura animalia in Americæ continenti reperiantur quæ debuerint eò perveniſſe terreſtri itinere, ſiquidem eorum nulla in inſulis remotioribus reperta ſint: Et Joſephus à Coſta eodem movetur argumento ut putet homines eò penetraſſe non tam mari quam terrâ *Hiſt. nat. Indiarum lib. 1. cap. 20. & 21.* Et Menaſſeh Ben Iſrael *in ſpe Iſraelis, ſect. 38.* ſtatuit primos Americæ incolas fuiſſe Iſraelitas qui eò profugi ex Tartaria tanquam in vacuas ſedes venerint; ſed eos poſtea coactos Tartaris perſequentibus ceſſiſſe, & ſe recepiſſe ultra montes Cordilleras, ubi etiamnum ſint; Imò ſuſpicatur fretum Anianis, quod cæteroquin trajectu breve & anguſtum eſt, recens eſſe & olim pedibus pervium fuiſſe. Nec planè ablu-

dit

dit Campanella qui *Atheiſmi triumphati cap. 2. ad 10.* pertendit *non eſſe natos homines in altero hemiſphærir ut culices, ſed tranſire potuiſſe ex noſtro per Arzaret ad Quiviram, & per Gruland ad Eſtotilant, & per navium procelloſam aſportationem, & eſſe de illis mentionem, quoniam Dedenim, Cethan, Eliſa & Tharſis in Inſulas perrexerunt, ut dicitur Gen. 10. &c.* Saltem non deſunt argumenta quibus Americani demonſtrentur eſſe Noachici: nam multi eruditi cenſent Ophyram, quò 1 Reg. IX, 28. Salomon ſuas claſſes mittebat, eſſe Hiſpaniolam in America, aurifodinis nobiliſſimam quę *Peru* dicitur. Ita ſentiunt Vatablus, Poſtellus, Marinus, Emanuel Sà, Poſſevinus, Bozius, alii. Ophir vero, à quo Ophyra (quæcunque illa ſit) ſuam denominationem accepit, inter Noachi nepotes numeratur, Gen. X, 29. Et Joſepus à Coſta *lib. 1. cap. 25.* quod & ex aliis alibi comprobatum dedi, quibus addo Cheu-

Cheureau *Tab. fort. lib. 1. cap. 15.* recenſet Americanos generalis cujuſpiam Diluvii meminiſſe quo omnes homines perierint, ſex tantum exceptis qui per feneſtram ex neſcio qua caverna prodierunt & genus humanum repararunt. Quod plurimum accedit ad narrationem Moſaicam; quoniam Arca fuit inſtar profundę cavernæ in qua latuerant homines tempore Diluvii, & ſpeciatim *feneſtra* illius commemoratur à Moſe; & revera per ſex homines, tres ſcilicet filios Noæ cum ſuis uxoribus, cæteris omnibus ſub aquis ſubmerſis, genus humanum fuit reparatum. Sive igitur homines per continentem ex Aſia in Americam paulatim proceſſerint, ſive tempeſtate eò delapſi ſucceſſivè excreverint, nulla ſufficiens ratio poteſt adferri ex qua liceat conjicere eos eſſe Aborigines, aut Diluvio Noachico vetuſtiores; Si enim ex Præadamitis oriundi per infinita retro ſæcula illos

tractus

tractus incoluiſſent, cultiores multo fuiſſent deprehenſi. Atque his concludo meras Apinas Tricaſque eſſe rationes quibus Præadamitarum Aſſertor conatur Noachicum Diluvium ad Palæſtinam reſtringere, cùm illud univerſæ terræ incubuiſſe hactenus luculenter ſit demonſtratum; adeoque nullos eſſe concipiendos homines vel qui Adamo præextiterint, vel qui ab Adamo ante Diluvium & poſt illud à Noa propagati non fuerint. Velit Deus Veritatis nos in ſancta ſua Veritate conſervare, ac omnes profanas Novitates & Fabulas huic Præadamiticæ ſimiles, ſacroſancti ſui Verbi Authoritati evertendæ, & ſalutaribus Myſteriis Religionis Chriſtianæ traducendis ac ſubruendis unicè deſtinatas, averruncare & peſſumdare, ad majorem Nominis ſui Sacroſancti exaltationem & gloriam; AMEN.

ERRA-

ERRATA

Pag.	lin.	pro	Lege
75	16	ii quos	ii qui
85	14	tulerit	tuliſſet
141	6	foras	foris
208	11	*pœnæ*	*pœna*
228	*penult.*	profieri	profiteri
255	12	Lyranus haberi non poſſe, nequidem ex hiſtoria ſacra concederet,	haberi poſſe, vel ex ipſa hiſtoria ſacra Lyranus non concederet,
289	*antepen.*	*perantiquum*	*perantiquus*
317	17.18.	tribubus, ut	tribubus, vel ſaltem ab illis præluſum ſit Tartaris, qui eos poſtea inde depulerunt, ut
323	11	vetutiſſimus	vetuſtiſſimus
370	12	*obodiendo*	*obediendo*
419	13	nequit	poteſt
445	6	pœnæ	pœna
459	21	Adamitæ	Adamicæ
474	8	petineat	pertineat
483	9	arceſſendas	arceſſenda
521	17	Burtorfius	Buxtorfius
526	*ult.*	tantum illi	tantum iſti
534	13	ſuo	ſua

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

591 19

Pag.	*lin.*	*pro*	*Lege*
591	19	ſubteraneis	ſubterraneis
617	4	arbitranſor	arbitrantur
634	19	miraculum in Solis	miraculum extiterit in Solis
658	2	tereſtri	terreſtri
667	18	Schythis	Scythis

Errata Præfationis.

Pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
3	5	vell in	vellem in
39	4	negatarum	negaturum
45	*nlt.*	ita poſt	poſt
48	14	מפר	ספר
55	*antep.*	conſcriptos	conſcripti
68	11	*Damini*	*Domini*;
ead.	*antep.*	*in*	*non*
70	16	ש[illegible]ר	ספר
72	2	אמר	יאמר

Digitized by Google

361.

30

20